SC. SUP. 25. PL. 1

32
1 G
6

Digitized by Google

Digitized by Google

ADDITAMENTUM

AD

THEOLOGIAM BELLICAM.

Digitized by Google

Digitized by Google

ADDITAMENTUM
AD THEOLOGIAM BELLICAM
DISCUSSIONIS THEOLOGICO-JURIDICÆ
CONTROVERSIÆ

Circà adminiſtrationem Eccleſiaſticorum Sacramentorum intèr Locorum Ordinarios, & Capellanos Majores Exercituum;

BELLI, AC PACIS TEMPORE CREBRÒ EXCITATAE:

Cum Variis, Novis Difficultatibus reſolutis, aliiſque ſcitu neceſſariis:

Unâ cum octo Brevibus Pontificiis:

NECNON

Pluribus Decretis, & Declarationibus Sacrarum Congregationum eamdem materiam concernentibus:

ELABORATUM

ATQUE

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

CLEMENTI XI.

DICATUM

Ab Antonio Thoma Schiara Aſtenſi, Cleric. Regul.

Sac. Theologiæ, ac Jurium Profeſſore; S. Rom., & Univerſ. Inquiſitionis Qualificatore; S. Indicis Congreg. Conſultore; atque Miſſionum Apoſtolicarum ſuæ Religionis Procuratore Generali.



ROMÆ, Typis Rocchi Bernabò, Anno MDCCXV.

SUPERIORUM FACULTATE.

CUM PRIVILEGIO SUMMI PONTIFICIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Sanctiſſimo, ac Beatiſſimo Patri,

AC DOMINO NOSTRO

CLEMENTI XI.

PONT. OPT. MAX.

R*UMORIBUS Bellicis, PATER BEATISSIME, Orbi interiùs, exteriùſque turbato, & humano ſanguine cruentato, pacem adornaturus calamus meus hocce ad Theologiam Bellicam, Clementiſſi-*

mo

Digitized by Google

mo Tuo Nomine, gratiâ, & Apoſtolicâ Tuâ benedictione jam abundè illuſtratam, Additamentum, Amicorum ſuaſionibus, Tuiſque potiſſimùm validiſſimis nutibus incitatus, elaboravit. Cui verò Additamentum iſtud foret pro ejus nitore, ac munimine conſecrandum, vix cogitare mihi opus fuit, ſcienti, cui tributum eſt Principale, Additamentum jure deberi juxtà univerſalitèr receptam juris diſpoſitionem, [a] *quâ clarè admonemur, Additamentum minimè eſſe à ſuo Principali ſeparandum; & quidèm juſtè, cùm omne additamentum, ſivè augmentum, ejuſdem naturæ, & conditionis ſit ac Principale. Tibi igitur, BEATISSIME PATER, qui innatâ Tui ſuperexcelſi Animi Benignitate permotus, utrumque Tomum Theologiæ Bellicæ dignatus es Tuis ſub validiſſimis Auſpiciis recipere, hoc debetur Additamentum: Cui propterea illud nequaquàm poſſe deeſſe, quo Principale gaudet, patrocinium, reor; Id ſanè pluribus juribus mihi ſuadentibus;* [b] *quorum diſpoſitione perſpicuè ediſco, idem de utro-*

que

[a] Authen. Æqualitas, Cod. de Pact. convent., & l. Intèr Socerum, §. Cum intèr, ff. de Pact. dotal.

[b] l. Etiam, Cod. de Jur. dot., & l. Si conſtante, Cod. de Donat. antè nupt.

que eſſe judicandum ; & omne privilegium, quod Principali conceditur, ad augmentum quoque, ſivè additamentum, extendi: Idem paritèr aſtruentibus Bartolo, Alexandro, Jaſone, & Thoma Parpalea,[c] & Angelo.[d]

Dignetur igitur SANCTITAS VESTRA hoc Additamentum ſuſcipere, ut queat eo, quo Principale gaudet, privilegio potiri, nempè inoffenſum Orbem peragrare; Siquidèm, quò hebetiores ſentio mei ingenii eſſe vires, quibus illud conſcripſi, eò fortiùs tanto Nomine communitum, Hoſtes felicitèr triumphabit; nihilquè profectò adverſum pertimeſcet, ceù Pontifici adhærens, nullâ unquàm adverſitate perterrito, nullâ calamitate devicto, Deum, qui noſtra eſt Fortitudo, noſtrum Firmamentum, Refugium noſtrum, & Liberator noſter[e] in corde ſemper habenti.

Accipe Summe Sacerdos, Epiſcope Epiſcoporum, qui Regis Pacifici vices geris in Terris, hoc Additamentum, ad diſcordias jurisdictionales intèr Epiſcopos, & Miſſionarios Caſtrenſes exortas, pacifi-

candas

c In Repet. Rub. ff. Solut. Matr.

d Ex §. primo, & §. Aliud, & §. Dedimus, in Authen. de Æqualit.

e Pſ. 17. verſ. 1.

candas exaratum; Quippè Reſpublica Literaria illud amantèr excipiet, Tuo Nomine indulgentiſſimam lenitatem, admirabilemque Benignitatem redolente, quo decoratur, illecta: Illudque deſpicere audebit nemo, tametſi imperfectum, ut meum, ſuâ acceptatione factum SANCTITATIS TUÆ, tantâ perfectione in cunctis rebus ſuis exornatæ, quâ Univerſus Orbis Orthodoxus Te meritò ſuſpicit, ac veneratur.

Accipe, ſupreme Doctorum Magiſter, & Mecœnas, quem prompto exhibeo affectu, intèr cæteros, præſentem mei calami fœtum, quem Tibi offero eò libentiùs, quò ſcio Te utrumque Theologiæ Bellicæ Tomum grato animo accepiſſe; & ſub tanto etiam curarum pondere (quod vix credere quiſquam valeat) furtivis horis non ſemel perlegiſſe. Hinc ſi Tuo præclariſſimo Ingenio, eximiæque Tuæ Pietati placuit Principale, ſpero & Acceſſorium, quod ejuſdem naturæ eſt ejus, cui adjicitur[f]*, haud minùs gratum acceſſurum, ac proindè cæterorum nulli Fidelium ingratum fore, quippè qui à*

ſupremo

[f] Tiraquell. in l. Si unquam, Cod. de Revocat. donat. verb. donat. larg. n. 226. Oldrad. conſ. 131. n. 13. verſ. Et hoc, ut clariùs, Cardin. Tuſch. Pract. Concluſ. to. 1. lit. A. concluſ. 182. n. 1.

ſupremo ſuo Capite, à quo dedecet Membra recedere [g], *influxum recipiunt, ac diriguntur.*

g Capit. Non decet, diſt. 12.

Accipe demùm, Clementiſſime omnium beneficia haud demerentium Benefactor, ut aliquod memoris, & grati mei animi indicium, hoc Additamentum, cujus ſanè oblatione intendo toti Orbi congruentiùs ſignificare, SANCTITATEM TUAM, innumeris mihi impertitis favoribus, nequaquàm ceſſaſſe favores addere, qui adeò plures, & ingentes ſunt, ut nulla mihi ſpes ſit quovis tempore, vel quibuſvis officiis, aùt laboribus, debitas pro illis grates rependere, niſi mearum qualiumcunque precum aſſiduitate. Precor igitùr Deum Omnipotentem, qui, turbulentiſſimis hiſce temporibus, Eccleſiæ ſuæ, inſcrutabili ſuâ Providentiâ, voluit Te eſſe Præfectum, Te omninò reddere, ac cuſtodire, quàm diutiſſimè incolumem, Tuamque ætatem, ægritudinibus, quàm annis graviorem, ac jugibus ſtudiis, & indefeſſis laboribus oneratam, cœlitùs roborare, Vitamque Tuam crebris, & amariſſimis, ſempèr tamèn læ-

tantèr acceptis, crucibus intextam, copio-ſis, ac peculiaribus auxiliis communire, quibus valeas Hoſtes viſibiles, & inviſibiles, glorioſè triumphare in Terris, perennes adepturus Triumphos in Cœlis.

Dignetur interìm Sanctitas Veſtra, eam, quam Principale abundè obtinuit, huic Additamento, mihique exili ejus Authori Benedictionem Apoſtolicam impertiri.

Sanctitatis Veſtræ

Humillimus Servus

Antonius Thomas Schiara C. R.

L E-

Digitized by Google

LEGERE VOLENTI.

§. I.

CONSTREPENTIBUS per totum ferè terrarum Orbem Bellorum fragoribus, Theologiam Bellicam excogitavi; & ſuaviſſimo impulſu Eminentiſſimi Cardinalis Albani, nunc Pontificis Optimi Maximi, ſcripſi, atque Deo opitulante, in lucem edidi, flagrantiſſimo deſiderio aliquod juvamen, non tàm ad Forum internum, quàm ad Forum externum, ſeù contentioſum Orbi orthodoxo adferendi; ideòque placuit doctiſſimis totius Operis Reviſoribus, in benigna eorum Approbatione, in fronte utriuſque Tomi impreſsâ, conſcribere, Opus hoc in delectationem ſimul, & commoditatem Tribunalium redundare.

§. 2. Non omnes tamèn, qui poſtmodùm caſus contigerunt, animadvertens; quod ſanè meæ exilitati fore dimittendum Eruditorum Reſpublica, ut reor, adjudicabit, noſcens, etiam ab ipſiſmet Legum Conditoribus non cuncta prævideri, ac præfiniri potuiſſe: unde Julianus in *l. Non poſſunt, ff. de*

legibus, notavit, non potuiſſe omnia Lege comprehendi, dicens — Quà enim ratione fieri potuit, ut
„ ea, quæ in Facto conſiſtunt; & quæ ob magnam
„ varietatem commodè definiri non poſſunt, in Lege
„ contineantur? Cui conſonat, quod Baldus, & Jacobus Belviſius, referente Tho. Parpalea in *l.* 1. *n.* 15. *ff. ſolut. matrim.* ſcripſere, Judicis arbitrio illa relinqui, quæ certâ ſub regulâ claudi non poſſunt.

§. 3. Itàque ſequutâ mei Operis evulgatione, percipiens, intèr Locornm Ordinarios, & Capellanos majores Exercituum, litem non levem, ſeù gravem controverſiam belli, ac pacis tempore, circà adminiſtrationem Eccleſiaſticorum Sacramentorum, quam prævidere non potui, paſſim exoriri, ſemperque in dies magis invaleſcere: ab Ariſtotele, peripateticæ diſciplinæ Principe admonitus, *lib.* 1. *Reth.* regulas cenſeri benè conſtitutas, quæ in omnibus, qui accidere poſſunt, caſibus, firmatæ ſunt, Theologiæ Bellicæ, quam ſcripſi, certas & firmas regulas Militibus ad chriſtianè bellandum præbiturus, addere duxi, unâ cum variis, novis Difficultatibus reſolutis, nec non aliis pluribus ſcitu neceſſariis, hanc Diſcuſſionem Theologico-juridicam, quà Tribunalia commodiùs valeant quaſcunque controverſias, ſi adhùc contingerent, faciliùs, citiùſque reſolvere.

§. 4. Hoc Additamentum libentèr Editioni Auguſtanæ, poſt quinquennium à Romanâ ſequutę, inſerviſſem ad ocymè occurrendum moleſtiis, quibus Romana Curia, ſeù Sedes Apoſtolica, ob hujuſmodi controverſias quandoque afficitur: Nam, quæ intèr Locorum Ordinarios, & Capellanos Majores Exercituum incidunt controverſiæ, fermè Papam habent Arbitrum; niſi fuiſſet uterque mei

Operis

Operis tomus Auguſtæ, in Germania, me prorsùs neſciente, reimpreſſus.

§. 5. Jure igitur Liber hic Additamentum inſcribitur Diſcuſſionis Theologico-juridicæ: diſcuſſionis, inquam, quæ vox eum, quem res tanti momenti exigebat, mearum virium conatum non obſcurè demonſtrat. Cęterum, cum talis vox ex ſe innoteſcat, nullâ aliâ cenſetur explicatione indigere: itàque eâ omiſsâ, immorari ducimus in ſuo addiectivo, videlicèt, theologicò-juridicæ; quod ſanè connexum, ſivè annexum ſingularem aliquam explicationem depoſcit.

§. 6. Me docent Viri eruditi, annexa propriè eſſe, quæ dependent ab eodem negotio, ſic Baldus intèr cęteros, in *l. Aurelius*, *§. Idem, ff. de liber. legat.* & connexa illa dici, quæ diverſitate factorum ſeparationem non recipiunt: Sìc Dec. in *Capit. Si duobus, n. 19. de appell.*, itàut unius, & alterius idem ſit judicium, Gloſſ. *v. Annexa, in Capit. Cum ſinguli, de præbend.* Me pariter docent, annexum, & connexum duplicitèr dici, vel quia alterum dependet ab altero, cui annexum eſt; vel quia ordinatur ad alterum: sìc Abb. in *Capit. Quanto, n. 5 & 6. de judic.*, Cravett. *Conſ.* 818. *n.* 3. ſicque Juspatronatus cum ſit annexum juri inſtituendi, quod eſt ſpirituale, dicitur ſpirituali annexum, ut notavit, intèr alios, Azor. *p.* 2. *Inſtit. moral. lib.* 6. *cap.* 19. *q.* 2. & ideo Judex Eccleſiaſticus in ſpiritualibus annexis Judex competens eſt, ut tradit Marant. *de ord. judic. par.* 4. *diſt.* 11. *num* 8.

§. 7. Nos igitùr Diſcuſſionem noſtram vocamus Theologico-juridicam ad inſinuandum, Theologiam in hac re non eſſe à Jurisprudentia ſeparandam; imò unam ab altera dependere, debereque utram-

utramque ſimul incedere, ut rectum ſupèr controverſiâ excitatâ formetur judicium.

§.8. In hujuſmodi enim controverſiæ deciſione duplex conſideratur forus, internus ſcilicèt, & externus, ſeù contentioſus; primus, quem reſpicit Theologia; ſecundus, quem dirigit Jurisprudentia: Primus itàque, ut res rectè procedat, connecti debet cum ſecundo, & ſecundus cum primo; & conſequentèr ad rectè litem decidendam, locum habere debet connexio; ſivè annexio facultatis theologicæ cum juridica facultate; ideſt lex, quæ regulat operationes exteriores, debet ſe conformare dictamini rationis, quod eſt regula, & fundamentum rectitudinis Legum; aliàs poſſet contingere, conſcientiam manere ligatam, & actum, ſeù judicium fortaſsè nullum, ut advertit Suarez *de legib. lib. 3. cap.* 18., & ideò Judicem nequaquàm illum eſſe intelligimus, qui abſque ratione, uti bellua, ſenſu, & cupiditate ducitur, ſed qui ut vir bonus eſt; quemadmodum Venulejus ait in *l. Continuus* 137. §. *Cum ità, ff. de verbor. obligat.*, ita quæ propria viri boni, quæque Legibus conſentanea ſunt, agit. Cui adſtipulatur Horatii ſententia *lib. 1. Epiſt. ad Quinctium*:

Vir bonus eſt quis?
Qui conſulta Patrum, qui leges, juraque ſervat
Qui multæ, magnæque ſecantur Judice lites:

Theologico-juridica itaque noſtra nuncupatur Diſcuſſio, ut percipiatur, lites, ſeù controverſias, quæ intèr Ordinarios Locorum, & Capellanos Majores Exercituum quandoque excitantur, eſſe funditùs diſcutiendas, ut veritas detegatur, & ſecundum Deum, & homines reſolvendas.

§.9. Subditur, Controverſiæ intèr Locorum Ordinarios; & Capellanos majores Exercituum

paſsìm

paſsìm bellorum tempore, & etiam pacis excitatæ. Ne quæsò quiſpiam miretur, aùt ſcandalum concipiat, intelligens, diſſidia, ſeù lites excitari intèr Epiſcopos, quos oportet irreprehenſibiles eſſe: 1. *ad Timot. cap.3.* & Capellanos majores Exercituum, quibus onus incumbit milites in via ſalutis dirigere. Hæc enim poſſe utrinque abſque ulla ipſorum Litigantium culpâ contingere, non dubitamus; ſcientes injuſtè, & ſic culpabiliter agere neminem, niſi eum, qui ſcit ſe rem injuſtam agere. Multi autèm id neſciunt; ſic juſtè, ideſt, bonâ fide litigari poteſt utrinque. Generali acceptione juſtum dici ſolet, quod omni culpâ agentis vacat: pleraque autèm etiam ſine jure fiunt abſque culpa ob ignorantiam inevitabilem, ſeù invincibilem; cujus rei exemplum habetur in his,qui legem non obſervant,quam ſine culpa ſua invincibiliter ignorant, poſtquam lex ipſa promulgata eſt, & tempus, per ſe ad notitiam ſufficiens, tranſiit: ſic Suarez 1.2. *q.76., & de Legib. lib.3.cap* 18. videatur Caſtr. *lib.1.de leg. pœnal. cap.1. & 3.* Ità & in litibus accidere poteſt, ut pars utraque, non modò injuſtitiâ, ſed & omni alio vitio careat, & hoc ratione bonæ fidei, putans certò, rationes, & jura ſibi favere. Hinc Ariſtoteles. 3.*Ethic. cap.*17. in Litibus juris controverſi inquit, neutrum eſſe improbum; Quâ doctrinâ videntur Epiſcopi, & Capellani Majores Exercituum in motis litibus, ſeù controverſiis, poſſe à culpa ſufficientèr excuſari.

§.10. Cum ordo, quem eſſe ipsâ inventione difficiliorem, ſcripſit poſt Philoſophum, Neguſa. in *proœm.Tract.de pignor.*, & Neviza. in *proœm. Sylvæ Nupti. num.8.* referente Menoch. in *proœm. de arbitr. Jud. num.* 13. ſit entium modus, juxtà Bald. in *proœm. Digeſtorum*, & ex illo brevis procedat re-

rum

rum omnium, quæ ſolet rem claram, & apertam reddere, intelligentia, *Capit. Super litteris*, *de Reſcript.* Explicato titulo, qui eſt totius Operis indicatio, juxtà Text. in *Capit. Sancta Romana*, *Diſt.* 15., & *Capit. Inprimis*, *cauſa* 2. *qu.* 1. ubi habetur, titulum dici brevem adnotationem loquentis Operis; ut ea, quæ in Opere ſcribimus, clariora reddantur, ſequentem ordinem in ſcribendo obſervamus.

§.11. Primùm, Facti ſpecies ſuccinctè exponitur, ut quidditas controverſiæ excitatæ, & reſolvendæ ſtatim percipiatur.

§.12. Plures immediatè paragraphis controverſiæ reſolvendæ præmittuntur doctrinæ tùm legales, tùm etiam theologicæ, quibus Judices faciliùs queant Partium jura dignoſcere, & jurium ipſorum validitatem enucleare; quibuſque valeant, & ipſæmet Partes abſque Tribunalium ſtrepitu inter ſe pacificari; & ſic litem relinquere, controverſiam terminare; & ſucceſſivè tot incommoda effugere, quibus coguntur Sedis Apoſtolicæ quietem perturbare.

§.13. Præmiſſorum diſpoſitioni illicò corriſpondet controverſiæ reſolutio, quæ pluribus motibus, juxtà morem noſtrum, firmata, videlicèt, juribus, tùm canonicis, tùm civilibus, Doctorum authoritatibus, potiſſimùm verò ratione intrinſecâ, & paſsìm Sacrarum Congregationum declarationibus, nec non Sacrorum Conciliorum decretis, in duobus, vel tribus, & quandoque pluribus paragraphis claré repræſentatur.

§.14. Poſtmodùm verò, ex traditis tùm in præmiſſis, tùm in reſolutionibus, variæ efformantur Deductiones, quibus non exigua Philoſophiæ moralis documenta, videlicèt, virtutes ad Chriſti fidelium

lium

lium mores componendos, exornandoſque ordinatæ deteguntur. Quibus plura theologicæ ſapientiæ dogmata, quæ ad fidem orthodoxam nutriendam, fovendam, propugnandamque ſpectant, & ad Hæreticorum confutandos errores, declarantur. Quibus, quanta ſit ſemper deferentia, ſeù reverentia exhibenda Canonibus, tàm Apoſtolorum, quàm Sanctorum Patrum, in quolibet Sacro Concilio editis; omnibus, & ſingulis Decretis Summorum Pontificum, atque ſupremæ Sedis Apoſtolicæ authoritati, demonſtratur. Quibus demùm edocetur quid deceat Eccleſiaſticorum quietem; quid conferat ad conſervationem felicis Eccleſiæ regiminis; quid Religioni conveniat; quid vitæ chriſtianæ congruat; quid Animarum ſaluti proficiat.

§.15. Tandèm animadvertens, totam ferè controverſiam intèr Locorum Ordinarios, & Capellanos majores Exercituum circà adminiſtrationem Eccleſiaſticorum Sacramentorum verſari; atque in Brevibus Pontificiis infrà per extenſum producendis, plura concedi privilegia Delegatis, Capellanis majoribus; & intèr cętera, facultatem alios Sacerdotes ſubdelegandi, non ſimplicitèr, & abſolutè, ſed conditionatè, nempè probos, & idoneos, prævio examine ab Ordinariò approbandos pro dictis Sacramentis militibus miniſtrandis, operæ pretium cenſui in hac Diſcuſſione oſtendere, in quibus conſiſtat idoneitas, quam Concilium Tridentinum in Confeſſariis requirit, quæque pro militibus expedire cenſeatur; præſertim pro abſolutione à reſervatis: Quâ cautelâ ſit procedendum in cauſis matrimonialibus, quæ cęteris difficiliores reputantur: Quomodo privilegia Sedis Apoſtolicæ ſint intelligenda; quibus in caſibus adhibenda, & an quandoque ſint revocanda.

 Ani-

§.16. Animadvertens inſuper, eiſdem Delegatis, Capellanis majoribus, Subdelegatis facultatem à Sede Apoſtolica impertiri, Eccleſias, Cœmiterium, Oratoria polluta reconciliandi; atque Viris primariis Exercitus, Altare portatile, prout qualitas negotiorum id exegerit, concedendi; circa quæ poſſet aliqua controverſia intèr Ordinarios, & ipſos Capellanos majores exoriri, paritèr duxi examinare, & adnotare quibus modis dicta Loca ſacra intelligantur polluta, ut valeant reconciliationem recipere; & quomodo Altaria portatilia ſint conſtruenda, ut poſſint validè ab Epiſcopo conſecrari, & pro incruento ſacroſancto, ac venerabili Miſſæ Sacrificio inſervire.

§.17. Poſtremò plura, ſeù octo moderna, aliis antiquioribus prætermiſſis, tantummodò innutis, referuntur de verbo ad verbum, Brevia Pontificia, quæ ſunt tria fel. rec. Innocentii PP. X:, unum s.m. Innocentii XI., quatuor Sanctiſſimi Domini Noſtri Clementis XI. felicitèr regnantis, rem totam præſentis Diſcuſſionis concernentia, ut quiſque ſivè Ordinarius, ſivè Capellanus major, ſivè Delegatus, ſivè Subdelegatus meliùs, & ſecuriùs queat Sedis Apoſtolicæ mentem dignoſcere, ejuſdemque mandatis in proprii muneris exercitio exactiùs parere.

§.19. Hiſce cunctis ſufficientèr expoſitis, plures novæ Difficultates, omnes ad Bellum ſpectantes, pięque, atque eruditæ Legentium curioſitati pro foro tùm interno, tùm externo inſervientes, eàdem, quâ uſi fuimus methodo in tota Theologia Bellica, tractatæ, ac reſolutæ ſubſequuntur. Poſtmodùm verò, nonnulla alia, ſcitu neceſſaria, variis totius Operis Locis pro majori explicatione, & robore expoſitorum addenda, immediatè, & ſuccinctè exponuntur,

intèr

intèr quæ reſponſum ad objecta duabus propoſitionibus in primo tomo Theol. Bell. inſertis, à Sac. Indicis Congregatione approbatum.

§.20. Huic tandèm Additamento tutiorem cupiens propugnationem in obvios Adverſantium Conatus adferre, auſus ſum eodem potentiſſimo, quo Principale defenditur, Nomine CLEMENTIS Papæ XI. feliciter regnantis, communire; ejúſque propterea Stemmate hujus Operis Frontiſpicium exornare, in quo tres, eo modo, quo Cęſar Ripa in ſua Iconologia, *p.1.*, & 3. illas efformat, Imagines duximus collocare, Confidentiæ unam in medio, ſeù in loco digniori, Pietatis alteram ad dexteram, tertiam Doctrinæ ad ſiniſtram, ſingulas Dictis à Sacra Scriptura depromptis, animatas: idque ſanè haud obitèr, ſed conſultò; ut ſcilicèt benignus Lector in ipſa hujus Libri aperitione ocymè intelligat, nullatenùs ei poſſe exoptatam defenſionem deeſſe, collocato ſub Patrocinio Pontificis, in quo intèr cæteras, quibus palàm exornatur, Virtutes appoſitæ, nempè Confidentia in Deo, Pietas, & Doctrina, mirè eluceſcunt: Pietas nempè; quâ cunctos adverſitatibus impetitos reſpicit defendendos: Doctrina, quâ ſcit validiora defenſionis media adhibere: Confidentia, quâ ad Deum accedit, verum defendendi modum, ac vim ab eo accepturus. Ut inſupèr, qui legere vult, illicò diſcat à Pietate, meis imperfectionibus compati, à doctrina intelligat, cuncta eſſe perpendenda priuſquàm cenſura ſuum efformet judicium, à Confidentia, noſcat, nullam fore perturbationem adferendam Operi, ſub auſpiciis vices Dei Gerentis in Terris quieſcenti.

§.21. Tandèm, cupiens mei benevoli Lectoris in hiſce meis Lucubrationibus commoditati ſervire,

triplicem duxi ei Indicem exhibere; Primum Capitum Diſcuſſionis; & Difficultatum reſolutarum, qui in principio reperitur; Secundum propoſitionum damnatarum, quæ rejiciuntur; qui in fine habetur; Tertium rerum notabilium, atque verborum, qui eſt locupletiſſimus, in fine paritèr collocatum.

§. 22. Dignetur quiſquis hos noſtros Paragraphos legit, Diſcuſſionem hanc Theologico-juridicam, quam pluribus novis Difficultatibus, aliiſque nonnullis additis ad Theologiam Bellicam præmittimus tanquàm principalius præſentis Laboris motivum, benignè excipere; quamque elaboravimus, Concordiæ, atque quieti Ordinariorum, & Capellanorum majorum Exercituum, potiſſimùm verò tranquillitati Sedis Apoſtolicæ Studentes, & Conſcientiarum. Omnes Eccleſiaſticos, qui ſpecialitèr, ſeù modo ſpeciali Membra ſunt Eccleſiæ univerſalis, quæ eſt una, in ſancta unitate cupientes vivere, & ſemper permanere in Terris, vitâ beatâ perennitèr fruituros in Cœlis: Amen: Amen.

RE-

Digitized by Google

REVISORUM APPROBATIONES,

Facultateſque Superiorum.

NObis in Additamento ad Theologiam Bellicam à P.D.Antonio Thoma Schiara noſtræ Congregationis Theologo; atque ejuſdem Theologiæ Bellicæ Authore, compoſito, quod Reverendiſſimi Patris Generalis juſſu perſcrutati ſumus, nihil occurrit, quod Fidem Catholicam, aùt Chriſtianos mores maculet, aùt corrumpat. Quin, & Fidem, & Pietatem mirificè illud inſinuare deprehendimus Viris, qui caſtra ſequuntur: Sui verè Principalis, veluti acceſſorium, naturam ſequi. Ejuſdem ergò & meriti, cùm eodem cenſemus, ut publicà, & ipſum eàdem luce fruatur:.

Dat. in Ædibus S. Andreæ de Valle Urbis, Idibus Septembris 1714.

D. Joannes Saracenus Cler. Reg. Sac.Theol. Prof.
D. Cajetanus Maria del Pezzo Cler. Reg. Sac. Theol. Prof.

D. EMMANUEL RICCIUS

Præpoſitus Generalis Clericor. Regul.

HOc Opus inſcriptum: *Additamentum ad Theologiam Bellicam, &c.*, à R.P.D. Antonio Thoma Schiara noſtræ Congregationis Theologo compoſitum, & juxtà aſſertionem Patrum, quibus id commiſimus, approbatum, ut Typis mandetur, quoad nos ſpectat, facultatem concedimus. In quorum fidem, præſentes litteras manu propriâ ſubſcripſimus, & ſolito noſtro ſigillo firmavimus. Romæ, die 14. Septembris 1714.

D. Emmanuel Riccius Præpoſitus Generalis Cler. Reg.

loco ✝ ſigilli.

D. Petrus ab Eccleſia C. R. Secretarius.

Im-

Imprimatur,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

N. Archiepiſcopus Capuæ Vicesgerens.

Caſſiodorus, lib. 8. variarum. epiſt. 31

Q*UI Militaribus officiis aſſueti civilitatem premere dicuntur armati* (ſcitè profectò protulit Caſſiodorus); *& ob hoc juſtitia parère deſpiciunt, quoniam ad bella martia ſemper intendunt, dum neſcio, quo pacto aſſiduè dimicantibus difficile eſt morum cuſtodire menſuram.* Propterea mali hujus avertendi cauſa: *Additamentum ad Theologiam Bellicam* variis monimentis refertum, quamplurimis etiam Summorum Pontificum Decretis circa Sacramentorum adminiſtrationem, Militibus ab eorum Miniſtris exercendam, auctum, typis mandari exoptat Reverendiſſimus Author P.D. Antonius Thomas Schiara C.R. Sacræ Theologiæ & Jurium Profeſſor, Sac. Congregationis Indicis Conſultor, ac S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Qualificator. Hoc igitur Opus juſſui Reverendiſſimi P. Fr. Gregorii Selleri Sac. Apoſt. Palatii Magiſtri obſecundans, ſedulo examine, ac imperturbatâ mentis acie, quàm libentiſſimè evolui; nihil nigro theta notandum, nihil non eximiam commendationem promeritum in hoc Volumine comperi, ac proinde Scriptori, pluribus editis omnigenæ eruditionis Operibus, ſummoperè gratulor, quod aureo huic Ariſtotelis effato auſcultaverit, nempè — *Non tantum opus eſſe ut verum dicamus, ſed etiam oportet, ut falſi cauſam explicemus. Hoc enim ad fidem faciendam conducit, nam cum rationi conſentanea viſa fuerit cauſa, cur verum appareat eſſe, quod verum non eſt, facit ut vero magis fidem adhibeamus.* Verum in hoc opere dicit Author, cum in ferendis ſententiis nimiam opinionum laxitatem, chriſtianam diſciplinam diſſolventem, evitet; immodicam verò reſtrictionem, onus Chriſti leve, & jugum ſuave excutere, cogentem, rejiciat, propterea viâ regiâ incedens, nec à prudentis, & ſolidæ probabilitatis finibus exit, nec Rigoriſtarum indiſcreto ſtudio addictus, dignoſcitur; falſi cauſam explicat; propoſitiones enim vaticano fulmine confixas pro ſuæ doctrinæ robore, digito demonſtrat. Jure igitur merito Author cum doctiſſimo Juſto Lipſio præfari poteſt. — *Nam quod ego eadem dicerem: ecquando mihi eadem vis, aut fides? Ut in uno aliquo telo, aut gladio multum intereſt à qua manu veniat, ſic in ſententia ut penetret valdè facit robuſtæ alicujus, & receptæ auctoritatis pondus;* Cordi itaque illi ſummoperè eſſe animadverti hoc ſapientiſſimum Angelici Doctoris monitum quodlibet. 9. art. 15. — *Omnis quæſtio, in qua de peccato mortali agitur, niſi veritas expreſſè habeatur, periculosè determinatur.* Dignum planè cenſeo hunc Librum poſſe publici juris fieri. Romæ ex Monaſterio S. Pudentianæ die 17. Januarii 1715.

Ariſt. 6. Ethic. cap. 14.

Juſt. Lip. præfat. ad Polit.

D. Balthaſar à S. Philippo Nerio, Congregationis Reformatæ Monachorum S. Bernardi Ord. Ciſterc. Abbas Generalis, S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Qualificator, ac in Collegio Urbano de Propaganda Fide Sac. Theologiæ Moralis Lector.

POST

Digitized by Google

POST locupletatam in omni ferè Doctrinarum genere quatuordecim aliis Voluminibus Literariam Rempublicam, prodit in lucem decimum quintum opus clariſſimi Theologi D. Antonii Thomæ Schiara Ex-Procuratoris Generalis Clericorum Regularium, atque Procuratoris Generalis Miſſionum Apoſtolicarum ſuæ Religionis, Sac. Congregationis Indicis Conſultoris, & S. Romanæ, ac Univerſalis Inquiſitionis Qualificatoris, cui titulus *Additamentum ad Theologiam Bellicam &c.* Cumque doctiſſimorum Authorum mos ſit, ut ſibi non ſint in multiplici ſcriptione diſſimiles, ſed ubique eorum ingenii felicitati reſpondeant: Hinc illius attentâ recognitione, de mandato Reverendiſsimi P. Mag. Gregorii Selleri Ordinis Prædicatorum, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri, tenuitati meæ commiſsâ, nedum nihil offendi, quod à Catholica Religione, & bonis moribus aberret, ſed profundâm Authoris doctrinam, ejuſque magnam eruditionem, etiam circa res, procul ab ejus Inſtituto poſitas, ſum admiratus. Quapropter, ut publicæ utilitati conſulatur, utquè fœcundum tanti Authoris nomen magis in dies augmentum recipiat, ſi iis, quibus juris eſt, ita videbitur, publicæ luci donari poſſe cenſeo hoc Additamentum, ſive, Acceſſorium, juxta notorium Juris axioma, ſuo Principali omnimodè conſonans, quod fuit vix poſt quatuor annos ab editione Romana, Auguſtæ Vindelicorum, & Delingæ in Germania, inſcio Authore, reimpreſſum, fuitque ubique lætè acceptum, & ceu Opus novum recognitum, atque unanimiter acclamatum. In quorum fidem &c. hac die 15. Januarii 1715.

Dominicus Urſaya Juris Utriuſque, & Sacræ Theologiæ Doctor, in Romano Archigymnaſio publicus Profeſſor, ac in Romana Curia Advocatus.

Imprimatur.

Fr. Gregorius Selleri Sac. Apoſtolici Palatii Magiſter Ordinis Prædicatorum.

CLE-

CLEMENS PP. XI.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

CUM ſicut dilectus filius Antonius Thomas Schiara Clericus Regularis Congregationis Theatinorum, Sacræ Theologiæ, & Jurium Profeſſor nobis nupèr exponi fecit, ipſe quemdam Librum, cui titulus: *Additamentum ad Theologiam Bellicam, Diſcuſſionis Theologico-juridicæ Controverſiæ circà adminiſtrationem Eccleſiaſticorum Sacramentorum inter Ordinarios Locorum, & Capellanos majores Exercituum &c.* à ſe compoſitum, in lucem edere intendat, vereatur autèm, ne alii, qui ex alieno labore lucrum quærunt, in ipſius Antonii Thomæ præjudicium eumdem Librum iterùm imprimi facere curent. Nos ejus indemnitati providere, dictumque Antonium Thomam ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quâvis occaſione, vel causâ latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxàt conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, eidem Antonio Thomæ, ut decenniò proximo à primevâ prædicti libri impreſſione computando durante, dummodo tamèn liber prædictus à dilecto etiam filio Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici approbatus ſit, nemo tàm in Urbe noſtrâ, quàm in reliquo Statu Eccleſiaſtico mediatè, vel immediatè Nobis ſubjecto, dictum Librum ſine ſpeciali Antonii Thomæ, aùt ab eo cauſam habentium licentiâ imprimere, aut ab alio, vel aliis impreſſum vendere, aut venalem habere, aùt proponere poſſit, Apoſtolicâ auctoritate tenore præſentium concedimus, & indulgemus; Inhibentes propterea utriuſque ſexus Chriſti fidelibus præſertim Librorum Impreſſoribus, & Bibliopolis ſub quingentorum ducatorum auri de Camerâ, & amiſſionis Librorum, & typorum omnium pro unâ Cameræ noſtræ Apoſtolicæ, & pro aliis eidem Antonio Thomæ, ac pro reliquâ tertiis partibus Accuſatori, & Judici exequenti irremiſſibiliter applican., & eo ipſo abſquè ullâ declaratione incurren. pœnis, ne dicto Decennio prædictum Librum tàm in Urbe, quàm in reliquo Statu Eccleſiaſtico prædictis, ſine hujuſmodi licentiâ imprimere, aut ab aliis impreſſum vendere, ſeù venalem habere, vel proponere quoquo modo audeant, ſeù præſumant: Mandantes propterea dilectis filiis noſtris, & Apoſtolicæ Sedis de latere Legatis, ſeù eorum Vicelegatis, aut Præſidentibus, Gubernatoribus, Prætoribus, & aliis Juſtitiæ Miniſtris Provinciarum, Civitatum, Terrarum, & Locorum Status noſtri Eccleſiaſtici prædicti, quatenùs eidem Antonio Thomæ, ſeù ab eo cauſam habentibus prædictis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, quandocumque à memorato Antonio Thoma requiſiti fuerint, pœnas prædictas contra quoſcumque inobedientes irremiſſibilitèr exequantur. Non obſtan. Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis Statutis, & conſuetudinibus etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, privilegiis quoque Indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, cæteriſque contrariis quibuſcumque: Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, ſeu exemplis, etiam in ipſo Libro impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo Perſonæ in Dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ munitis, eadem prorsùs fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris. Die xxx. Martii MDCCXV. Pontificatus Noſtri Anno Decimoquinto.

F. Oliverius.

ELEN-

ELENCHUS
CAPITUM,
ET PARAGRAPHORUM
Diſcuſsionis Theologico-juridicæ In hoc Opere præmiſſæ.

CAPUT I.

FACTI SPECIES.

INnocentius X. fel. rec. conceſſit Regi Catholico Philippo IV. Breve, Dat. Romæ, ſub die 26. Septembris, anno 1644. & aliud ferè ſimile Ludovico Chriſtianiſſimo Francorum Regi, Dat. Romæ, ſub die 16. Martii, anno 1646. Aliudque pariter ſimile Ferdinando Rom. Regi & Imperatori Electo, Dat. Romæ, die 23. Novembris, 1647. ſupèr diſpotione facultatum, Capellanis Majoribus Exercituum conceſſarum, abſque ullà reſtrictivà ad tempus Expeditionis. Capellanus Major Exercitus Hiſpaniarum prætendit, Milites, qui ſunt in Caſtris, & Stationibus pacificis, vulgò, Piazze di Frontiere, *quando bellum ardet, vulgò,* quando la guerra è viva, *in vim dictorum Brevium intelligi ſuæ delegatæ juriſdictioni ſubjectos, ac ſi eſſent in actuali expeditione. E contrà, Eminentiſſimus Archiepiſcopus Toletanus contrarium ſentit, ſcilicèt, facultatem Capellani Majoris Exercitus intrà tempus expeditionis tacitè, ſeù præſumptivè reſtringi, & ſucceſſivè, Milites in Stationibus pacificis degentes ſuæ ordinariæ juriſdictioni, quoad Sacramentorum Eccleſiaſticorum adminiſtrationem, ſubeſſe. Controvertitur quid juris?* pag. 11.

§. I.

Nonnulla, quæ Controverſiæ reſolvendæ congruunt Diſcuſſioni, præmittuntur. pag. 12.

§. II.

Facultates, quæ à S. Sede Apoſtolica Capellanis Majoribus Exer-

Exercituum Indiſtinctè, ſeù abſquè reſtrictivâ ad tempus expeditionis conceduntur, intelligi, ſeù vigorem tantummodò habere, quando Milites in actuali expeditione reperiuntur, non eſt ambigendum. pagina 14.

§. III.

Deducta ex traditis ſub præſenti Capite, ſcitu neceſſaria, enunciantur. pag.20.

CAPUT II.

FACTI SPECIES.

In Exercitu Catholico plures eliguntur Presbyteri, tùm Sæculares, tùm Regulares, pro miniſtrandis Militibus Sacramentis, aliiſque functionibus ſpiritualibus peragendis. Capellanus Major dicti Exercitus prætendit, eos ſibi omnimodè ſubiici; poſſeque propterea in eos ſuam juriſdictionem delegatam exercere. Ordinarius Loci, ubi Exercitus degit, conqueritur, dicens, Sacerdotes tùm Sæculares, tùm Regulares, ſuos eſſe ſubditos: & ideò illos ſuæ juriſdictioni ordinariæ, non verò delegatæ juriſdictioni Capellani Majoris Exercitus eſſe obnoxios. Controvertitur quid juris? pag.25.

§. I.

Præmittenda, quibus Controverſia diſcutitur, enunciantur. ibid.

§. II.

Plura ex traditis ſub præſenti Capite deducta, uti ſcitu digna, clarè explicata producuntur. pagina 35.

CAPUT III.

FACTI SPECIES.

Conquerentibus Locorum Ordinariis de conceſſione privilegiorum Capellano Majori Exercituum indiſtinctè conceſſorum, non ſine præjudicio eorum juriſdictionis Ordinariæ, CLEMENS XI. *Pontifex Optimus, Maximus, Fidelium quieti, & Ordinariorum juribus ſemper proſpiciens, ſuo Apoſtolico Brevi ſuperiùs memorato, & in fine hujus diſcuſſionis inſerendo, declaravit, præfata privilegia eſſe intelligenda, dùm Milites eſſent in expeditione; ſecùs autèm dùm morarentur in Caſtris,*

ſtris, & Stationibus. Capellanus Major Exercitus noſcens revocari, ſeù reſtringi, & limitari privilegia ſibi à Sanctа Sede, olim indiſtinctè conceſſa, tenet ſaltèm dubitativè, adhùc ſuorum privilegiorum validitatem ſubſiſtere, & ſucceſſivè ſibi licere agere, quæ antè revocationem, ſivè reſtrictionem Pontificiam, agebat. Controvertitur quid juris? pag.43.

§. I.

Aliqua præmittenda, tanquàm propoſitæ controverſiæ diſcuſſiva, enunciantur. ibid.

§. II.

Summum Pontificem in quavis privilegiorum conceſſione, nunquàm præſumitur velle ſine juſta cauſa, Locorum Ordinariorum juribus præjudicium inferre. pag.46.

§. III.

Nemini licere Privilegia Pontificia, aliquod dubium arduum involventia, interpretari, ſed eſſe ad Sedem Apoſtolicam pro interpretatione recurrendum, demonſtratur. pag.54.

§. IV.

Sedi Apoſtolicæ expedit, ea, quæ Bellatoribus, aùt Pacificis impertitur, privilegia illicò revocare, vel ſaltèm limitare, noſcenti ea ſibi nocere. pag.58.

§. V.

Plura ſub præſenti Cap ite deducta, uti Eccleſiæ, atque Eccleſiaſticis proficua, efferuntur. pagina 66.

CAPUT IV.

FACTI SPECIES.

Sedes Apoſtolica, quæ Animarum ſaluti ſempèr incumbit, ſolet Delegato pro ſpiritualibus bellorum rebus facultatem impertiri, alios Sacerdotes ſubdelegandi probos, & idoneos, ac prævio examine diligenti ab Ordinario approbatos. Ordinarius ſciens, quemdam Preſbyterum eſſe idoneum, prætermiſſo examine, illum approbavit, eumque tradidit Capellano Majori, qui renuit intèr Confeſſarios Exercitus illum adnumerare, dicens, minimè fuiſſe ab Ordinario in approbatione illius, ſervatam formam Concilii Tridentini, Seſſ.7. de reform. cap.11. & 13. ſeſſ. 23. eod. tit. cap. 3. Controvertitur quid juris? pag.72.

Digitized by Google

§. I.

Quædam controverſiæ reſolvendæ, Diſcuſſionem concernenti, præmittuntur. ibid.

§. II.

Epiſcopo quandoque licere licentiam alicui Presbytero impertiri, Militum, aliorumque Chriſtifidelium Confeſſiones audiendi, examine prætermiſſo, ſi idoneum illum dignoſcat, non videtur ambigendum. pagina 74.

§. III.

Idoneitatem, quam in Approbandis ad confeſſiones audiendas Concilium Tridentinum expoſcit, & Ordinarius noſcere debet, in pluribus, præcipuè in ſcientia, & prudentia pro abſolutione à reſervatis (quæ in Militia non raro contingunt) conſiſtere, communis eſt Doctorum conſenſus. pag. 78.

§. IV.

Actus lethalitèr peccaminoſos merè internos, Eccleſiaſticę reſervationi minimè ſubiici, ſcire quoque expedit Confeſſario, tùm Militum, tùm aliorum. pag. 89.

§. V.

Scire, Ignorantes invincibilitèr reſervationem criminum, vel cenſurarum, ab ea minimè ligari, quemvis decet Confeſſarium, præſertìm Caſtrenſem. pagina 94.

§. VI.

Confeſſarium, præcipuè Caſtrenſem, ſcire teneri ſuæ Juriſdictionis terminos omninò excedere, abſolutionem à caſibus ſivè Pontifici, ſivè Epiſcopo reſervatis, ſcientèr incurſis, non controvertitur. pag. 96.

§. VII.

Scientiæ Confeſſariorum prudentiam eſſe adſociandam in exercitio obtentæ facultatis abſolvendi à reſervatis, diverſa exigit Pœnitentium conditio. pagina 106.

§. VIII.

Deducta ex traditis ſub præſenti Capite, uti ſcitu neceſſaria, exhibentur. pag. 112.

CA-

CAPUT V.

FACTI SPECIES.

Confeſſarii cujuſdam Exercitus fuerunt abſolutè approbati ab Ordinario Diœceſis, in qua militabat. Eodem Exercitu ad aliud Territorium translato, ibi bellaturo, Capellanus Major dicti Exercitus prætendit, biſce Confeſſariis fas eſſe Militum confeſſiones, abſque alia approbatiane Ordinarii novi Territorii audire; ſequens opinionem Doctorum dicentium, Approbatum in una Diœceſi poſſe ubique confeſſiones audire. Ordinarius dicti novi Territorii adhærens contrariæ opinioni, aſtruenti, Confeſſarios in ſingulis Diœceſibus à ſingulis Ordinariis fore approbandos, ſe opponens, citat hujuſmodi Confeſſarios ad ſe examini præſentandum pro Confeſſionibus Militum in ſua Diœceſi audiendis.

Controvertitur quid juris? pagina 119.

§. I.

Præmittenda, quibus controverſia decidenda diſcutitur, diſtinctè enunciantur. ibid.

§. II.

Confeſſarios, approbatos ab Ordinario pro Militibus in ejus Diœceſi bellantibus, non poſſe confeſſiones eorumdem Militum in alieno Territorio degentium, ſivè bellantium, abſque illius Ordinarii approbatione audire, demonſtratur. pag. 121.

§. III.

Deductorum ex traditis ſub hoc Capite diſtincta exhibitio. pagina 126.

CAPUT VI.

FACTI SPECIES.

Tempore belli nonnulla ſequutæ ſunt Militum, in Præſidiis degentium, Matrimonia, aſſiſtente Capellano Majori Exercitus, vigore generalis conceſſionis in Brevi Pontificio ei tributæ, adminiſtrandi videlicèt Militibus Sacramenta. Quidam ex dictis Contrahentibus inſtat coram Ordinario pro nullitate ſui Matrimonii, vel ſaltèm divortii, adducens cauſam, nempè defuiſſe in Capellano Majori licentiam ſpecialem, & expreſſam ſuo Matrimonio aſſiſtendi, & generalem conceſſionem Bre-

Digitized by Google

vis Pontificii haud fuiſſe ſufficientem pro validitate hujuſmodi Matrimonii. Controvertitur quid juris? pag. 132.

§. I.

Nonnulla, ſcitu neceſſaria, brevitèr diſcuſſa, ad propoſitæ controverſiæ reſolutionem tendentia, præmittuntur. ibid.

§. II.

Cauſas matrimoniales Militum controvertibiles, necnon circumſpectionem ab Ordinario, & Delegato, debitam facultatem habente Militum matrimoniis aſſiſtendi, adhibendam innui, Difficultas materiæ depoſcit, ut controverſia rectè, & clarè diſcuſsa exhibeatur. p. 141

§. III.

Præfatis nonnullæ aliæ adnectuntur cauſæ matrimoniales, forſitàn intèr Milites ſæpiùs contingentes, quæ non minorem Judicis cautelam requirunt, eſtò minorem contineant difficultatem. pag. 149.

§. IV.

Non minorem præhabitâ requiri diligentiam, ſivè cautelam, ab Ordinario, aùt Delegato, ut rectè ſuum proferat judicium, exhibendam in cauſa matrimoniali, in qua ageretur de controverſia circa diſpoſitionem, infrà explicandam, verſante, non videtur ambigendum. pagina 155.

§. V.

Cui jus competat diſpenſandi circà impedimenta matrimonii, diſcutitur. pag. 159.

§. VI.

Ad diſpenſandum, ut licitum, & validum ſit matrimonium, juſtam cauſam requiri, dubitat nemo. pag. 164.

§. VII.

Nùm cognitio cauſæ diſpenſationis matrimonialis debeat eſſe judicialis, an extrajudicialis, diſſeritur. pag. 165

§. VIII.

Intèr cauſas matrimoniales, majorem difficultatem ſecùm adferentes, illæ ſanè reputantur, quæ Infidelium ad fidem converſorum, matrimonia concernunt, in terris Fidelium concontracta in infidelitate cum impedimentis juri naturali, necnon Eccleſiaſtico repugnantibus; propterea ab Ordinariis, aùt Delegatis majori diligentia in-

Digitized by Google

inſpiciendæ, ut tutiorem valeant ſuam proferre ſententiam. pag. 171.

§. IX.

Deducta ex traditis ſub hoc Capite digeſta efferuntur. pag. 179.

CAPUT VII.

FACTI SPECIES.

Cappellanus Major cujuſdam Exercitus, habens à Sede Apoſtolica facultatem reconciliandi, ſeù benedicendi per ſe, vel per Subdelegatos, Eccleſias, & Capellas, ac Cœmeteria, & Oratoria quomodolibet polluta in illis partibus, in quibus ipſe Exercitus conſederit, refectis cujuſdam Eccleſiæ conſecratæ parietibus, qui paulatim ceciderant, volebat dictam Eccleſiam reconciliare, ſeù rebenedicere, idemque agere quoad alia loca Sacra, quæ præſumebat fuiſſe polluta, aùt violata. Ordinarius ſe illi oppoſuit, dicens, talem Eccleſiam conſecrationis formam amiſiſſe, & ſucceſſivè ad ſuam juriſdictionem ordinariam ſpectare refectæ Eccleſiæ conſecrationis formam reſtituere, quoad alia verò Loca, non eſſe certum fuiſſe polluta, & ſic reconciliatione, ſeù benedictione minimè indigere. Controvertitur quid juris? pag. 188.

§. I.

Aliqua, quibus controverſia diſcutitur, & penè reſolvitur, præmittuntur. ibid.

§. II.

Reſolutio expoſitæ controverſiæ alterius controverſiæ indiget reſolutione. pag. 191.

§. III.

Nonnullas Animadverſiones, ad variis dubiis occurrendum, quæ poſſunt circa Eccleſiarum reconciliationem contingere, hic ſubdi firmata Concluſio depoſcit. pag. 193.

§. IV.

Deducta ex traditis ſub præſenti Capite, panduntur. pag. 196.

CA-

CAPUT VIII.

FACTI SPECIES.

Altare portatile primariis Exercitus Viris, Sede Apoſtolicâ indulgente, pro Miſſâ audiendâ, & Sanctiſſimo Eucharistiæ Sacramento recipiendo, ſupponitur eſſe conceſſum. Cappellanus major dicti Exercitus mittit ad Ordinarium Altare portatile, ex duobus Lapidibus conſtans, conſecrandum. Ordinarius, inſpectâ hujuſmodi conſtitutione, ſeù pluralitate lapidum in dicto Altari portatili, uti Myſterio adverſante, renuit illud conſecrare, aſtruens, Altare portatile debere ex uno tantùm lapide conſtare -- Controvertitur quid juris? pagina 200.

§. I.

Quædam præmittenda, quibus Controverſia diſcutitur, ad reſolutionem, præponuntur. ibid.

§. II.

Altare portatile, quod Sedes Apoſtolica indulget, poſſe viris primariis Exercituum concedi pro Miſſa audienda, quomodo ſit conſtruendum, & conſecrandum, & cuſtodiendum. pagina 203.

§. III.

Quando ſepulchrum, ſeù loculus, in quo ponuntur, & ſigillantur Reliquiæ, non eſt in ligno, ſed in lapide; Altare portatile non amittere conſecrationem, ſi lapis amoveatur à ligno, ſeù capſulâ, cui eſt affixus, demonſtratur. pag. 208.

§. IV.

Deducta ex traditis ſub præſenti Capite non incongruè exhibentur. pag. 210.

CAPUT IX.

FACTI SPECIES.

Nonnulli Caſtrorum Confeſſarii putantes, facultates, ſibi tanquàm ſubdelegatis, ſubſequentium Brevium vigore tributas, minimè expiraſſe morte Pontificum, qui eas conceſſerunt, non deſinunt illas exercere. Locorum Ordinarii id ſcientes, ut hujuſmodi exercitium licitè, & validè fiat, eos admonent, eſſe ad Sedem Apoſtolicam pro earum confirmatione recurrendum.

Digitized by Google

dum. Controvertitur quid juris? pag.220.

§. I.

Quatuor Summorum Bontificum Brevia, videlicèt, tria ſel. rec. Innoc. X., & unum ſan. mem. Innoc. XI. ſcitu neceſſaria pro majori eorum, quæ in præſenti Capite diſcutiuntur, intelligentiâ producuntur. ibid.

§. II.

Aliqua diſcuſſa præmittuntur ceu neceſſaria pro faciliori controverſiæ reſolvendæ perceptione. pag.228.

§. III.

Quatuor Brevia enunciata non ampliùs in ſuo robore permanere; ac proindè Delegatorum, & Subdelegatorum, ſeù Confeſſariorum Caſtrenſium facultates eis tributas vigore hujuſmodi Brevium, omninò expiraſſe, non videtur controvertibile. pag.230.

§. IV.

Deducta ex traditis ſub præſenti Capite producuntur. pag.235.

CAPUT X.

FACTI SPECIES.

Quidam Miſſionarius Caſtrenſis ſpecialem habens à Summo Pontifice facultatem abſque ulla reſtrictione abſolvendi Perſonas Militares, præſumit, non obſtante modernâ Brevium Pontificiorum diſpoſitione, eas adhùc poſſe à quovis caſu reſervato, quoviſque tempore vigore obtentæ facultatis abſolvere. Controvertitur quid juris? pagina 243.

§. I.

Aliqua propoſitæ Controverſiæ diſcuſſionem, & reſolutionem concernentia, præmittuntur. ibid.

§. II.

Quamlibet facultatem alicui Miſſonario, ſivè Cappellano Caſtrenſi per Sedem Apoſtolicam tributam, non alitèr eſſe intelligendam, & ad praxim deducendam (excepto aliquo caſu extraordinario, magnâ urgente neceſſitate, Viri docti, prudentis, & pii judicio perpendenda) quàm juxtà formam, & diſpoſitionem Brevium Pontificiorum, quæ poſtmodùm emanarunt, juribus, & rationibus reſolvitur. pag.245.

§. III.

§. III.

Aliqua ex traditis enucleatè deducta pro majori firmatæ reſolutionis intelligentia, producuntur. pag.248.

CAPUT XI.

FACTI SPECIES.

Delegatus, ſeù Vicarius Generalis Exercitus, exhibito ſibi Tranſumpto, ſeù exemplo Commiſſionis, ſivè Brevis Apoſtolici, quo Summus Pontifex facultatem ei concedit alios ſubdelegandi pro Confeſſionibus audiendis, aliiſque muniis ſpirtualibus, ſivè Eccleſiaſticis in Exercitu peragendis, prætendit ante realem Literarum Apoſtolicarum præſentationem, eam, quam præſumit habere, Juriſdictionem exercere. Ordinarius Loci, ubi Exercitus reperitur, hujuſmodi prætenſæ juriſdictionis exercitio conſtantèr opponitur, putans ad ſe ſpectare, quæ agere poſſe præſumit Delegatus. Controvertitur quid juris? pag.252.

§. I.

Quæ faciliùs ad præſentis controverſię reſolutionem conducunt, cum aliqua prolixitatæ, ità materia exigente, præmittuntur. ibid.

§. II.

Vicario Generali Exercitus, delegatæ juriſdictionis exercitium, ante Brevium Pontificiorum exhibitionem, ſeù præſentationem, omnimodè præpediri, Doctorum authoritate, Jurium diſpoſitione, Rationum validitate demonſtratur. pag.255.

§. III.

Pleraque ex præmiſſis, triplicique motu, atque aliis, in hoc Capite contentis, decerpta, deductione notificantur. pag.258.

ELEN-

ELENCHUS
VARIARUM DIFFICULTATUM
IN THEOLOGIA BELLICA
PRÆTERMISSARUM.

Lib.I. Diffic. pertin. ad Reges, & & Principes, additur ſequens Difficultas.

Immaniſſimo Turcarum Tyranno bellum adverſùs aliquem ex Regibus, aùt Principibus Chriſtianis gerente, dubitatur, nùm alii Reges, & Principes Chriſtiani teneantur Arma ſumere, & invaſum propugnare. pagina. 277.

Lib.III. Diff. pertin. ad Officiales Exercitus, additur ſequens Difficultas.

Auditor Generalis Exercitus mandat exequi in quemdam Militem ſententiam mortis, quam ejus Miniſtri certò ſciunt eſſe injuſtam, dubitatur, nùm Miniſtris illis liceat bujuſmodi mandato parere. pag.291.

Eidem Lib. III. Diffic. pertin. ad Officiales, additur ſequens Difficultas.

Urbs obſeſſa non valet ruinam effugere, niſi occiſione Officialis illam obſidentis, & ignem & ſanguinem minitantis, ſi per tres dies adbùc reſiſtat, dubitatur, nùm liceat Gubernatori bujuſmodi occiſionem, ſeù mortem Officiali, cujus eſt filius, directè machinari. pag.303.

Lib. IV. Diff. pertin. ad Milites privatos, additur ſequens Difficultas.

Quidam Miles pugnam generalem indictam & acceptam aditurus, Scriptum, Verba Divina continens, collo appenſa geſtat, credens eo poſſe quemvis armorum ictum declinare; ac proindè ſe vulneribus, atq; internecioni ſubtrahere, dubitatur, nùm bujuſmodi geſtatio ſit licita. pagina 315.

Eidem Lib. IV. Diffic. pertin. ad Milites privatos, additur ſequens Difficultas.

Miles in Arte aurifactoria, quæ Alchimia nuncupatur, verſatus, aliquibus Viris Nobilibus, ab eo expoſcentibus aliquas expe-

perientias bujus Artis, eorum expenſis conficere, aſſentitur; dubitatur, nùm bic Miles ſit letbalitèr, vel venialitèr culpabilis, pœniſque corporalibus in foro fori obnoxius. pag.327.

Eidem Lib. IV. Diff. pertin. ad Milites privatos, additur ſequens Difficultas.

Confeſſarius Exercitus ſcit certò extrà ſecretum Sacramentale, bellum, quod geritur, eſſe injuſtum. Miles in eo pugnans, id invincibilitèr ignorans, accedit ad Confeſſionem, dubitatur, nùm Confeſſarius teneatur illum admonere de injuſtitia belli, ſi deſperat bujuſmodi admonitione proficere? pag. 337.

Lib. VII. Diffic. pertin. ad Naves, additur ſequens Difficultas.

Expugnatâ armorum violentiâ per Piratam Chriſtianum Navi Chriſtianorum, ſub Duce Chriſtiano, Turcico expoſito vexillo, navigante; Merces in ea exiſtentes, partìm ad Chriſtianos, partìm ad Turcas ſpectantes, fuerunt ab eo deprædatæ, venditæ, & diſtractæ; controvertitur, nùm bujuſmodi venditio ſubjaceat reſtitutioni? pag.350.

Lib. VIII. Diffic. pertin. ad Bona, additur ſequens Difficultas.

Titius emit à quodam Milite equum, arma, nonnullaque alia, dubitans, ea fuiſſe furto ſubtracta. Quæritur, nùm letbalitèr peccaverit, ſitque reſtitutioni obnoxius, ac proindè nefas ei ſit bujuſmodi Bona præſcribere, vel alienare? pag.359.

FUN-

FUNDAMENTUM CONTROVERSIÆ

Intèr Ordinarios Locorum, & Delegatos Apoſtolicos, ſivè Capellanos Majores Exercituum, diſcuſſum exhibetur.

§. 1.

ANTIQUA ſatis, nimiùmque Curiæ Romanæ moleſta fuit; eſtque intèr Locorum Ordinarios, & Delegatos Apoſtolicos, ſive Capellanos Majores Exercituum, intrà, ſed potiſſimùm extrà Italiam, Controverſia; Cujus Fundamentum, pro majori noſtræ Diſcuſſionis theologico-juridicæ intellectu duximus diſcutere, diſcuſſumque Reipublicæ Litterariæ exhibere, ut faciliùs queat hujuſmodi moleſtiam à Curia Romana, ſive Apoſtolica Sede propulſare.

§. 2. Scimus, Concilium Tridentinum, in quo præcipuè hæc Controverſia fundatur, *Seſſ.24.cap.20 de ref*, vehementèr cupere Ordinariorum juriſdictionem illibatam ſervari, & promoveri, nullatenùs patiens à quoquam ſivè inferiore, ſivè ſuperiore turbari; mandans propterea, cauſas omnes ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentes, etiamſi beneficiales

ſint, in prima inſtantia coram Ordinariis Locorum dumtaxàt cognoſci, atque omninò, ſaltém intra biennium à die motæ litis terminari; indulgendo alioquin, poſt id ſpatium, partibus, vel alteri illarum Judices ſuperiores, competentes tamén, adire, qui Cauſam in Statu, quo fuerit, aſſumant, & quamprimúm terminent; nolens abſolutè antea aliis committi, aùt vocari, aùt appellationes ab eiſdem Ordinariis interpoſitas per Superiores quoſcunque recipi, eorumve avocationem, commiſſionem, aùt inhibitionem fieri, niſi à definitiva, vel à definitivæ vìm habente, & cujus gravamen per appellationem à definitiva reparari nequeat. Nolens inſupèr cauſas matrimoniales, & criminales Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum etiam viſitantium judicio ſubjacere; declarans, illas eſſe Epiſcopi tantùm examini, & juriſdictioni relinquendas, etiam ſi actualiter inter Epiſcopum, Diaconum, ſeù Archidiaconum, aùt alios inferiores ſupér eorum juriſdictione, ſeù ſuper cauſarum iſtarum cognitione ſit in quacunque inſtantia litis pendentia: Cunctis inhibendo, Legatis quoque etiam de Latere, Nunciis, Gubernatoribus Eccleſiaſticis, aut aliis quarumcunque facultatum vigore, Epiſcopi juriſdictionem in prima inſtantia, prædictas cauſas reſpiciente, præripere, aùt alio modo turbare: Declarans pariter, ipſis nullatenùs licere, nec quidem contra Clericos, aliaſque perſonas Eccleſiaſticas, niſi Epiſcopo priùs requiſito; eoque negligente, procedere, aliàs eorum acta, ordinationeſve nullius fore momenti; & ad damni ſatisfactionem, Partibus illati, teneri.

§. 3. Synodo allegatæ, cujus authoritate Ordinariorum juriſdictio mirificè ſuſtinetur, adnectuntur in ratione Fundamenti dictæ Controverſiæ, Brevia per Sedem Apoſtolicam aliquibus Epiſcopis, ubi Exercitus degebant, conceſſa cum facultate juriſdictionem Eccleſiaſticam in utroque foro exercendi, qui, nempè Epiſcopi, quibus hujuſmodi Brevia conceduntur, Capellani Majores Exercituum nuncupantur; idque attentâ difficultate acceſſus, ſivé recurſus bellorum tempore ad Sedem Apoſtolicam, vel Locorum Ordinarios. Plura itàque ſunt Brevia Pontificia in hac materia, variis temporibus expedita, mihi tradita de mandato expreſſo Sanctiſſimi Domini Noſtri

CLEMENTIS XI. feliciter in Apoſtolico Throno ſedentis, ut funditùs, & tutiùs, æquiuſque hæc ſcribere valerem, inſpicienda; quorum aliqua ſunt illimitata, ſeù abſque clauſulâ reſtrictivâ ad tempus expeditionis; alia verò limitata, ſeù cum reſtrictione ad hujuſmodi tempus. Brevibus antiquioribus prætermiſſis, à Franciſco Zipæo, *de Analyt. juris Pontificii novi, de Offi. Ordin. n.4*, & Diana *tom.7. tract.7. de bello, Reſ.65. n.6.* memoratis; uno ſcilicèt ad Archiepiſcopum Cameracenſem Barlemontium; altero, *anno* 1597. *die* 20. *Februarii*, ad Archiepiſcopum Mechlinienſem Mathiam Hovium; per quæ reſpectivè Summus Pontifex eoſdem Archiepiſcopos conſtituit Delegatos Apoſtolicos in Belgio pro Exercitu regio: altero denique fel. rec. Urbani VIII. *anno* 1626. ad Exercitum in Palatinatum profectum, quod tangit Zipæus *in Reſponſis, tit. de Off. Jud. deleg. Reſp.* 1. *n.* 1. Moderniora tantummodò ſæculi præteriti, & currentis panduntur, directa nempè, aliud fel. rec. Innocentii Papæ X. Philippo IV. Hiſpaniarum Regi Catholico, *Dat. Romæ apud S. Petrum, die* 26. *Septembris, ann.* 1644. Aliud ejuſdem Summi Pontificis Ludovico XIV. Francorum Regi Chriſtianiſſimo, *Dat. Romæ, die* 16. *Martii, an.* 1646. Aliud ejuſdem Summi Pontificis, Ferdinando Rom. Regi in Imperatorem electo, *Dat. Romæ, die* 23. *Novembri*, 1647. Aliud ſa. me. Innocentii XI. Marco de Aviano, Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci, Capuccinorum nuncupatorum, *Dat. Romæ, die* 15. *Aprilis, anno* 1684. Aliud Sanctiſſimi Domini Noſtri CLEMENTIS XI. Humberto Guillelmo Archiepiſcopo Mechlinienſi, *Dat. Romæ apud S. Petrum, die* 13. *Februarii, anno* 1706. Aliud ejuſdem Summi Pontificis, eidem Humberto Guillelmo Mechlin. *Dat. Romæ, apud S. Mariam Majorem, die* 28. *Julii*, 1708. *an.*8. *Pontificatus*. Aliud ejuſdem Summi Pontificis, Julio Archiepiſcopo Nazareno, apud Joſephum Romanorum Regem, & Imperatorem electum Nuntio Apoſtolico, *Dat. Romæ, apud S. Petrum, die* 27. *Jun.* 1710. Aliud ejuſdem Summi Pontificis, eodem Julio Archiepiſcopo Nazareno Epiſcopo Faventin. apud eumdem Romanorum Regem & Imperatorem electum Nuncio Apoſtolico, nunc ad Cardinalatum ſuis eximiis meritis, Orbe, & Urbe applaudente,

aſſumpto, *Dat. apud S. Petrum, die* 16. *Aprilis*, 1711. *anno XI. ſui Pontificatus*. Hæc, inquam, Brevia, & forſitàn alia, quæ ignoro, Synodo Tridentinæ, in ratione Fundamenti Controverſiæ, adnectuntur: Siquidèm Delegato tribuunt facultatem in Sacerdotes ſubdelegandos, prævio examine approbatos, omnimodam Juriſdictionem Eccleſiaſticam exercendi, iiſdemque ſic approbatis, & ſubdelegatis facultatem audiendi Confeſſiones Caſtrenſium, & abſolvendi etiam à Caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, paucis ibi exceptis, infrà memorandis, tribuendi.

§. 4. Animadvertimus cum Franciſco Zypeo in *Reſponſ. de jur. Can. tit. de Off. Judi. deleg. Reſp.* 1. *n.*4. hujuſmodi approbationem, & ſubdelegationem minimè impedire quominùs cenſeantur Sacerdotes Caſtrenſes immediatè habere à Sede Apoſtolica facultatem abſolvendi; cùm dicat Summus Pontifex, ſe illam Delegato, & Presbyteris ab eo approbatis, impertiri, ut eâ formâ à Sede Apoſtolica procedat quidèm, ſed non imprimatur, niſi materiæ examinatæ, probatæ, & ſubſtitutæ.

§. 5. Subditur, in Brevibus, facultatem Delegato concedi omnem juriſdictionem exercendi in Præsbyteros tàm ſæculares, quàm Regulares, perindè ac ſi quoad Clericos ſæculares eorum verus Præſul & Paſtor; quoad Regulares verò, illorum Superior Generalis eſſet; quæ verba arbitror eſſe intelligenda ſic, non quòd Delegatus vigore privilegii Pontificii reipſa Præſul, aùt Generalis ſit, ſed quòd parem effectu in eos habeat facultatem ad exemplum illius; nàm dictio, *perindè*, eſtò ſit ſignificativa improprietatis, & fictionis, ut in *l. ſed & ſi lege* §. *Perinde, ff. de petit. hæred.* aliquando tamèn denotat omnimodam ſimilitudinem; ut probat Textus in *l. Cum hæres*, in princ. *ff. de acquir. hæred.*, *& in l. Qui à Patre, ff. de confirm. tutor.* Et docet Zyp. *loc. cit. num.* 13. licèt quandoque ſignificet identitatem, juxtà tradita per Hippol. ad *l. utrum, n.* 4. *ff. ad legem Pompejan.*, *de parricidiis*.

§. 6. Hujuſmodi Juriſdictionem Eccleſiaſticam, quæ in Sacerdotes Caſtrenſes Delegato tribuitur, obſervamus, non ſolùm eſſe voluntariam, ſed etiam contentioſam; ei enim ſubnectitur facultas judicandi in eos, intér eos, & contra eos,

Quo-

quotieſcunque contigerit, eos intér ſe contendere, ſeù diſceptare, vel ab aliis ut reos pulſari; omnes proindè cauſas Eccleſiaſticas, profanas, civiles, criminales, & mixtas, intèr, ſeù contra eos, aliaſque perſonas in Exercitu commorantes, ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentes, volunt Brevia, ubi Ordinariorum juriſdictio locum habere non poteſt, à Delegato cognoſci, etiam ſummariè, ſimplicitèr, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura Judicii, ſolâ facti veritate inſpectâ, ac debito fine, terminari.

§. 7. Obſervamus inſimul, hanc amplam Delegati poteſtatem in Sacerdotes Caſtrenſes admodùm Brevium diſpoſitione limitari, ſeù reſtringi ad eos, qui in propria Diœceſi, ſub qua illorum Ordinarii jurisdictionem ſuam ordinariam exercere poſſent, non ſint. Quâ ſanè diſpoſitione clarè percipimus, ſummam à Sede Apoſtolica adhiberi in ſuis Brevibus, ſicut & in cęteris, circumſpectionem, dùm ità eam juriſdictionem delegatam temperat, ut & neceſſitati Exercitus ſubveniat; quia inquit, Pontifex, non facilè ad Locorum Ordinarios, aut ad Sedem Apoſtolicam recurſus haberi poſſit; tribuendo ſcilicèt, facultatem ad S. Sedis beneplacitum, & quoad bellum, quod actualiter geritur, in tali Provincia duraverit, per ſe, vel alios ſubdelegandos, omnem & quamcunque juriſdictionem in utroque foro exercendi: & nihilominùs Ordinariorum authoritatem intactam ſervat, dum juriſdictionem delegatam reſtringit, ut non comprehendat eos, qui ſint in propria Diœceſi, ſub qua illorum Ordinarii juriſdictionem ſuam ordinariam in eos exercere poſſint.

§. 8. Firmatâ Delegati juriſdictione tùm voluntariâ, tùm contentioſâ quoad Sacerdotes Caſtrenſes, in eos, intér eos, contra eos; procedunt Brevia ad illorum munia, Milites, ſeù Laicos Caſtrenſes concernentia, tribuendo Delegato, & ab eo ſubdelegandis, poteſtatem illos abſolvendi à quibusvis exceſſibus, & delictis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, paucis, ut diximus, exceptuatis; Subdelegandis, inquam, dummodò ſint idonei, prævio diligenti examine ab Ordinario approbati; ut fuſiùs ſuo loco dicemus: non tamèn videntur diſpoſitivè eis Forum contentioſum in Laicos expreſsè tribuere: ad finem

tamèn

tamén facultatem concedunt diſpoſitivè, cętera, dicunt, faciendi in præmiſſis neceſſaria, & quomodolibet opportuna; quæ ſanè clauſula generalis eſt, relata ad omnia in Brevibus præmiſſa: in Prooemio autem generaliter, non quoad Sacerdotes tantùm, ſed eos, qui in Caſtris degunt, & verſantur, ſcribitur: *Pro cognoſcendis, & decidendis intèr eos cauſis, & controverſiis ad Forum Eccleſiaſticum pertinentibus, operà perſonæ in dignitate conſtitutæ, opus eſſe*: cum ergò, concludit Zypeus *loc. cit.* præmiſſum fuerit de cauſis, ad Forum Eccleſiaſticum pertinentibus, decidendis, conformis debet eſſe diſpoſitio propoſitioni, quæ cum Laicos etiam comprehendat, debet & illa Laicos comprehendere. Quod quidém probatur non ſolâ locutione Brevium indiſtinctâ, ſed hiſce verbis — *Cauſis ad Forum Eccleſiaſticum pertinentibus*; quæ profectò minimè requirebantur, ſi ſoli Clerici, ſivè Presbyteri comprehenderentur; cum Presbyteri non ob cauſam, ſed ratione perſonæ ad Forum Eccleſiaſticum pertineant; propterea ſufficiebat facultatem Delegato tribuere omnimodam juriſdictionem exercendi in eos, intèr eos, & contra eos; ex quo poſſet inferri, illa verba eſſe ſuperflua; quod nullatenùs eſt aſſerendum, & præſumendum de diſpoſitionibus Pontificiis, quarum cuncta, & ſingula verba aliquid debent ſignificare, & ſucceſſivè nullam etiam minimam ſuperfluitatem redolere ex nota regula, quòd in Pontificiis Conſtitutionibus, nec ſyllaba debet eſſe ſine effectu, & operatione, de qua apùd Card. de Luca, *de Offic vacab. pag.* 231. *num.* 35. & in terminis contractus, apud Ninot. *dec.* 64. *n* 5. & in terminis teſtamenti, in *dec.* 77. *n.* 22. *par.* 10. *recent.*

§. 9. Quæ Breve expreſsè non tangit, nec per neceſſariam conſequentiam deducuntur ſubiacere juriſdictioni Ordinarii, & Delegati, ſcribit Zyp. *loc. cit. n.* 8. ibidem ſubdens, utriuſque Decreti eſſe à Caſtrenſibus quoad actionum ſuarum præſcripta, cęremonias & ritum ſervanda, & ſucceſſivè, eos teneri tàm Dioeceſanis ſtatutis, quàm ordinationibus Caſtrenſibus ſe conformare; dummodò eorumdem ſimultanea obſervantia ſit poſſibilis; adducens ad id probandum, exemplum Peregrini innoxiè tranſeuntis, qui quamvis legibus loci minimè ligetur;

nihi-

nihilominùs quoad actiones ſuas, has obſtringitur Loci legibus conformes reddere: pugnantibus verò decretis Synodalibus, & Caſtrenſibus, putat & probat ibidem Author allegatus, quando expeditionis privilegium non obſtat, æquius, & juſtiùs eſſe, ut Diœceſana ſtatuta prævaleant; declarans tamen id eſſe intelligendum, ut non impediatur quidquid Breve impertitur.

§. 10. Augent aliquatenùs Fundamentum Controverſiæ aliqui Articuli, qui fuerunt *anno* 1595., *die* 23. *Jan* intèr Deputatos Illuſtriſſimi Domini Berlemontii, & Vicarios Archiepiſcopatus Mechlinienſis, pacti, & conventi, ad vitandas, quæ contingebant, difficultates; eoſque producit Zypæus *lib.* 1. *de off. Ordin. n.* 5. Diana, *tom.* 7. *tract.* 7. *de bello*, *Reſ fin. n.* 7, quoſve duximus hic pro maiori intelligentia tranſcribere, ità materia, de qua agimus, poſtulante.

ARTIC. I. Quod perſona Gubernatoris Generalis, omnium Domeſticorum ipſius utriuſque ſexus, & eorum, qui ſunt de ejuſdem Gubernatoris cuſtodia, tàm tempore pacis, quàm belli, vulgariter Hallabardiers, & Archiers gallicè nuncupati, ſint ſubiecti Ordinario Loci, ubi habent ſuum domicilium; ſed ſimulatque egrediuntur dictum ordinarium domicilium, ut accedant ad Exercitum regium, cenſentur eſſe ſubditi Delegato Apoſtolico.

ART. II. Similiter omnes Nobiles, & alii inferiores, qui, ceſſante exercitu, habent ſuos Ordinarios in his partibus, quando ſubſiſtunt iis in locis, ubi eſt fixum ipſorum domicilium, cenſentur ſubditi eorumdem Locorum Ordinariis, etſi alioquin habeant officia, & ſtipendia ratione dicti Exercitus. Qui verò non habent in hiſce partibus ſuos Ordinarios, & Caſtra ſequuntur, habentque officia, aùt ſtipendia regia ratione ejuſdem Exercitus, ii cenſentur quando Exercitus conſiſtit, ſubditi dicto Delegato Apoſtolico.

ART. III. Antiqua etiam Præſidia, quæ erant an.. Exercitum, ratione cujus emanavit illud Breve Apoſtolicum; quæque manere, & foveri ſolent ſumptibus Regiis etiam tempore pacis, ſpectant ad Ordinarios Locorum: quoad alia Præſidia, quamvìs ſubdita maneant Delegato Apoſtolico, tamèn

favore

favore Eccleſiaſticæ diſciplinę in animadverſione delinquentium erit præventioni locus.

Art. IV. Perſonæ autèm Caſtra ſectantes, & ad Exercitum ſpectantes, ſi de Exercitu ſe ſe ad tempus negotiorum causâ ad Urbes, aut alia loca extra Exercitum recipiant, manent in omnibus ſubjectæ dicto Legato Apoſtolico.

Art. V. Quæ tamèn omnia ſupradicta ſic intelligenda ſunt, ut Parochis liberum ſit adminiſtrare Sacramenta, & Sepulturas omnibus divertentibus ad ſuas Parochias, & in eis morientibus, ſalvis juribus. Judicialia verò exercebuntur per Superiores reſpectivè eorum, de quibus præſcriptum eſt in præcedentibus Articulis.

§. 11. Hiſce prolatis Articulis, immediatè ſubdit Diana ex Zyp. *loc.cit. nu.* 11. An autem ob præſentes inducias bellum ampliùs durare non cenſeatur, & recurſus ad Ordinarios Locorum non eſſe difficiles, utpotè cum non in acie, ſed in continuis præſidiis Milites verſentur; ac ea proptér locus ſit *Cap.* 20 *ſeſſ.* 24. *Concil. Trid.* nolim diſputare, nec modò opus; cum Urbanus VIII. renovarit, finitum non fuiſſe bellum, ſed ſuſpenſum, ſatis diximus, ait Zyp. *in indice lib.*4. *cap.* 21. difficultas recurſus minuta erat, deſinente ambulare exercitu; & ferè locus tantùm erat iis, quæ conventa de præſidiis, in quæ iam omnis Miles erat remiſſus, & ferè permanentér; Minuta, inquàm, non omninò ſublata: iiſque de cauſis nec delegatio deſierat, & reviviſcente pridém bello, antiquum obtinet: sìc ille.

§. 12. Circa Art. 5. admonet Zyp. *in reſp. de jur. Can. Reſp.* 1. *n.* 12. fuiſſe *anno* 1624. declaratum, non licere Parochis aſſiſtere Militibus, ſeu perſonis de exercitu matrimonium contrahere volentibus, niſi tanquàm præſidiarii in eorumdem Parochiis reſideant; quæ ſanè declaratio rectè conformatur juri communi Concil. Trid. *cap.* 1. *ſeſſ.* 24. *de reform. Matrim.* ubi ad validitatem matrimonii verè requiritur aſſiſtentia Parochi; nàm dictio, *tanquàm*, denotat ſimilitudinem, & veritatis impreſſionem, juxtà *Text. in l.* 1., ibi, *& tanquàm adulationem*, *Cod. de hæred. inſtit.*, *& in l. Sapè, ff. de verb. ſignif.*, *& l. Si*

fami-

familia, ff. de iuriſd. om. jud., & dictio, *niſi*, de ſui natura inducit exceptionem; & in effectu adverſatur præcedentibus, ut in *l. Actione*, ubi Bart Jaſ. & cæteri, *de Tranſact.* & *in Regula* 4. *Peccatum, de reg. jur. in* 6.

§. 13. Ex concordatis igitùr intèr innutos duos Præſules, Cameracenſem nempè, & Mechlinienſem, ſivè eorum Deputatos, habetur, Milites, ſi reperiantur in Diœceſibus ſuorum Ordinariorum, ſeù extrà Militiam, ſuos habentes Ordinarios, ad quos propterea, ſicut ad Parochos, difficilis haud ſit recurſus, Ordinariis ſubjacere; habeturque ex eiſdem pactis & conventis articulis, non in Presbyteros tantùm, ſed in Milites, aliosque Laicos, Caſtra ſectantes, etiam Delegato competere fori externi judicium; ut in his Delegatus ſolus, in illis ſoli Ordinarii, in aliis utrique per præventionem munus exercere poſſint.

§. 14. Hùc, ſeù ad hoc controverſiæ Fundamentum accedunt quoque varia hujuſmodi Brevia Interpretantium placita. Dicitur in procemio Brevis, Delegato, & ab eo ſubdelegandis omnimodam concedi juriſdictionem Eccleſiaſticam in eos, qui ibi, ſeù in Exercitu pro Sacramentis Eccleſiaſticis Militibus miniſtrandis reperiuntur; ſed matrimonii, quod intèr Sacramenta Eccleſiaſtica comprehendi, de fide eſt, celebratio, cui tribuatur, non additur; imò nè quidém fuit in principio Brevis mentio matrimonii peracta; nec fortè intentio, nec omnibus Caſtrenſibus Sacerdotibus promiſcuè tunc commiſſa facultas. Hinc nonnulli ex Brevium Interpretibus putant, Militum matrimonia omnimodè ſubjacere diſpoſitioni *Cap.* 20. *ſeſſ.* 24. *de ref. Conc. Trid.* ubi cauſæ matrimoniales juriſdictioni Epiſcopi relinquuntur. Alii verò diverſimodè ſentiunt, nempè, ad militum matrimonia, Delegati, & ab eo Subdelegatorum juriſdictionem ſe ſe extendere; & alii in dictorum matrimoniorum contingentia aſſerunt, eſſe ad Sedem Apoſtolicam recurrendum: & ideò de hac materia, infrà in Diſcuſſione, ſuo loco, non ità parcè ad difficultates elucidandas, agemus.

§. 15. Summus Pontifex omnimodam quidèm concedit Delegato in Sacerdotes Caſtrenſes poteſtatem; ſed Breve illam reſtringit ad eos, qui non ſunt in propria Diœceſi, ſub qua illorum Ordinarii juriſdictionem ſuam exercere in eos poſſunt.

Digitized by Google

Quæ autem ſit propria Clerici Diœceſis, in qua debeat juriſdictio Delegati ceſſare, locumque habere juriſdictio Ordinarii, diſputant Doctores. Sapientiores cum diſtinctione procedunt, dicentes ſcilicèt, propriam Clerici Diœceſim ad effectum Ordines ſuſcipiendi, effici per nativitatem, beneficium, vel domicilium, adducentes Text. in *Cap. Cum nullus, de tempor. Ordinat. in* 6. & ad effectum fori, per delictum, contractum, vel quaſi, vel ſitum rei, de qua ſit quæſtio; adferentes Textum *in Capit. Volentes, de privileg. in 6. l. Hæres abſens, ff. de judic.* Hinc inſpectâ diſpoſitione Brevis, propriam Diœceſim, & Ordinarios ſuos allegantis, admittunt, in Diœceſi propria juxtà primum ſenſum, ceſſare Delegati juriſdictionem; minimè verò ceſſare in Diœceſi propria, juxtà ſecundum ſenſum, ſeù in ea, cujus Ordinarius non eſt ſimpliciter ſuus, ſed ex accidenti delicto, aùt contractu dumtaxàt juriſdictionem nanciſcitur in Alienos. Unde concludunt, quòd ſicut in hujuſmodi facti, & loci contingentia poteſt Ordinarius in quemvis exterum in ſua Diœceſi delinquentem juriſdictionem ordinariam exercere; ità & Delegatus poterit in Sacerdotem Caſtrenſem exercere juriſdictionem ſibi à Pontifice tributam, juxtà ordinem præventionis; cum Breve nullatenùs Caſtrenſem eximat ab illa juriſdictione.

§. 16. In hiſce itàque; aliis, quæ ſunt minoris momenti, prætermiſſis, tota, quæ oritur intèr Locorum Ordinarios, & Delegatos Apoſtolicos, ſeù Capellanos Majores Exercituum fundatur Controverſia; à nobis in ſequentibus Capitibus, Deo favente, pro Tribunalium commoditate; pro Caſtrenſium Eccleſiaſticorum concordia; pro ſpirituali Militantium utilitate; pro fluctuantium conſcientiarum ſecuritate; in obſequium Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, cui me totum debeo, ad gloriam Dei, qui Dominus eſt Exercituum, Iſa. *cap. 6. verſ.* 3. theologicò-juridicè diſcutienda.

CA-

CAPUT I.

FACTI SPECIES.

Innocentius X. ſel. rec. conceſſit Regi Catholico Philippo IV. Breve, Dat. Romæ, ſub die 26. Septembris, anno 1644; & aliud ferè ſimile Ludovico Chriſtianiſſimo Francorum *Regi, Dat. Romæ, ſub die 16. Martii, anno 1646. Aliudque pariter ſimile* Ferdinando *Rom. Regi & Imperatori Electo, Dat. Romæ, die 23. Novembris, 1647. ſupèr diſpoſitione facultatum, Capellanis Majoribus Exercituum conceſſarum, abſque ullà reſtrictivà ad tempus Expeditionis. Capellanus Major Exircitus Hiſpaniarum prætendit, Milites, qui ſunt in Caſtris, & Stationibus pacificis, vulgò,* Piazze di Frontiera, *quando bellum ardet, vulgò,* quando la Guerra è viva, *in vim dictorum Brevium intelligi ſuæ delegatæ juriſdictioni ſubjectos, ac ſi eſſent in actuali expeditione. Econtrà, Eminentiſſimus Archiepiſcopus* Toletanus *contrarium ſentit, ſcilicèt, facultatem Capellani Majoris Exercitus intrà tempus expeditionis tacitè, ſeù præſumptivè reſtringi, & ſucceſſivè, Milites in Stationibus pacificis degentes ſuæ ordinariæ juriſdictioni, quoad Sacramentorum Eccleſiaſticorum adminiſtrationem, ſubeſſe. Controvertitur quid juris?*

§. I.

Nonnulla, quæ Controverſiæ reſolvendæ congruunt Diſcuſsioni, præmittuntur.

1 PRÆMITTIMUS primò, Milites in actuali expeditione eos dici, qui tempore vigentis belli ſunt in procinctu, atque ad pugnandum alacres; & expediti degunt in Caſtris, vel Reipublicæ tuendæ cautâ; vel ut ſatiùs Imperii fines propagare conentur: vel mandatum accipiunt ad caſtra ſe transferendi ad Hoſtem propulſandum. Rip. in *l. Centurio*, *ſub num.*20, *verſ.quidam* &c. *ff. de vulgar.*, *& pupill.* Julius Clar. *q.*25. *in Addit. ſub n.*12. Cyriac. *Controv.*201. *nu.*115. Molin. *de juſt.*, *& jur. tom.*1. *diſput.*129. *num.*3. Criſpolt. *in Caſib. militar. caſ.*46. *n.*9. 14. *& ſeqq.*, & alii plures, quos allegat Rota in *Cauſa Urbinaten. Immiſſionis*, *Lunæ*, 14. *Martii*, *anno* 1701. *coram Eminentiſſimo De la Tremoille*, Finckaltaus, *obſerv. milit.* 46. *num.*8. Barr. *de ſucceſſ. tit.*5. *de teſtam. Milit. num.*4. *& ſeqq.* Vinn. *Inſtit. lib.*11. *de teſtam. ſub num.*2. *verſ. In expeditionibus*. Boſſ. *Oper. moral. to.*2. *tit.* 11. §.2. *num.* 33. *de milit. teſtam.* Simon de Pret. *de interpret.ult.volunt.interpr.*2.*dub.*1. *reſolut.*8. *ſub nu.*9. *lib.*3. Gob. *conſ.*1. *n.*146. Rot. *deciſ.*511. *n.*13. *coram Cerro*: *& dec.*806. *num.* 12. *coram Merlino*, *& deciſ.*166. *nu.*6. *par.*14. *recent.* & iterum Rota *coram d. Eminentiſs. De la Tremoille*, *in ead. Urbinaten. Immiſſionis*, *Lunæ*, 12. *Decembris*, 1701. §. *Quid etiam*, &c. Omnes docentes, quando Miles dicatur in expeditione verſari. Subdimus pariter, ad majorem intelligentiam hujus termini, in Brevibus Pontificiis ſepè producti; Milites in expeditione tunc etiam dici, quando certa ſtipendia ſumunt, & â ſignis ſine periculo, ut ait Textus civilis mox allegandus, &, ut explicant Textus Interpretes, ſine debita licentia diſcedere non poſſunt: hos enim veros eſſe milites, & privilegiis Romanorum Militum gaudere, & frui, probat Textus innutus, & expreſſus in *l. Milites*, quæ eſt 7. *ff. Ex quib. cauſ. Major.* & dici in expeditionibus occupatos,

patos,

patos, tradunt Bald. in *l.*1.*Cod. qui bon. cedere poſſ.* Alex. *in l. Centurio, n.*23. *verſ.Hoc tamèn fallit, ff. de vulgar. & pupill.* Caſtren., & ibi etiam Jaſ. in *l. Milites, Cod. de milit. teſt.*, *Dec. in Rubr.* poſt *n.*4.*Cod. eod. tit.* verſ.*In ſecundo caſu*: Coſta, *de jur. & fact. ignor. Inſpect.* 84. *n.*13. Henriq. Ducerius, *de bello, & duello, lib.*1.*cap.*28. verſ.*Verum quid attinet ad primi generis Milites*; & plures alii, quos producit, & ſequitur Criſpoltus in *Caſ. militar. caſ.* 44. *n.*9. quorum locutioni addendum ducimus ad clariorem rei perceptionem, Milites dici in actuali expeditione ob continuas, & frequentes, expeditiones motus armorum.

2 Præmittimus ſecundò, Milites Stationarios illos dici, qui morantur in ſtationibus pacificis, videlicèt, vulgò, *ne' Quartieri d'inverno*, aùt in Caſtris, *Piazze di Frontiera* nuncupatis, ad cuſtodienda Regna, vel Civitates, ut docet Salic. in *l.*1. *nu.*8. verſ. *Ut potiùs conſideratur, ff. de jur. & fact. ignor.*, Bellin. in *Tract. de re milit. par.* 7. *tit.*3. *de privileg. milit. n.*37. Farin. *conſ.*95. poſt *n.*2. Maſtril. *dec.*173. *n.*21. quique ad tuendam alicujus Provinciæ quietem aluntur, *l.*1.§.*Quies quoque popularium, ff. de offic. Præfect. Urbis*; & ideò ſemper parati ad dimicandum adversùs Hoſtes eorum Principis, aùt ad invadenda aliena Regna, obſidendumque Fortalitia, aùt Civitates; parati, inquam, arma ſumere, iter aggredi, mortem obire. Unde parùm videntur differre à Militibus limitaneis, qui in hoſtium finitimis locis ad repentinas illorum incurſiones intenti ſunt, *l. In nomine Domini*, §. *Pro limitaneis, Cod. de offic. Præf. Prætorio Africæ*, *l. Duces Militum, Cod. de offic. militarium judicum*: ideòque Romani innumeris privilegiis milites ſivè actuali expeditioni, ſive ſtationibus traditos decorare duxere, ut ſcilicèt pro cuſtodia, & defenſione Romani Imperii omnibus ſoluti curis, armis vacarent, *l. Advocati, Cod. de Advocat. diverſ. judic.* Ex quibus, patet, quoad eſſentiam, ſivè ſubſtantiam militiæ, milites in actuali expeditione poſitos, & milites in ſtationibus morantes in hoc cõvenire; quòd omnes ſtipendia ſumunt; omnes armis operam dant; omnes ſub ſignis ſunt; ab eiſque abeſſe, Duce inconſulto, citrà pœnam capitis minimè poſſunt; ideoque totum diſcrimen, quod intèr ipſos reperitur, eſſe ab effectu deſumendum, animadvertunt Scribentes in *d. l. Centurio, ff. de vulg. & pupill.* unde ſi quieſcunt, ut vulgus dicit, *ne i Quartieri d'inverno*: ſi in propriis, aùt in alienis domibus pacifi-

pacificè degunt: ſi in Caſtris, quæ vulgus appellat *Piazze di frontiera*, causâ cuſtodiæ ſtant, Stationarii nuncupantur, & dicuntur eſſe in ſtationibus. Hos Milites Stationarios, non poſſe Militum privilegiis gaudere, & & ſic jure militari, nempè omiſſis juris communis ſolemnitatibus, teſtari, docet Gail. *lib.*2. *Obſer.*119.*n.*13. Zaſius, *conſ.*6. *num.*20., & noviſſimè Joann. Wurmſer. *in Controv.jur.lib.*2. *tit.*11. *controv.*2. *n.*3. Contrarium tamen ſuſtinui *tom.*1. *diſſ.* 41.*n.*13. *Theol.Bell.* Si verò ad bellandum, ſeù dimicandum mittuntur, Hoſtium fortalitia obſeſſuri, aùt Regna ab Hoſtium invaſione defenſuri, aùt jura ſui Regis propugnaturi, & qualecunque munus belli executuri, dicuntur eſſe in actuali expeditione. Quæ tamen cuncta meliori Peritorum in arte militari judicio perpendenda, & reſolvenda libenter ſubmitto. Quæque ſemper præ oculis habenda ſunt tamquàm principaliſſimum, imò unicum Pontificiorum Brevium, hanc materiam reſolventium, fundamentum.

§. II.

Facultates, quæ à S. Sede Apoſtolica Capellanis Majoribus Exercituum indiſtinctè, ſeù abſquè reſtrictivà ad tempus expeditionis conceduntur, intelligi, ſeù vigorem tantummodò habere, quando Milites in actuali expeditione reperiuntur, non eſt ambigendum,

3 DOCTORES noſtro aſſerto faventes, minimè producuntur, quia nullum de hac materia ſpecialiter tractantem, aùt mentionem facientem, & fortè nec de ea cogitantem, omni, quam potuimus adhibere, diligentiâ, invenimus.

4 Movemur igitur, primò juribus in *l. cum dotem*, in princ. *ff.ſolut.matrim.l.commodiſſimè*, & ibi Gloſſ. *v. qui omiſſus*, *ff.de lib.*

lib., *& poſth.* ubi habetur, quòd caſus omiſſus relinquitur diſpoſitioni juris. Juris autèm Periti docent, jura ad ea potiùs eſſe adaptanda, quæ, & frequenter, & facilè, quàm quæ rarò accidunt: Siquidèm, ut admonet Theophraſtus apud Groſ. *de caſib. reſervat. lib.* 1. *cap.* 13. *n.* 19. Leges conſtitui oportet in his, quæ plerùmque accidunt, & non quæ extra naturalem curſum eveniunt. Ex his verò, quæ fortaſſis in aliquo caſu evenire non poſſunt, jura non adaptari, ſcribunt Doctores. Quæ enim ſemel, aut bis, ſeù quandoque accidunt, à Legislatoribus contemni, probat Textus *in l. Jure*, *l. Non ambigitur*, *l. Neque leges*, *ff. de legibus*, & *Senatusconſultis*. Scimus autèm, quòd Summus Pontifex quando Capellanis Majoribus Exercituum facultatem concedit ea peragendi, quæ Militantium ſalus poſſet exigere, ferè ſemper ſuis in Brevibus declarat, hujuſmodi privilegium concedi pro tempore expeditionis, ut patet præſertim in duobus Brevibus, infrà per extenſum referendis, Sanctiſſimi Domini Noſtri Clementis XI. ſanctiſſimè regnantis, uno ad Archiep. Mechlinien., altero ad Archiep. Nazarenum, Nuncium Apoſtolicum apud Cœſaream Majeſtatem Joſephi Imperatoris, nunc Cardinalem digniſsimum; & ideò ſi quandoque, ſeù in aliquo caſu omittatur hujuſmodi declaratio, Mens tamèn Summi Pontificis, quamvis ſit dubia, nihilominùs interpretanda eſt inſtar jurium, quæ volunt, ſeù diſponunt in caſu omiſſo ea locum habere, quæ in pleriſque caſibus exprimuntur; & ſucceſſivè, aſſerendum eſt, mentem Papæ ſemper eſſe concedendi quidèm Capellano Majori Exercitus omnimodam juriſdictionem, exercendam tamèn ſolummodò tempore expeditionis.

5 Movemur ſecundò rationibus in jure fundatis. Communis eſt Canoniſtarum doctrina, & intèr eos, Abb. *in Capit. cum in jure*, *num.* 3. *de Off.*, *& pot. Deleg.* Delegato jus nequaquàm competere cognoſcendi, ſivè agendi ultra comprehenſa ſivè explicitè, ſivè implicitè in Reſcripto: Quę autem comprehenduntur, ſeù diſponuntur in Brevi, ſivè Reſcripto Pontificio in favorem Militantium, ſunt ſpecialiter diſpoſita; eſt enim intèr cętera omnimoda juriſdictio Capellano Majori Exercitus conceſſa, quæ eſt ſpecialiſſima conceſſio: Speciale verò non eſſe trahendum ad generale, probat Textus in *Capit. ſanè*, *de privileg.*, & notant Scribentes, præſertim Merlin. *Deciſ.* 392. *num.* 25.: quod pariter conſtat ex fine Pontificiæ diſpoſitionis,

qui

qui eſt præbere remedia Militantium ſaluti, ubi Ordinariorum juriſdictio ad ipſos nequiret ſe extendere. Ergo dicendum eſt, Conceſſiones, ſeù facultates Pontificias Capellanis Majoribus tributas, vigorem non habere niſi quando Milites ſunt in actuali expeditione: Nobis favet authoritas Io. And. *in Capit. de cauſis*, *de Off. Deleg.* quem producit Abb. *in Capit. ſignificaſti*, *eod. tit. nu.2.* aſſerentis, quòd quando terminus fuit præfixus juriſdictioni, finito tempore, expirat juriſdictio: Terminum ſanè præfixum juriſdictioni Capellani Majoris eſſe expeditionem ſaltèm rationabiliter præſumptam, probant jura allegata, & alleganda.

6 Inſupèr fatentur omnes, Reſcripta delegatoria eſſe perpetua, & ſic durare tanto tempore, quanto durat actio, ſupèr quà, aùt circa quam conceduntur, niſi emanaret Reſcriptum contrarium, ſeù limitativum temporis, ut in *l. Falſo*, *Cod. de diverſ. reſcript.* Ergo ceſſante actione, quæ in caſu noſtro eſt expeditio, circa quam delegatio ſaltèm præſumptivè conceditur, ſequitur evaneſcere delegationem. Ergo dum Summus Pontifex in ſuo Reſcripto, ſivè Brevi vult aùt apertè, aùt præſumptivè, juriſdictionem, quam delegat Capellano Majori Exercitus, durare tantummodo tempore expeditionis; concludendum eſt, hujuſmodi juriſdictioni, tranſacto expeditionis tempore, vigorem, ſivè effectum omnimodè præpediri.

7 Demùm ſcimus, mentem Summi Pontificis in quavis ſua conceſſione juriſdictionali pro cauſis urgentibus ſpiritualibus, & contentioſis, eſſe aùt nullum, aùt illud, quod minus eſt præjudicium, Ordinariis inferre, ut indicant verba in enunciatis Brevibus appoſita, nempè--*Propterea quòd non facilè ad locorum Ordinarios*, *aùt ad Sedem Apoſtolicam recurſus haberi poteſt &c.* cum dictionibus ſequentibus, *Propterea*, *& idcirco*, importantibus cauſalitatem conceſſionis: Nàm dictio *Propterea* importat cauſam proximam & expreſſam, proptèr quam quis movetur ad aliquid agendum, ut docet Bart. *in l.1.Cod.de Senten. quæ pro eo*, *Tiraq. in Tract. Ceſſante causâ*, *lim.10. n.26.*, & dictio *idcircò* oſtendit cauſam; ejuſque natura eſt, ut cauſalitèr ponatur, ut tradit idem Bart. *in l. demonſtratio falſa*, §. *Quod autèm*, *verſ. Idem puto*, *ff. de condit.*, *& demonſt.* Conceſſiones igitur factæ, urgentibus cauſis, à Summo Pontifice ſatagente Animarum ſaluti proſpicere, cenſeri debent cum minori præjudicio Ordinariorum, ut probat etiam Textus in *Capit. cum venerabilis*, *verſ.*

Quia

Quia igitur, de Relig. dom. Certum eſt autem, majus præjudicium Ordinariis inferri extra tempus expeditionis, quo faciliùs poteſt ad Ordinarios, aut ad Sedem Apoſtolicam accedi, quàm tempore expeditionis, ut conſideranti patet. Ergo aſſerendum eſt, facultates Capellanis Majoribus Exercituum conceſſas, intra tempus expeditionis reſtringi.

8 Moveor tertiò Decretis à Congregatione deputata, & à Sacra Congregatione Concilii emanatis. Archiepiſcopus Mechlinienſis, recepto Apoſtolico Brevi, continente jurisdictionem Eccleſiaſticam, in Perſonas caſtrenſes tàm Eccleſiaſticas, quàm ſæculares exercendam, recurſum habuit ad Summum Pontificem pro confirmatione hujuſmodi Brevis cum aliqua majori facultate, præſertim quoad ordines, & minimè reſtrictâ ad eos, qui facilè acceſſum ad Ordinarium habere poſſunt: Commiſsâ cognitione Congregationi deputatæ *ſub die* 10. *Julii*; *&* 29. *Septembris*, 1690., dubiis propoſitis: Primo, *An petitum Breve delegationis ſit concedendum?* Et ſecundo: *An, & in qua parte ſit reformandum*: *Dictâ die* 10. *Julii*, 1690. emanavit Reſcriptum — Ad primum, *affirmativè*. Ad ſecundum, *affirmativè, & reformandum* in §. *finali*, *Volumus autem*, &c. appoſito in Brevi ſan. me. Innocentii XI., *& Capellanis concedendam eſſe facultatem adminiſtrandi Militibus, aliiſque omnibus, qui caſtra ſequantur, ea tantùm Sacramenta per Parochos Ordinarios adminiſtrari conſueta*; *& hæc quidem, eo dumtaxàt tempore, quo Exercitus reperitur in actuali expeditione. Secùs verò quando Milites degunt in præſidiis, & ſtationibus.*

9 *Die* 29. *Septembris* anni, quo ſuprà 1690., propoſitâ iterùm causâ; Brevi pręfato Innocentii XI. ſa. me. accuratè perpenſo, ſub *die* 3. *Januarii, anno* 1681. expedito; diſcuſſis verbis in d. §. *finali*: *Volumus autèm* &c., *& quandiù Exercitus præfatus non prodibit in campum, tenearis, ſaltèm per Vicarium tuum Generalem viſitare ſingulis annis, juxtà Paſtoralis Curæ exigentiam, ſtationes Militum, & Præſidiatorumdem in Civitatibus, Oppidis, Pagis, & Fortalitiis commorantium*; *ſupèr quo conſcientiam tuam, tuique Vicarii præfati gravamus*. Factâ ſupèr his per Eminentiſſimum Cardinalem Albanum tunc Secretarium Brevium, nunc Summum Pontificem, Optimum, Maximum, relatione, juxtà ſequentem tenorem, ad inſinuationem R. P. Hieronymi de Vecchiis, olìm Internuntii Bruxellenſis, ema-

emanaſſe à ſan. me. Alex. VII. ſub *die* 17. *Martii* 1666. Breve &c. Quarè, attento præjudicio juriſdictionis ordinariæ, quod quantùm fieri poteſt, reparandum venit; inſpectiſque abuſibus hucuſque irreptis, evellendis; Eminentiſſimi PP. ad hæc à Sanctiſſimo Domino Noſtro particulariter conſulti, Carpineus, Columna, Bonviſius, Albanus, ſtatuerunt, ſtandum eſſe in deciſis, *die* 10. *Julii* proximè præteriti; & verba Brevis, ut ſupra relata, reformanda fore, & eſſe, ac loco, & vice eorumdem infraſcripta imposterum, in ſimilibus apponenda, & reſpectivè ſubroganda -- *Volumus autèm ut ii, quos pro Sacramentis Eccleſiaſticis, Militibus, aliiſque perſonis quibuscunque dicti Exercitus miniſtrandis, ut præfertur, deputandos duxeris, pro iis tantùm Sacramentis, quæ per ſimplices Parochialium Eccleſiarum Rectores adminiſtrari conſueverunt; & his quidèm, eo dumtaxàt tempore, quo exercitus præfatus in actuali expeditione reperiretur. Secùs verò, quando Milites in ſtationibus, & Præſidiis degerent, adminiſtrandis deputati intelligantur.*

10 Prodiit noviſſimè in hujuſmodi materia aliud Decretum generale ejuſdem Sacræ Congregationis Concilii in cauſa Toletana, quæ reperitur in Regeſto authographo Decretorum ejuſdem Congregationis, *lib.* 59. *fol.* 25. ubi habetur, quòd delatâ controverſiâ intèr poteſtatem ordinariam Eminentiſſimi Archiepiſcopi, & Delegatam Capellani Majoris Exercituum coram Tribunali Nunciaturæ Hiſpaniarum; diſcuſſo Brevi ſa.me. Innocentii X. ſupèr conceſſione facultatum Capellano Majori Exercituum conceſſarum, emanavit Decretum, ut talis facultas intelligeretur dum Milites eſſent in expeditione: ſecùs autèm dùm morarentur in Caſtris, & Stationibus; quòdque dicta facultas eſſet etiam in Contractibus Matrimoniorum, & in hanc formam reſpectivè inhibitiones factæ utrique Curiæ per dictam Nunciaturam reformatæ fuerunt: Sed propoſitâ appellatione pro parte Capellani Exercituum, ad Sanctam Sedem, fuit admiſſa tantùm in devolutivo. Hinc Nuncius Apoſtolicus, datis litteris ad Eminentiſſimum Paulutium, addit, in præſenti ſupereſſe dubium; an Milites, qui ſunt in Caſtris, ſeù *Piazze* nuncupatis *di Frontiera, quando la guerra è viva*, debeant in vim dicti Brevis intelligi ſubjecti Juriſdictioni Ordinariorum eo modo, quo ſunt illi, qui morantur in ſtationibus pacificis; ſeù potiùs conſiderari valeant, ac ſi eſſent in actuali expeditione ob conti-

nuas,

nuas, & frequentes expeditiones motus armorum; & proindè ſubdantur juriſdictioni Capellani Majoris in adminiſtratione Sacramentorum.

11 Die 27. *Aprilis* 1709. Sacra Congregatio Concilii, ad quam Sanctiſſimus Dominus Noſter Clemens XI. hujuſmodi dubium examinandum remiſit, reſpondit *affirmativè quo ad primam, & negativè quo ad ſecundam partem.*

12 Huic declarationi, & ſucceſſivè noſtro Aſſerto minimè obſtat Textus in *l.* 1. §. *Generaliter, ff. de leg. præſt.*, & in *l.* 2., §. *Homines, ff. de vi bon. rapt.* ubi habetur, quòd lex generaliter loquens debet generaliter intelligi; & ubi lex non diſtinguit, nec nos debemus diſtinguere: Unde ſi Papa in ſuo Brevi generaliter loquitur, & non diſtinguit tempus expeditionis à tempore ſtationum, debet Breve, quod eſt ſpecialis lex, generaliter ſumi & intelligi; ſiquidèm verba legis, ut volunt legum Interpretes, quamvis generalia ſint, reſtringuntur, & intelliguntur juxtà limites ſuæ rationis, quæ dicitur legis anima, *Capit. Ratio nulla, de præbend.*, *l. cum pater*, §. *Dulciſſimis, ff. de leg.* 2., & tradit Duard. *in Bulla Cœn. lib.* 2. *Can.* 1. *quæſt.* 47. *n.* 8.

13 Neque obſtat, parùm differre inter ſe quoad ſubſtantiam militiæ, milites expeditionis, & milites ſtationum; ex quo infertur privilegium, ſeù conceſſionem Pontificis ſi favet militibus expeditionis, poſſe paritèr favere militibus ſtationariis; nàm ad ſalvandam eſſentiam noſtri aſſerti, & validitatem Conceſſionum Pontificiarum; ſufficit inſpicere circumſtantiam temporis, cum iidem milites poſſint eſſe hodiè in expeditione, & cras in ſtationibus, juxtà mandatum Ducis. Quando igitur milites ſunt in expeditione, Breve Pontificis illis favet; quando poſtea in ſtationibus reperiuntur, Breve deſinit illis favere. A ſola igitur circumſtantia temporis tota Brevis, ſivè Reſcripti Pontificii limitatio eſt attendenda.

§. III.

Deducta ex traditis ſub præſenti Capite, ſcitu neceſſaria, enunciantur.

14 Deducitur primò, Milites dum ſunt in Caſtris, & Stationibus, non debere intelligi ſubjectos juriſdictioni Capellani Majoris Exercitus, ſed tantùm Ordinariorum, & ſic eorum cauſas ad Tribunal Ordinariorum eſſe deferendas: & ſi Pars contraria aliter præſumeret, recurrendum eſset ad remedium appellationis, ut apparet in toto *Tit.*2. *de foro compet.*

15 Deducitur ſecundò, quamcunque juriſdictionem ſivè ſpiritualem, ſivè temporalem extrà territorium non ſe extendere, & ità obſervat Crottus in *l. Omnes Populi*, *n.*247., *ff. de juſt. & jur.* Roland. à Valle, *conſ.*24. *num.*17., *& conſ.*33. *num.*38. *vol.*3.: & ideò Edicta nequaquàm comprehendere non ſubditos, probat Text. in *Capit. Eccleſia Sanctæ Mariæ*, *de Conſt. l. Etiam*, *ff. de tutel.*, & docet Alex. *conſil.*43. *col.* 2. verſ. *ſed præmiſſis non obſtantibus*, *vol.*5., ubi inquit, Statuta non ligare forenſes, prout edictum, ac bannum forenſes non ligare, inquit Thom. Grammat. in *Conſil. crimin.*25. *n.*1. *&* 3.

16 Deducitur tertiò, Delegatum ad cognoſcendam aliquorum cauſam in certa provincia, ſivè Diœceſi, non poſſe extra illam cognoſcere, niſi ad id accedat expreſſus Partium conſenſus, quod etiàm tenet Abb. in *Capit. Cum olim*, *ſub n.*3. *de offic. & pot. Deleg.*

17 Deducitur quartò, Magiſtratum, quiſquis ille fuerit, poſse quidem in ſuos ſubditos, ac in ſuo territorio edicta & ſtatuta facere; at extra ſuam juriſdictionem nihil facere poſse, tenet etiam Borrell. *de Magiſtr. lib.*2. *cap.*9. *n.*2.; & ei, ſuiſque Edictis impunè non pareri, probat Textus in *l. fin. ff. de juriſdict. omn. Judic.*

18 Dedùcitur quintò, obitèr in gratiam Eruditorum, Principem, Regem, Imperatorem, qui in eorum ditione tantùm habent imperium, ſuntque Perſonæ publicæ; extrà tamèn eorum juriſdictionis ac poteſtatis locum, eſse loco Privatorum. *Capit. Per venerabilem*, *extra*; *qui fil. ſint legit. Capit. Cum ad verum*, *Capit. Duo ſunt*. *Capit. Si imperator*, *diſt.*96.

19 Deducitur ſextò. Ad Parochum

chum jure pertinere Sacramenta miniſtrare Militibus infirmis, qui ſunt in ſua Parochia, & in Stationibus Pacificis, aùt in Præſidiis degunt: Secùs verò quando Milites in actuali expeditione reperiuntur. Dixi jure pertinere ad Parochum &c. addens, qui ſunt in ſua Parochia; nàm ex privilegio id agere poſſe Regulares privilegiatos cum his, qui eſſent in Locis eorum Religionis, aſtruit Alex. Peregrinus *in Compend. privileg. Cler. Regul. tit. Communicare*, §. 3. ubi ſcribit, Presbyteros „ noſtræ Congregationis poſſe „ Sacramentum Euchariſtię etiam „ pro Viatico conſtitutis in articulo mortis, & Sacramentum „ Extremæ Unctionis miniſtrare non ſolùm Clericis, & Fratribus noſtræ Congregationis, „ ſed etiam Mercenariis, Famulis, Operariis, & Servis ejuſdem noſtræ Congregationis, „ nec non quibuſuis Hoſpitibus „ etiam ſæcularibus, & extraneis, quos in locis, & habitationibus Congregationis noſtræ tunc reperiri contigerit; „ & in mortis articulo, & quoties de illo dubium fuerit; & „ id etiam Parochorum licentia „ minimè obtentâ, imò nè quidèm per nos petitâ: Subdit, iſtud privilegium fuiſſe à Pio IV. norſtæ Congregationi conceſſum, & à S. Pio V. Idibus Febr. anno 1567. confirmatum.

20 Deducitur ſeptimò, non licere Parochis tempore expeditionis aſſiſtere Militibus, ſeù perſonis de exercitu matrimonium contrahere volentibus: & id fuiſſe declaratum *anno* 1624 diximus *in declaratione Fundamenti Controverſiæ*, §. 13. id enim ſpectat ad Capellanum Majorem Exercitus, cujus delegatæ juriſdictioni non eſt præjudicium aliquod inferendum: Secùs verò ſi Milites, volentes contrahere tanquàm Præſidiarii in eorumdem Parochiis reſiderent: ſic etiam tradit Zypæus *in Reſp. de jur. Can. Reſp.* 1. *num.* 12.

21 Deducitur octavò, minimè licere Capellano Majori Exercitus indulgere Regularibus, ut poſſint in eorum Eccleſiis ſepulturam adminiſtrare Militibus decedentibus dùm ſunt in pacificis ſtationibus; præſertim quando ſunt perpetuò præſidiarii, ut v. g. ſunt Milites præſidiarii Magnæ Arcis Urbis S. Angeli, quatenùs ibi diù, noctùque commorentur, & moriantur, quos ad Parochiam ejuſdem Arcis, quæ S. Maria Tranſpontina, dumtaxàt ſpectare, notat Illuluſtriſſimus, ac Reverendiſſimus Archiepiſcopus Damaſcenus in ſuis præclaris *Commentariis ad Conſt. Apoſtol. tom.* 2. *Conſtit.* 9. Innoc. III. incip. *Operante*, *Sect. unic. num.* 4. ubi

ran-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

tangens obitum cujuſdam Militis Præſidiarii d. Arcis in Parochia Domus ejus Conſanguineorum caſu ſequutum, aſſerit, fuiſſe à Sac. Congregatione, *die* 17. *Auguſti*, 1607. *in Romana Juris ſepeliendi* reſcriptum, ſpectare jus ſepeliendi ad Eccleſiam S. Mariæ Tranſpontinæ, Parochiæ Caſtri S.Angeli, non autem ad Eccleſiam SS. Simonis & Judæ, Parochiam Domus; & emolumenta eſſe reſtituenda dictæ Parochiæ S. Mariæ, & quidem rectè: nam Miles ſi fortalitii defenſioni quaſi perpetuò affixus eſt, domicilium ſortitur, juxta Textum punctualem *in l. Municeps* 23. §. 1. *ff. ad Municipal.* Et ſic redditur Ordinarii jurisdictioni ohnoxius. Secùs verò ſi mors illis contigit dùm in actuali expeditione reperiuntur: quo in caſu, ſi permittat, aut mandat Delegatus, ſivè Capellanus Major Exercitus, illos in Eccleſia Regularium ſepeliri, quærunt Doctores nùm quarta funeralium ſpectaret ad Epiſcopum, vel Parochum: Paſq. *p.* 1. *Controv. Epiſc. & Regul. n.* 28. admittendo quartam funeralium de jure communi Cathedrali, aut Parochiali Eccleſiæ deberi, *Clement. Dudum, de Sepult. capit.* 1. *&* 4. *cap. Cum quis, pariter eod. tit. in* 6. negat Regulares exemptos, ſivè privilegiatos; & in ſpecie nos Clericos Regulares, vulgò Theatinos, ad hujuſmodi quartam ſolutionem teneri, adducens deciſionem S. Rotæ in *Lic*ie*nſi quartæ funeralium*, 15. *Januarii*, 1618. *coram Decano*, atteſtantis, noſtram Congregationem, ſeù Religionem eſſe à dicta quartæ funeralium ſolutione exemptam, cum Clemens VII. Paulus IV. Gregorius XIV. dictis Clericis Regularibus communicaverint omnia privilegia aliis Regularibus conceſſa; quare cenſentur etiam communicata privilegia eximentia à dicta ſolutione quartæ, inter quæ adeſt privilegium Julii II. conceſſum Minimis, *de anno* 1506. & aliud ejuſdem Pontificis conceſſum Minoribus de Obſervantia, *anno* 1511. ſui Pontificatus 8. & aliud Pauli III. conceſſum Minoribus, *anno* 1544. & poſtremò aliud Pauli IV. conceſſum Ordini Prædicatorum, *anno* 1556. quę per extenſum refert Archangelus Caratia *de quarta funeralium, cap.* 1. Subdit S. Rota, huic deciſioni non obſtare Concilium Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 13. *de ref.* favens Parochis, cum ejus decretum non comprehendat Religioſos privilegiatos, neque Monaſteria fundata poſt publicationem hujus Concilii, neque ante fundata, ſed ſolita non ſolvere: ad quod probandum producit Declarationem Sac. Congregationis Concilii, quæ

talis

taliſ eſt : *Congregatio Concilii cenſuit non comprehendi Monaſteria ædificata quadraginta annis citrà, aut quæ in dies ædificantur, vel in futurum ædificabuntur; præſuppoſitò quòd hujuſmodi Monaſteria ſint ejus* Religionis, *cui à Sede Apoſtolica indultum ſit, ut quartam funeralium non debeant ſolvere Epiſcopo*. Quam declarationem eſſe authenticam, & ut talem fuiſſe approbatam, aſſerit Rodriquez *tom.1.qq.Regul.qu.39. art.2.* ubi producit dictam approbationem, ut teſtatur Paſq. *loc. cit.* ibidem referens per extenſum Decretum de emolumentis funeralibus, *die 5. Octobris, anno 1629.* pro RR. DD. Parochis Urbis contra quoſcumque; nonnullaque reſolvens dubia circa cereos, ſeù candelas, quæ dantur ad manus Regularium pro tumulo; quaſque ipſi portant corpus Defuncti aſſociantes; nec non circa Cadelas, quæ accenduntur in Altaribus, exiſtente corpore Defuncti ſuper terram; an ſcilicèt hujuſmodi cerei, ſeù candelæ debeant vigore præfati decreti cum Parocho dividi. Circa verò cereos, qui deferuntur per viam, propoſito nuperrimè dubio in Sacra Congregatione Concilii ſuper eorum diviſione, *in una Mantuana Quartæ, die 18. Julii, anno 1699.* eadem reſcripſit, *in caſu, de quo agitur, ſervandam eſſe conſuetudinem ſolvendi Quartam in medietate Cereorum tantùm, qui deferuntur per viam*. Hiſce cunctis nihil de meo addendum duxi, utpotè conſiſtentibus in Deciſione Sac. Rotæ, in Conſtitutionibus Pontificiis, in Declarationibus, & Decretis Sac. Congregationis Concilii, atque tantorum Virorum doctrina, quibus repugnare eſſet animadverſionem incurrere.

22 Deducitur nonò obitèr, teſtamentum, ſivè à Militibus, ſivè à Militum Duce conditum, qui in actuali expeditione reperiebantur, militari jure ſuſtineri : prætèr doctrinas ſuperiùs productas, adſunt Textus aperti in §.1. *Inſtit. de Milit. teſtam.* ibi -- *Cum in expeditionibus occupati ſint* &c., & in §. *Planè*, ibi -- *Id privilegium, quod militantibus datum eſt, ut quoquo modo facta ab his teſtamenta rata ſint*, &c. Juncto §. 3. *verſ. quatenùs militant* &c. & tenet Sac. Rota in *Urbinaten. Immiſſionis, Lunæ 14. Martii 1701. coram Eminentiſſ. De la Tremoille*, §. *Minuſque etiam*. Id privilegium limitant Alber. in *l.Milites, n.4. verſ. ipſe autem, ff. de milit. teſtam.* Ripa, *in l.Centario, n.11. ff. de vulg., & pupill.* & alii, qui aſſerunt, Milites teſtantes extrà aciem, & extrà locum hoſtilem, quamvis ſint,

ſint in expeditione , minimè gaudere privilegiis Militaribus . Hic animadvertimus , locum hoſtilem dici illum, in qno Hoſtes adſunt , vel bellum geritur : ut etiàm notant AA. allegati;quibus additur Carill.*deciſ.* 262.*n.*10., ubi dicit , quòd locus hoſtilis eſt ille , qui ab Hoſtibus occupatur : quod priùs obſervaverat Donell. in *l. Scriniarios* , *num.*4. *Cod. de teſtam. milit.*

23 Deducitur ultimò , Miſsionariis , ſeù Delegatis , & Subdelegatis Exercituum minimè licere , eas , quas habent, facultates , ſuperiùs relatas , ad praxim deducere , niſi in terminis , ſeù niſi cum reſtrictione , exceptione , & modificatione Brevium,in fine referendorum,Sanctiſs. Dñi Noſtri CLEMENTIS XI. qui ad occurrendum inconvenientibus , & confuſionibus , quæ poſſent contingere , & fortè contigerunt in miniſtrando Militibus Eccleſiaſtica Sacramenta , in tali forma ea duxit concedere.

CA-

CAPUT. II.

FACTI SPECIES.

In Exercitu Catholico plures eliguntur Presbyteri, tùm ſęculares, tùm Regulares, pro miniſtrandis Militibus Sacramentis, aliiſque functionibus ſpiritualibus peragendis. Capellanus major dicti Exercitus prætendit, eos ſibi omnimodè ſubjici; poſſeque proptereà in eos ſuam juriſdictionem delegatam exercere. Ordinarius Loci, ubi Exercitus degit, conqueritur, dicens, Sacerdotes tùm ſæculares, tùm Regulares, ſuos eſſe ſubditos: & ideò illos ſuæ juriſdictioni ordinariæ, non verò delegatæ juriſdictioni Capellani majoris Exercitus eſſe obnoxios. Controvertitur quid juris?

§. I.

Præmittenda, quibus Controverſia diſcutitur, enunciantur.

1 PRÆMITTENDUM eſt igitùr primò, juriſdictionem ex communi Doctorum ſenſu in *Rub. ff. de juriſd. om. judic.* nil aliud eſſe, quàm officium, ſeù facultatem jus dicendi, ſivè ſententiam proferendi; & eſſe duplicem, ordinariam unam, delegatam alteram; Primam eſſe, quæ jure proprio, & ſic ratione Officii, Prælaturæ, Parochiæ &c. habetur; & ſecundam eſſe, quæ à jure alieno derivatur, probat Textus, & Gloſſa in *Capit. Adjicimus, cauſa* 16. *q.* 1. Inſupèr juriſdictionem tàm ordinariam, quàm delegatam dividi in Eccleſiaſticam, & ſæcularem, oſtendi in noſtro *Rom. Pontif. Propug. Art.* 41. §. 1. *num.* 5. & alibi. Quam diviſionem hìc omitto, quia repetere, quod dixi, incongruum duco: Tantummodò ſubdo, juriſdictio-

nem Eccleſiaſticam ordinariam reſidere penes omnes Ovium Chriſti Paſtores, ut eſt in primo loco, Summus Pontifex, Primas, ſeù Patriarcha, Archiepiſcopus, Epiſcopus, Abbas, Parochus; & quiſquis eſt Ordinarius: Quibus adduntur ipſorum Vicarii, quia ſimul ut creantur, habent ex diſpoſitione juris ordinariam jurisdictionem: Siquidèm eo ipſo, quòd à Summo Pontifice aliquis ex prædictis eligitur in Paſtorem Animarum, vel ab Epiſcopo aliquis eligitur in Parochum; hujuſmodi Paſtores habent ordinariam juriſdictionem in omnes eorum ſubditos, *Capit. Omnis utriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſ.* Idem dicendum eſt de Legatis Provinciarum, & ſic de aliis; ut oſtendunt Tituli particulares in jure Canonico; ut, *de officio Judicis Ordinarii: de officio Judicis Delegati, de officio Vicarii*, &c. & etiam colligitur ex *leg.* 1. *verſ. Cum Urbem, ff. de offic. Præfecti*, aliiſque juribus civilibus.

2 Procedamus nunc ad juriſdictionem delegatam, de qua potiſsimùm ſumus acturi, quam, que ſcimus reperiri apud illos, qui non jure proprio; & ſic ratione Prælaturæ, vel Parochiæ, ſed ex poteſtate Delegantis habent juriſdictionem ad certam, vel certas cauſas, ut videre licet tot. *tit. de offic. & poteſt. Judic. deleg.* Omne enim judicium ex ſui natura poſtulat, quòd Judex habeat juriſdictionem in eos, quos abſolvit, vel condemnat; aliàs ſententia ex defectu juriſdictionis evaderet nulla: & ideò cuilibet officio Fori judicialis eſt annexa juriſdictio, vel ordinaria, vel delegata, ut ſentiunt communiter DD. Juriſdictionem delegatam, poſſe, præſertim in Sacramento pœnitentiæ, quinque modis haberi, tradit eruditus Molf. *in Sum. par.* 1. *tract.* 7. *in c.* 15. *n.* 46. Quodque explicat *cap.* 17. agendo de electione Confeſſarii: 1. nempè, à iure, 2. à conſuetudiue, 3. ab homine, 4. à materia, 5. à neceſſitate.

3 Eſt tamen advertendum, juriſdictionem in dubio præſumi conceſſam ordinariam, non delegatam, quod aſſerit Pan. in *capit. Relatum, num.* 5. *de offic. & poteſt. jud. deleg.* ubi docet quomodo poſſimus cognoſcere quando conceſſa juriſdictio eſt ordinaria, & quando delegata, dicens nempè, quòd ſi Princeps, vel Lex, ſeù Conſuetudo tribuat ſimplicitèr juriſdictionem ſuper unam Provinciam, ſeù ſuper unam Civitatem, vel Caſtrum; ſeù concedat juriſdictionem ſimplicitèr ſupèr univerſitate cauſarum, videtur concedere ordinariam; niſi

niſi exprimat verbum : *Delegamus*; vel dicat, *Facias authoritate noſtrâ* : & in hoc caſu cenſetur concedere juriſdictionem delegatam. Si verò in tali commiſſione adiiciatur particula *Etiam*, veluti dum dicitur: etiam *authoritate noſtra*, *vel tanquàm Apoſtolicæ Sedis delegatus*, intelligimus, quòd Judex Ordinarius utramque habet poteſtatem, ordinariam ſcilicèt, & delegatam, & docet Aug. Barboſ. *de offic. & poteſt. Epiſ. par.* 3. *alleg.* 92. *num.* 11. ſiquidem particula *Etiam* unum caſum exprimit, & alium includit, ut habetur ex *Tex. in Clem.* 2. *de hæret.* & notat idem Barboſ. *de Clauſulis uſufr. clauſul.* 12. *num.* 4. ibidem ſubdens, quòd ſi ab eodem Judice, aliàs Ordinario, appelletur, non ad Summum Pontificem, ſed ad Metropolitanum Ordinarium erit appellandum. Semotâ tamèn dictione *etiam*, quando lex, ſeù Princeps Judici aliàs Ordinario committit, intelligē circa illa, quæ, præcisâ commiſſione, ad illius ſpectabant poteſtatem; non delegata juriſdictio de novo tribui, ſed Ordinaria, quam jam habebat, excitari videtur, ut in ſpecie probat Textus in *cap. Licet, de offic. Ordin.* ibi: *Suæ juriſdictioni ſubjectos &c.* Jaſ. *in l. Jus civile, num.* 2. *ff. de juſt. & jur.* Menoch. *de præſumpt. lib.* 2. *præſumpt.* 16. *num.* 24. Et quotiès in commiſſione adjecta fuerit clauſula : *Authoritate noſtra* : *vel tamquàm delegatus à nobis*, aut ſimilis; tunc à Superiore juridictionem ordinariam Inferioris mutari in delegatam, non videtur ambigendum, inſpecto Textu *in l.* 1. *verſ. Omnia enim, Cod. de veter. jur. enucle.* juncta *l.* 3. *ff. de offic. ejus* &c. ubi dicitur, quod Delegatus licèt ſit aliàs ordinarius, tamèn vice Delegantis fungitur in cauſa delegata: quodque probat etiam in ſpecie Textus *in Cap. Cum aliquibus, verſ. Niſi, de reſcript. in* 6. & tradunt Menoch. *de arbitr. jud. quæſt.* 12. *à n.* 4. & alii plures, quos producit, & probat Barboſ. *loc. prox. cit. num.* 3. Facit etiam optimus Textus cum Gloſſ. *in cap.* 1. *de Cler. ægrot. in* 6. Ita paritèr ſentit Bart. *in leg. Et quia, ff. de juriſd. omn. judic.* & Innoc. *in cap. Cum ab Eccleſiarum, de offic. Ordin.* Pan. *loc. cit.* ubi notat, juriſdictionem ordinariam non à quolibet poſſe concedi, ſed tantummodò à Principe, vel Lege, vel Conſuetudine, vel Univerſitate, dum eligit Rectorem, & faciunt jura præallegata.

4 Præmittendum ſecundò, jus delegandi ſpectare ad ſupremos Principes, & in primo loco, ut res noſtra expoſcit, ad Summum Potificem, quod frequen-

tiſſimè ad praxim deducitur; Cum enim Ipſe ſit totius Orbis Orthodoxi in Cauſis Eccleſiaſticis Judex univerſalis, ut fusè juribus, & rationibus demonſtravi in *Rom. Pontif. Propug. Art.* 23. §. 2. *&* *ſeqq.* & Unus nequeat omnes audire, ducit alios eligere, qui vices ſuas gerant in judiciis, & juriſdictione contentioſa, nec non in rebus forum internum concernentibus; illiſque eam, quâ indigent ad agendum, impertiri poteſtatem, quam juriſdictionem delegatam appellamus. Tum quia ipſe, ſeù Summus Pontifex eſt omnium fidelium Pater, ut *eod. lib. art.* 10. §. 3. explicavi, obſtrictus propterea titulo paternitatis, eorumdem utilitati proſpicere; unde hiſce commiſſionibus magnis occurrit ſumptibus, quos ii, qui in remotioribus Regionibus degunt, facerent, ſi deberent Romam ad cauſas ſuas ibidem agendum accedere. Addimus, illum quoque poſſe delegare vices ſuas perſonis idoneis, diſcretis committere, qui à Summo Pontifice delegatus eſt, ſi fortè cauſam ſibi delegatam debilitate, vel aliâ juſtâ causâ prępeditus cognoſcere nequeat, *Capit. Si pro debilitate, & ſeqq. de offic. & poteſt. Deleg. l. A judice, Cod. de judiciis*. Quod quippè verum eſt, etiamſi Delegato ſuo mandaverit Summus Pontifex, ut perſonalitèr negotium exequatur: ſecùs verò, ſi mandaverit inquiſitionem fieri vel de Eccleſiis, de Prælatis, aliiſve Miniſtris provideri: cum iiſce caſibus induſtria, & fides perſonæ electa videatur, *Capit. fin. §. Is autem, de offic. & poteſt. Deleg. Capit. Is cui, eodem tit. in 6.* vel ſi nudum miniſterium exequendum commiſerit, ut puta, in poſſeſſionem inducat, diſpenſet, abſolvat, pœnitentiam injungat, ſententiam excommunicationis ferat, aùt aliud quid ſimile agat; nàm tali caſu, præter Legatum Sedis Apoſtolicæ, non poteſt Papæ Delegatus alteri vices ſuas committere, niſi ad id Papa ei ſpecialitèr indulgeret; quia non juriſdictionem, ſed potiùs certum miniſterium ei committi, monet Tex. in dicto *capit. fin. de offic. & poteſt. Deleg.* Et ità docet Abb. *num.* 2. *de offic. & poteſt. Deleg.*

5 Præmittendum tertiò, Delegatum eum eſſe, cui à Papa, vel ab alio Ordinario, ſeù Principis Delegato, cauſa decidenda, & cognoſcenda committitur, ut vult Goff. apud Pan. mox citandum; vel ut tradit Hoſt. apud eumdem, cui committitur cauſa decidenda, ſeù exequenda, tamquàm vices alterius repræſentanti, & proprium in juriſdictione nihil habenti, *Capit. Sanè*, il ſecondo,

de

de off. & poteſt. Deleg. l. 1. *ff. de offic. ejus, cui mand. eſt juriſd.* Nonnullas alias definitiones Delegati congerit Pan. in *Capit. Ex parte, num.* 1. *de offic. & poteſt. Deleg.* Idem in *Capit.* 1. *eod. tit.* obſervat, Delegatum Papæ in cauſa ſibi commiſſa habere poteſtatem non ſolùm in partes, ſed etiam in illos, qui ejus juriſdictionem impedire præſumunt, quamvis eſſent Ordinarii, & Majores; quod etiam exprimitur in *d. capit. Sanè*, il ſecondo, *de offic. & poteſt. Deleg.* Subdimus, quod rem noſtram apprimè concernit, Delegatum eum paritèr dici, cui mandata eſt juriſdictio eorum, quæ alioquin ad eum minimè pertinebant; hiſce verò ad eum pertinentibus, tunc ejus juriſdictionem dici excitatam, non delegatam; hancque jurisdictionem non expirare per obitum Mandantis; & debere eum ſervare ordinem in procedendo, tradit Felin. in *capit. Eum te, col.* 2. *de reſcrip.* & in *Rubr. de offic. Deleg. in fin.* Abb. in *capit. Licet, de offic. Ordin.* quos producit, & ſequitur doctiſſimus Card. Albanus in *Lucubrat. in Bart. in l.* 1. *ff. de offic. ejus, cui mand. eſt juriſd.*

6 Non incongruum hic ducimus adnotare, Delegatos eſſe in duplici differentia, alios nempè ab homine, de quibus locuti ſumus; alios verò à jure, ideſt, quia à jure delegatam habent juriſdictionem. Exemplum habemus Epiſcoporum, quos, in aliquibus caſibus alioquin Sedi Apoſtolicæ reſervatis, præcipuè circa Eccleſias, & Monaſteria exempta, eorumque perſonas, authoritate juris, ſine alio mandato, procedere, habetur ex Textu in *capit. Irrefragabili*, §. *Cæterum, de offic. jud. ord. capit. Ad abolendum in fin. de hæreticis, capit. unic. de Cler. ægrot. in* 6. nec non à Concil. Trid. variis in locis, præſertim *ſeſſ.* 6. *cap.* 2. & 3. *de reform. ſeſſ.* 13. *cap.* 5. *de reform. ſeſſ.* 14. *cap.* 4. *de reform.*

7 Præmittendum quartò, nomine Ordinarii intelligi omnes inferiores Summo Pontifici, quibus de jure, vel conſuetudine datur facultas conferendi beneficium, ut ſunt Patriarcha, Archiepiſcopus, Epiſcopus, & alii inferiores, Gloſſ. in *capit. Ordinarii, de offic. Ordin. in* 6. Reginal. *Tract.* 3. *num.* 236. *verſ. Nota obitèr*, ubi alios allegat, Garz. *par.* 5. *de benefic. cap.* 4. *cum ſeqq.* Quidquid dicat Rota *Deciſ.* 69. *num.* 15. *par.* 19. *rec.* ibi: *Cum Ordinarii nomen abſolutè dicat Epiſcopum, non itèm inferiorem.* Dixi omnes poſt Summum Pontificem; nàm Summus Pontifex eſt Ordinarius Ordinariorum,

rum, & Orbis; & ideò in beneficio vacanti concurrit cum quolibet Ordinario, *Capit. Cuncta per Mundum, cauſa 9. qu. 3.* quod omnibus notum eſt; proptereà datur locus præventioni inter ipſum, & Ordinarium, *Capit. Si à Sede Apoſtolica, de præben. in 6.* cum aliis pluribus cumulatis per Garz. *p. 5. de benefic. cap. 1. num. 8. & ſeqq.* adeòut, ſi conſtet de prioritate collationis, etiam per horam, præfertur proviſus à Papa: ſimilitèr in pari caſu proptèr dignitatem Providentis, ut *d. capit. Si à Sede*, ubi Gloſſ. v. *nec apparent*. Hæc dicta ſint incidentèr. Cæterum pro majori intellectu Rubricæ propoſitæ, addimus Ordinarium Locorum, ſeù Epiſcopum illum eſſe, qui committit curam Animarum, & executionem, ut in *Capit. unic. de Capell. Monach. in 6.* Phili. Franc. in *capit. 2. num. 10. de pœnit. & remiſſ. eod. lib.* cum aliis, quos producit Graff. *de Caſ. reſerv. lib. 1. cap. 2. num. 10.* Et Ordinarium, ſeù Epiſcopum proprium Clerici conveniendi, ad excluſionem Epiſcopi alieni, cui nefas eſt falcem mittere in alienam Meſſem, *capit. Scriptum, cauſa 6. qu. 3. & cauſa 9. qu. 2.* per totam, tùm ad excluſionem Judicis ſæcularis, ut *Capit. inolita*, & *capit. Placuit, cauſa 11. qu. 1.* ordinariè eſſe Epiſcopum domicilii, ſeù ubi Clericus habitationem habet, animo permanendi, *arg. l. Incola, 29. ff. ad municipalem*; & tradit Lay. *in capit. Si Clericus, qu. 2. num. 3. de for. compet.* Fag. in *cap. Si quis, Not. 1. n. 1. eod. tit.* Dicitur enim quis contrahere domicilium, ſi transferat ſe ad habitandum in aliquo loco, & declaret expreſsè, ſe habere animum contrahendi ibi domicilium; & tunc ſtatim illud acquiri abſque aliqua temporis expectatione, tradit But. in *capit. Ad Apoſtolicæ, de decimis*, Abb. in *capit. fin. de Parochis*, Felin. in *capit. Dilectus filius*, il ſecondo, *de Reſcrip.* Menoch. *de arbitr. jud. lib. 1. cent. 1. caſ. 86.* Quando verò animus contrahendi domicilium non apparet, tunc eſſe recurrendum ad conjecturas deducendas à qualitate actus, rei, & aſſumpti, ſivè à protractione temporis, & qualitate hominis, ut ex Abb. notant Scribentes; quarum prima eſt, cum quis in locum aliquem majorem ſuorum bonorum partem transfert, & docet Bart. in *l. placet, ff. ad municip.* Alias conjecturas producit Menochius videndus *loc. cit.* ubi plura habet circa domicilium, oſtenditque quando illud contrahitur, & quando non contrahitur. Circa hanc materiam videatur Manſ. *conſult. 60. num. 9.*

num. 9. 10. 11. ubi legalem diſtinctionem ponit intèr domicilium, & habitationem, quam aliqui volunt in tres dividi ſpecies, nempè in Domiciliarem, accidentalem, & occaſionalem, quâ diſtinctione non immoramur, ceu ad rem noſtram hìc minimè pertinente.

8 Præmittendum quintò, appellatione Capellani Majoris Exercitus illum intelligi, qui à Principe, vel Rege, vel Imperatore elegitur, & pro tempore deputatur; cuique à Sede Apoſtolica ſivè per Nuncium, ſivè per Legatum, ſivè per Epiſcopum juriſdictio Eccleſiaſtica delegatur quoaduſque Bella duraverint in tali Regione, cum facultate alios ſubdelegandi, in eos exercendâ, qui ibi pro Sacramentis Eccleſiaſticis Militibus miniſtrandis pro tempore erunt, atque cauſas Eccleſiaſticas, ſpirituales, & ad forum Eccleſiaſticum pertinentes, etiam ſommariè cognoſcendi, & decidendi, ſi contigeret, eas in exercitu exoriri. Hinc Delegatum à Summo Pontifice, vel ejus Legato, aut Nuncio, præter ætatem convenientem, eſſe oportere Juriſperitum, & non ſuſpectum, vult Textus in *capit. Cum R. Canonicus, de offic. & poteſt. Deleg.* & in aliqua dignitate, vel perſonatu conſtitutum, habetur ex *Capit. Statutum, in princ. de Reſcript. in 6.* necnon aliis qualitatibus præditum, præcipitur in *Conſtitutione* Bonifacii VIII. quæ incipit *Statutum*, & innuitur in Sancta Synodo Tridentina *ſeſſ.* 25. *de rform. cap.* 10.

9 Ex præmiſſorum diſpoſitione non obſcurè concluditur, juriſdictionem à Summo Pontifice, vel ejus Legato, aut Nuncio, Capellano Majori Exercitus delegatam, per ſe, vel per alium, aùt alios exercendam, minimè extendi ad Clericos, ſivè Presbyteros degentes in propria Diœceſi, in qua illorum Ordinarii, juriſdictionem ſuam ordinariam in eos exercere poſſent.

10 Movemur primò juribus in *l. Incola* 29. *ff. ad Municipalem*, ubi dicitur, Incolam juriſdictioni eorum ſubjectum eſſe, apud quos habitat, vel apud quos ex nativitate civis eſt: Ex quo infertur, Clericos, aùt Presbyteros eſſe judicandos privativè quoad alios ab Epiſcopo, ſive Ordinario tùm domicilii, tùm originis, ut vult Novar. *lib.* 1. *conſil.* 4. *de conſtitut. num.* 5. in cujus Diœceſi domicilium habent, ſeù habitant: & quamvis domicilium originis firmius ſit, quàm domicilium habitationis, quippe quod arbitrariâ migratione mutatur, *l. Domicilium* 20. *ff. ad municipalem*; nihilominùs do-

domicilium habitationis eſt principalius in ordine ad juriſdictionem: & hoc eſſe diſcrimen inter hæc duo domicilia, docet Bart. in *l. Aſſumptio*, *n.*2. *ff. ad Municipal.* quod ſubjectus juriſdictioni ratione domicilii, etiam abſens, citari poſſit ad parendum juriſdictioni; ſed ſubjectus ratione originis conveniri non poteſt, niſi in loco præſens ſit.

11 Additur Textus in *l.Cura*, §. *deficientium*, *ff. de mun. & ho. & l. Titia ſejo*, §. *Uſuras*, & ibi Gloſſ. & Bart. *ff. de legat.*2. cum aliis multis ſimilibus, ubi habetur, ceſſante cauſa privilegii, ceſſare privilegium. Quippè præſumptam cauſam privilegii, à Summo Pontifice conceſſi Capellano Majori Exercitus, eſſe difficultatem accedendi ad ipſum, vel Ordinarium in factorum contingentiis, conſtat ex Brevibus Pontificiis, infrà per extenſum allegandis. Ergo cùm Clericis, aùt Presbyteris degentibus ſub Diœceſi ſuorum Ordinariorum, facilis pateat acceſſus ad ipſos: quoad illos delegatio à Summo Pontifice, vel ejus Legato, aut Nuncio hoc in caſu non valet.

12 Additur etiam Textus in *l. Quotiès*, *Cod. de prec. Imper. offer. & l. Incivile*, *Cod. de rei vendica.*cum infinitis ſimilibus, ubi habetur, non valere Reſcripta, quæ jus alterius auferunt. Quis neſciat, Ordinarium habere jus, ſivè juriſdictionem in ſuos ſubditos, præſertim in ſua Diœceſi degentes? Nàm privilegia, ſemper eſſe intelligenda ſine præjudicio juris alteri quæſiti, admonet Tex. in *l.*2. §. *meritò*, *ff. ne quid in loc.publ.& l.Nec Avus*, *Cod. de emancip. liber.*

13 Additur inſupèr Textus Canonicus in *capit. Cum Epiſcopus*, & ibi Gloſſ. *v. habere*, & DD.notant *de offic. Ordin.in* 6. ubi dicitur, quòd Epiſcopus ſolus de jure communi habet juriſdictionem ordinariam in omnes perſonas Eccleſiaſticas (exceptis Regularibus) quæ in tota ſua Diœceſi reperiuntur. En verba Textus,, Cum ,, Epiſcopus in tota ſua Diœceſi ,, juriſdictionem ordinariam noſcatur habere, dubium non ,, exiſtit, quin in quolibet loco ,, ipſius Diœceſis non exempto, ,, per ſe, vel per alium poſſit pro ,, tribunali ſedere; cauſas ad Ec- ,, cleſiaſticum forum ſpectantes ,, audire: perſonas Eccleſiaſticas, cum earum exceſſus exegerint, capere, ac carceri deputare; nec non & cætera, quæ ad ipſius ſpectant officium, liberè exercere. Et ita ſentiunt communitèr DD. & inter eos, noviſſimè Fag. in *cap. Si quis*, *Not.*1. *num.*1. *de for. compet.*

14 Movemur ſecundò rationibus. Sedes Apoſtolica in ſuorum

rum privilegiorum conceſſione nunquam intendit Monarchiam Eccleſiaſticam, & Ordinem judicialem perturbare; privilegium igitur delegationis, quod Capellano Majori Exercitus concedit, intelligendum eſt, valere quando non adeſt Epiſcopus, aut ejus Vicarius; aut, ſi adeſt, ſuam non poteſt exercere ordinariam juriſdictionem, aliàs eſſet confuſio juriſdictionis, & perturbatio Ordinis Eccleſiaſtici, quam Eccleſia non poteſt intendere. Hinc Sacræ Congregationi de Propaganda Fide, propoſito olim dubio, num Miſſionariis uti facultatibus ſibi conceſſis liceret extrà Regna, vel Provincias, vel Loca, ad quæ ſunt deſtinati, videlicèt in itinere maris, aut terræ, occurrentibus caſibus extrà articulum mortis, ex defectu aliorum Sacerdotum, audire confeſſiones vel ſociorum itineris, vel etiàm Habitatorum illarum Regionum, per quas tranſire neceſsè eſt; quinta Auguſti 1630. referente Eminentiſſimo Domino Cajetano; Sacra Congregatio declaravit; Non licere, ne, ut reor, Epiſcoporum juriſdictio perturbaretur: quam declarationem refert noſter Verricellus, *Tract. de Apoſtolicis Miſſionibus, tit.* 15. *quæſt.* 266. ubi aſſerit, eſſe reiiciendam contrariam ſententiam Thomæ à Jeſu Maria, *de Converſ. omnium Gentium, lib.* 12. *in compend. privileg.* Ergò idem dicendum eſt in caſu noſtro, ſcilicèt, facultatem delegatam Capellano Majori Exercitus minimè extendi ad eos, qui ordinariæ juriſdictioni Epiſcoporum ſubiiciuntur, cum ſit eadem ratio, ut conſideranti patet; valet enim in jure argumentum ab identitate rationis, *l. Illud, in princ. ff. ad leg. aquil.* & *l. A Titio,* in princ. *ff. de verb. oblig.* & tenet Menoch. *conſil.* 278. *num.* 34.

15 Præterea, in hujuſmodi conceſſionibus ad occurrendum alterius præjudicio, ſolet ſemper apponi, ſaltem tacitè, dictio *tamen*, quæ eſt limitativa, reſtrictiva, ſeù exceptiva ſuperiorum, ut in *leg. Pro hærede*, §. *Quod autèm*, *ff. de acquiren. hæred.* & in *l. Ità tamèn*, *ff. ad Trebell.* & *l. Ubi adhuc*, §. *Ita tamèn*, *Cod. de jur. dotium*: & ſecundum Alex. *conſil.* 9. incip. *Attentis, num.* 4. *lib.* 7. & alios, eſt adverſativa, diverſificans unum caſum ab alio, & includens quod terminat, & omne aliud excludens: Ex quo infertur, juriſdictionem Capellani Majoris limitari, & reſtringi ad eos, qui ſunt extrà Diœceſim, & juriſdictionem Ordinarii, atque intelligi omninò excluſam, ubi juriſdictio ordinaria Epiſcopi, qui eſt terminus di-

ctionis aùt expreſſæ, aùt præſumptæ, poteſt benè exerceri. Quando verò dictio *tamen*, unà cum verbis declarativis exprimitur, ut apparet in duobus Brevibus Sanctiſſimi Domini Noſtri CLEMENTIS XI. in fine referendis, ceſſat omnis dubitatio: ibi enim poſt declaratam juriſdictionem Capellano Majori collatam in eos, qui in exercitu Militibus quoad res ſpirituales inſerviunt, ſubdit Summus Pontifex: *Qui tamen in propria Diœceſi, ſub qua illorum Ordinarii juriſdictionem ſuam ordinariam, in eos exercere poſſent, non ſint*. Caſus igitur, in quo Capellanus Major poteſt jure agere, diverſus eſt à caſu, in quo poteſt, & jure debet agere Ordinarius.

16 Demùm, intèr ea, quæ officii ſunt Judicis delegati, illud præcipuum eſt, nempè quòd debet diligentèr ſervare formam, & tenorem ſuæ delegationis, ſeù mandati: Siquidèm mandatum delegatorium, cum ſit ſtricti juris, atque extraordinariæ juriſdictionis, extendi non debet ultrà perſonas, vel cauſas in eo expreſſas, ut admonet Textus in *Capit. P. & G. 40. de offic. & poteſt. deleg. & capit. ſuper eo, de appell.* eſſeque propterea nullum, ſi quid contra tenorem egerit Reſcripti, probat optimus Textus in *Capit. Cum dilecta, de reſcript.* tanquàm à non habente juriſdictionem, ſed à Privato geſtum, *Capit. Cum olim, de offic. & poteſt. Deleg.* Conſtat autem apertiſſimè ex præallegatis Brevibus Clementinis formam, & tenorem delegationis Capellani Majoris, eos non comprehendere, qui ordinariæ juriſdictioni Epiſcopi ſubiiciuntur, imò ab eis expreſsè excludi. Ergò ſi quid in eos agit Capellanus Major, non ſolum irritum, & nullum erit ejus geſtum, ſed etiam uti ſui officii tranſgreſſor, atque Eccleſiaſticæ Monarchiæ perturbator, nec non Ordinis judicialis everſor, condignam merebitur punitionem, quæ ſaltèm erit officii privatio, aùt delegatæ juriſdictionis ſuſpenſio.

§. II.

§. II.

Plura ex traditis ſub præſenti Capite deducta, uti ſcitu digna, clarè explicata producuntur.

17 Deducitur primò, ubi terminus ſtatuitur Judici delegato, & ejus juriſdictioni, poſt lapſum termini, ſi non fiat prorogatio, expirare juriſdictionem, & poteſtatem devolvi ad Superiorem, juxtà Textum, in *Capit. De cauſis, de offic. & poteſt. Deleg.* Secùs verò ubi præfigeretur Judici tantùm; nàm tunc per lapſum termini non expirare juriſdictionem, ſed Judicem negligentem eſſe puniendum, juxtà *leg.1.Cod.ut omnes Judices tàm civi. quàm milit.* Bart. in *l. Properandum, Cod. de jud.* Pan. *in d.Capit. De cauſis, n.9.* ubi ex Gloſſ. dicit, doctrinam Bartol. eſſe limitandam.

18 Deducitur ſecundò, Delegatum Summi Pontificis per ſimplicem commiſſionem cauſæ poſſe citare Partes, & contumacem Eccleſiaſticâ ſeveritate punire; & omnia, & ſingula ad cauſam ſpectantia peragere. Adeſt etiam Textus in *Capit. Præterea, de offic. & poteſt. Deleg.* & tradit ibi Pan. *num.1.* ubi *nu.4.* allegat Bald. dicentem, quod Delegatus virtute delegationis poteſt ſibi conſtituere Officiales, eoſque punire, ſi delinquant; item teſtes coram eo delinquentes per *l. Nullum, Cod. de teſtib.* Contrarium tamen tenet Inn, cui adhæreo, dicens in *Capit. Dilectus, de pœnis*, Officiales in officio delinquentes eſſe quidèm puniendos, ſed per Ordinarium ex commiſſione Delegati; puto tamen, dictum ſeù doctrinam Baldi procedere quando Judicis juriſdictio impeditur.

19 Deducitur tertiò, Reſcriptum Delegationis non poſſe extendi de cauſa expreſſa ad non expreſſam, remotâ ab eis connexione, & appoſitâ ſeparabilitate; diximus enim ex *Capit. Cum dilecta, de reſcript.* & aliis juribus, Reſcriptum Delegationis eſſe ſtrictæ interpretationis; idque docet intèr cæteros, Laym. in *Capit. Cum olim, Not.3. num. 3. de off. & poteſt. Deleg.*

20 Deducitur quartò, delegationem factam Dignitati, non expreſſo nomine proprio, ut puta Archiepiſcopo Mechlinienſi, tranſire ad Succeſſorem in Archiepiſcopatu, eo defuncto, aùt ad aliam Eccleſiam translato; & ejus Succeſſorem in dignitate ſuccedere etiam in onere delegationis. Concordat Pan. in *Capit. Quoniam, num.* 1. *de offic. & poteſt. Deleg.* & ibi Laym. Vocamus autem onus delegationis, quia in ea non gratia continetur, ſed mandati obligatio imponitur. Secùs verò, ſi commiſſio facta ſit ſub nomine dignitatis Legato Sedis Apoſtolicæ. Sic etiam ſentiunt in d. *Cap. Quoniam, de off. & poteſt. Deleg.* Abb. *n.* 11. Felin. *num.* 8. cum aliis: & ratio ſuadet: Scimus enim, Legatum Sedis Apoſtolicæ ad arbitrium Papæ creari, & revocari; & ſic ejus dignitatem propriè non vacare, & conſequentèr hujuſmodi commiſſionem ad Succeſſorem non tranſire. Hoc tamèn ratiocinium puto locum non habere in commiſſione, quæ facta eſt Vicario Epiſcopi; cum Epiſcopus ſoleat, ac veluti debeat Vicarium, ſeù Officialem habere; neque in illa, quæ facta ſit ſub nomine proprio, ut notat Laym. *loc. cit. num.* 1. ubi *num.* 2. aſſerit, commiſſionem in dubio cenſendam eſſe perſonalem, niſi ex aliis conjecturis voluntas Committentis, ſeù Delegantis queat cognoſci. Nùm delegatio facta alicui, expreſſo duplici nomine appellativo, & nomine proprio, ſit realis, an perſonalis; aùt facta alicui ſub duplici nomine dignitatis; & illo decedente, ſi duo ad illas dignitates ſuccedunt; nùm uterque etiam ſuccedat in cauſa? Vide Pan. in d. *Capit. Quoniam, num.* 12. *&* 13. *de offic. & poteſt. Deleg.* Nùm juriſdictio delegata ſuſpendatur per excommunicationem Delegantis? Inſpice eundem Pan. in *Capit. Licet undique, num.* 8. *eod. tit.* An juriſdictio delegata extinguatur per obitum, vel depoſitionem Delegati; an verò tranſeat in Succeſſorem? Cerne paritèr eumdem Pan. ibi *num.* 6. & Sanchez, *de Matrim. lib.* 8. *diſp.* 27. *num.* 30. *& ſeqq.* ubi hanc materiam, quæ admodùm difficilis eſt, eruditè pertractat, ſubtilitèr diſtinguit, profundè diſcutit, clarè reſolvit.

21 Deducitur quintò, Delegato Papæ fas minimè eſſe ſub delegare niſi illis perſonis, quibus Papa conſentit, ſeù delegat; de quibus agitur in *Capit. Statutum, de Reſcrip. in 6.* & habetur ibi in §. *In nullo*, & docet Pan. in *Capit. Paſtoralis, num.* 10.

num. 10. *de offic. & poteſt. Deleg.* ubi ſubdit, Delegatum poſſe indiſtinctè ſubdelegare cauſas Perſonis Superioribus; v. g. Epiſcopis, Archiepiſcopis; aſſerens ità ſentire communitèr DD. & ità practicari: Quidquid dicat Hoſtienſ. putans hujuſmodi ſubdelegationem non poſſe fieri, niſi exigente neceſſitate.

22 Deducitur ſextò, Delegatum Papæ poſſe quidèm in totum juriſdictionem ſibi commiſſam alteri ſubdelegare; quo in caſu deſineret eſſe Judex; & etiam pro parte, & in hoc caſu adhùc Judex remaneret, cum partem ſibi retineat juriſdictionis; at non poſſe poteſtatem impertiri Subdelegato ſubdelegandi; nàm eſtò ipſe potuiſſet ſubdelegare; hoc tamen non habet ex commiſſione, ſed à lege, ut *Capit. Paſtoralis, de Reſcript.* quaſi dicat Textus, iſtam facultatem fuiſſe perſonæ ipſius Delegatæ tributam, non autèm tranſire acceſſoriè, vel vi delegationis. Prçterquamquod, Delegatus non habet juriſdictionem ultra ſibi commiſſa; intèr quæ non exprimitur, nec minùs præſumitur, virtute ſuæ juriſdictionis habere poteſtatem dandi Subdelegato poteſtatem ſubdelegandi. Secùs verò, ſi hoc fuit ſibi indultum à Delegante.

23 Deducitur ſeptimò, incidentèr, Inquiſitores Apoſtolicos eſſe Judices delegatos, non verò ordinarios; eſtò in cauſarum cognitione, atque plerìſque aliis parùm diſtent ab Ordinariis Judicibus, *Capit. Ne aliqui, Capit. Per hoc, de hæret. in* 6. & inibi Interpretes, & alii DD. quos producit, & ſequitur Simanc. *de Cathol. Inſtit. Tit.* 34. *num.* 13. Non enim ſunt ratione officii Superiores, aùt Prælati; & ideò non habent juriſdictionem ordinariam, ſed tantummodò delegatam, ut probat Tex. in d. *Capit. Per hoc*, & tradunt Dec. in *Capit. Cauſam, num.* 10. *de offic. Deleg.* Molin. *tom.* 6. *de juſt. diſp.* 28. *num.* 1. & alii: & ratio ſuadet, quia non dicuntur procedere authoritate propriâ, quæ ſit ipſis communicata, ut ordinaria, quam habeant, ut diſtinctam ab authoritate Summi Pontificis, ſed procedere Authoritate Apoſtolicâ, ut dicit Textus punctualis in *Capit. Ut officium*, in princ. *de hæret. in* 6. Quippè ignorat nemo, neceſſariam conditionem, ut juriſdictio ſit ordinaria, eſſe, ut ſit propria, juxtà *leg.* 1. *v. Cum urbem, ff. de offic. Præfecti*; & non alterius. Quæ omnia noviſſimè tradit, pluribus aliis allegatis, Archiepiſcopus Damaſcenus in *Comment. ad Conſtitut. Apoſtol. tom.* 3. *Con-*

Conſtitut. Innocentii IV. incip. *Quia tunc*, *nu.*22. ibi aſtruens, juriſdictionem Inquiſitorum ab initio delegatam fuiſſe; & *num.* 29. ſubdens, aliis pariter citatis, hujuſmodi juriſdictionem, quæ ab initio delegata fuit, hodiè magis ad ordinariam, quàm ad delegatam accedere; quod & nos libentèr fatemur.

24 Deducitur octavò, & quidèm propriùs quoad rem noſtram, poſſe Capellanum Majorem Exercitus, ejuſque Subdelegatos omnes cauſas Eccleſiaſticas, profanas, ſeù temporales, civiles, criminales, & mixtas intèr, ſeù contra quaſcunque Perſonas in dicto Exercitu commorantes, ad forum Eccleſiaſticum quomodolibèt pertinentes, etiam ſummariè, ſimplicitèr, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura judicii, ſola facti veritate inſpectâ, cognoſcere, ſeù audire, & ſine debito terminare; ut præcipit Sancta Synodus Trid. *ſeſſ.* 25. *de reform. cap.* 10. & contra inobedientes quoslibet cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas etiàm aggravare, auxilium Brachii Sæcularis invocare. Secùs verò ſi Perſonæ, in quas hujuſmodi Delegatus, aùt Subdelegati inſurgunt, ſunt Clerici, etiam Presbyteri, in propria Diœceſi, ſub qua illorum Ordinarii juriſdictionem ſuam ordinariam exercere poſſent, degentes; horum enim cauſas non poteſt Delegatus ex defectu juriſdictionis, quam forma Reſcripti ei ademit, cognoſcere; & ex doctrina Felin. in *Capit. Significantibus*, *de offic. Deleg.* & Card. Alban. *in Lucubrat. in* Bart. *in l.* 1. *ff. de offic. ejus &c.* aſſerentium, quòd ſi Delegatus pronunciet ſe judicem incompetentem, quamvis poſteà in eum, Partes conſentiant, tamèn ampliùs in causâ ſibi commiſsâ jus dicere non poteſt; à fortiori Parte gravatâ diſſentiente. Ulteriùs, Delegatum non poſſe de non juriſdictione Delegantis cauſas cognoſcere, ſaltèm principalitèr, tenent Bal. in *l.* 2. *Cod. Si à non compet. Judic.* Felin. in *Capit. Supèr literis*, *in fin. de Reſcript.* Card. Albanus in *Lucubrat. in* Bart. *in l.* 1. *ff. de offic. ejus*, *cui &c.*

25 Deducitur nonò, Perſonas Eccleſiaſticas à juriſdictione Capellani Majoris, vigore Brevis Pontificii, exemptas, cum ejus ſententia in ipſas prolata, ſit ipſo jure nulla, non teneri ejus mandato parere; cum in illo actu non poſſit dici Judex, *arg. in Capit. Forus*, *extrà de verbor. ſignific.* & docet Panor. in *Capit. Paſtoralis*, §. *Si verò*, *num.*4. *de offic. Deleg.* ubi ſubdit, Judici volenti executioni man-

mandare ſuam ſententiam, ipſo jure nullam, poſſe reſiſti, vel remedio appellationis, vel alio convenienti modo; adducens pro ſe Gloſſ. not. in d. *Capit. Forus*. Utrùm Ordinarius, cui Delegatus de mandato Pontificis, vel ejus Legati præciperet hujuſmodi ſententiam executioni demandare, quam ſciret eſſe irritam, & injuſtam, teneretur obedire; vide Panor. *loc. prox. cit. num.* 1. Vide paritèr in fine hujus Operis, ubi de hac materia fusè tractatur.

26 Deducitur decimò, Capellanum Majorem Exercitus; & quemcumque alium Delegatum Summi Pontificis, ſi delinquat in causâ ſibi commiſsâ; ut puta, ſi, acceptâ pecuniâ ſententiam protuliſſet; aùt formâ Reſcripti minimè ſervatâ, aùt juris ordine haud exequuto, aùt causâ nondum diſcuſsâ, jus dixiſſet, poſſe coram Judice competenti conveniri, ſi cauſa eſt finita; alioquin verò, ſi nondum eſt extincta. Huic deductioni ſavet Petr. de Anch. *in Repet. Capit. Poſtulaſti*, *col.* 11. *de for. compet.* Circa hanc materiam vide Soc. in *Conſ.* 46. *col.* 3. *in* 4. *par.* Abb. & alios in *Capit. fin. de Reſcript.* & Card. Alban. in *Lucubrat. in* Bart. in *l.* 1. *ff. de offic. ejus*, *cui mandata eſt juriſd.*

27 Deducitur undecimò, Delegatum Papæ poſſe in cauſa ſibi commiſsâ, niſi malitiosè ſe exoneret, ſibi delegare Epiſcopum ſuum, etiam invitum, *Capit. Paſtoralis* in initio, & ibi Abb. *de Reſcrip. Capit. Sanè*, *eod. tit.* quia in cauſis ſibi commiſſis major eſt Epiſcopo ſuo, tanquàm repræſentans Perſonam Summi Pontificis delegantis, ut notat Andr. Vallenſis in *lib.* 1. *Tit.* 29. *de offic. Deleg.* Dixi etiam invitum; & ideò Delegatus Summi Pontificis poteſt Subdelegatum compellere ad acceptandam Subdelegationem, quamvis ſit in dignitate etiam Epiſcopali conſtitutus, d. *Capit. Paſtoralis*, & ibi Abb. *num.* 1. *de offic. Deleg.* & Vallenſ. *loc. cit. num.* 3. ubi monet in hujuſmodi coactione habendam eſſe rationem, ſeù deberi deferentiam Gradui, ac Dignitati, & Perſonæ, juxtà diſpoſitionem Textus in d. *Capit. Paſtoralis*, & d. *Capit. Sanè*. Hinc Delegatum Papæ, & ejus Subdelegatum, qui coguntur delegationem, & ſubdelegationem acceptare, non poſſe ſine legitima cauſa recuſari, quamvis contrarium ſit de jure civili, dicit optimus Textus in *Capit. Super quæſtionum*, §. *Quem verò*, *de offic. & poteſt. Deleg.* Dixi, niſi malitiosè ſe exoneret. Malitiosè autèm ſe gerere Delegatum arbitramur, quando remotâ

causâ

cauſâ, ſeù ſine cauſa, vult alii committere: vel quando prætermiſſo peritiori, vult cauſam ſubdelegare minùs perito: ſed fortiùs, & juri conformius, quando utitur fraude, v.g. committit, ut placeat uni Poteſtati cum præjudicio alterius, quia fortè vult Amico, aùt Conſanguineo ſubdelegare. Item ſi id faceret aùt ad evitandum odium Patris; aùt ad exponendum Patris odio, & indignationi Subdelegatum: Quibus in caſibus ſe obnoxium conſtituit pœnæ, *Capit. Cum æterni, de re jud. in 6.* Hæc dicta ſint, obitèr in gratiam Eruditorum.

28 Deducitur duodecimò, Delegationem Capellani Majoris, & cujuſvis Judicis Delegati, ei factam, expreſſo proprio nomine, ipſo mortuo, expirare; & favet Gloſſ. in *Capit. Quoniam Abbas*, & ibi Pan. *num.* 3. *de offic. & poteſt. Deleg.* Secùs verò, factam Dignitati, vel ſub nomine dignitatis perpetuæ: v. g. Præpoſito talis Eccleſiæ, Rectori talis Univerſitatis &c. tunc hujuſmodi delegationem haud extingui morte Delegati, ſed tranſire ad Succeſſorem, vult Text. in d. *Cap. Quoniam Abbas*, & docet Felin. in *Capit. Eam*, *num.* 17. *de reſcriptis*; & nupertimè Valenſ. in *tit.* 29. §. 5. *num.* 2. *de offic. Deleg.* Additur, hujuſmodi delegationem pariter extingui per revocationem, re integrâ, ſeù ſi Delegatus nondum cœperit uti juriſdictione; nàm regularitèr mandatum omne revocari, re integrâ, poſſe, pobat Textus in *Capit. Venerabili* 37. *de offic. & poteſt. Deleg.* Itèm per lapſum temporis à Delegante præſcripti; niſi ex partium conſenſu fuerit in longius tempus producta: Quamvis enim nequeat conſenſus Privatorum conſtituere Iudicem, juxtà *leg. Privatorum, ff. de juriſd. omn. jud.* poteſt tamèn priuſquàm tempus præſcriptum tranſierit, veri Iudicis prorogare juriſdictionem, *leg. Conſenſiſſe*, §. *Si & judex*, *ff. de judiciis*. Qualitèr, & qualis debeat eſſe iſte conſenſus: vide rubricam dictæ legis *Conſenſiſſe*; Itèm per terminationem negotii, ſcilicèt, ſi ſententia fuerit executioni demandata: & quoad rem noſtram, per finem, ſivè terminationem belli, ſi juriſdictio fuit conceſſa cum clauſula limitativa, nempè, uſque dùm bella in tali Provincia duraverint; ità ſentiente Hoſtien., quem producit, & ſequitur Vallenſis *loc. cit. num.* 5. Demùm per obitum Delegantis re integrâ, *Capit. Relatum*, *Cap. Gratum*, *Capit. Licet undique, de offic. Deleg. & l. Et quas*, *ff. de jur. omn. jud.* Secùs autem, re non integrâ, etiam per ſolum mandatum de citando, quod ſufficit,

cit, ut res deſinat eſſe integra. Subdimus, hanc regulam valere, ſeù juriſdictionem Delegati perire morte Delegantis re integrâ, quamvis ille ſit delegatus ad univerſitatem cauſarum; quod probat Textus in *Capit. Ne aliqui, de hæret. in 6.* ubi in favorem fidei conſtitutum eſt, Inquiſitorum officium non ceſſare morte Summi Pontificis, à quo univerſalitèr ad cauſas fidei ſunt delegati; tametſi nondùm juriſdictione delegatâ uſi fuerint, & notant Joan. Anor. & Scribentes in *Capit. Per hoc, de hæret. in 6.* & Simanc. *loc. cit. num.* 14. Ex quo infertur, juriſdictionem Delegati, etiam ad univerſitatem cauſarum, perire morte Concedentis, ſeù delegantis re integrâ, ubi non eſt favor. An quando Delegans ſubdelegavit, expiret juriſdictio Subdelegati, mortuo primo Ordinario, qui Delegato delegavit, vivente Delegato ipſo; vel mortuo Delegato, qui ſubdelegavit, ſuperſtite adhùc primo Ordinario; vide Sanchez *de Matrim. lib. 8. diſp. 27. qu. 2. nu. 35. & ſeqq.* ubi hanc quæſtionem opportunè movet, in tres caſus ſubtilitèr diſtinguit, & perdoctè reſolvit.

29 Deducitur decimotertiò, non poſſe Delegatum Exercitus concedere Dimiſſoriales Militaribus perſonis, aùt eorum filiis natis in exercitu, ſed illas eſſe petendas ab Ordinariis, ſub quorum juriſdictione illorum Præſidia extant. Hinc recurrente Archiepiſcopo Mechlinienſi, qui in Flandria pro Exercitu obtinuit Breve Pontificium, cum verbis: *Tibi facultatem tribuimus per te, vel alium, omnem, & quamcunque juriſdictionem Eccleſiaſticam in eos, qui ibi pro Sacramentis Eccleſiaſticis Militibus exercendi pro tempore erunt, perindè, ac ſi quoad Clericos Sæculares eorum verus Paſtor, & Præſul, quoad Regulares verò illorum Superior eſſes &c.* recurrente, inquam, ad Summum Pontificem, ut dignaretur ex gratiâ indulgere, ut natis in bello & exercitu hujuſmodi Litteras dimiſſoriales poſſet concedere: remiſſo ſupplici Libello Sacræ Congregationi Concilii, *ſub die 2. Maii, anno* 1682. propoſito dubio, „An ipſe, vel ejus Vicarius Generalis vigore Brevis prædicti poſſit concedere hujuſmodi Dimiſſoriales Militaribus perſonis, & eorum filiis natis in exercitu: an verò petendæ ſint ab Ordinariis, ſub quorum juridſictione illorum Præſidia extant. Reſpondit *negativè*. Idem eſſe dicendum, quoad Regulares exiſtentes in exercitu non dubitamus, quia ſubiiciuntur Ordinario Loci;

ubi degunt de familia, ut tradit Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Archiepiſcopus Damaſcenus in *Comment. ad Conſtitutiones Apoſt. tom.* 1. *ad Conſtit. Vnic.* Urbani II. incipientem *Cum univerſi*, *Sect.* 1. & 2. pluribus in locis; & *tom.* 2. *ad Conſtit. XII.* Innocentii III. quæ incipit: *Ad liberandam*, *ſect.* 1. *num.* 12. & *ſeq.* ubi ſubdit, Regulares non habentes aſſignationem, ſed permanentes continuò in exercitu, habere pro eorum Ordinario Epiſcopum loci, ubi Exercitus degit. An Litteræ Dimiſſoriales debeant dirigi Epiſcopo Diœceſano, ſi non fuerit impeditus, vel abſens; & ipſo abſente, vel impedito, debeat Regularis Prælatus in Litteris dimiſſorialibus de hujuſmodi impedimento, & abſentia mentionem facere, vide Barboſ. *de poteſt. Epiſc. Alleg.* 7. *num.* 18. in fine.

CAPUT III.

FACTI SPECIES.

Conquerentibus Locorum Ordinariis de conceſſione privilegiorum Capellano Majori Exercituum indiſtinctè conceſſorum , non ſine præjudicio eorum juriſdictionis Ordinariæ , Clemens XI. *Pontifex Optimus , Maximus , Fidelium quieti , & Ordinariorum juribus ſemper proſpiciens , ſuo Apoſtolico Brevi ſuperiùs memorato , & in fine hujus diſcuſſionis inſerendo , declaravit , præfata privilegia eſſe intelligenda , dùm Milites eſſent in expeditione ; ſecùs autèm dùm morarentur in Caſtris , & Stationibus. Capellanus Major Exercitus noſcens revocari , ſeù reſtringi , & limitari privilegia ſibi à Sancta Sede , olim indiſtinctè conceſſa , tenet ſaltèm dubitativè , adhuc ſuorum privilegiorum validitatem ſubſiſtere , & ſucceſſivè ſibi licere agere , quæ ante revocationem , ſivè reſtrictionem Pontificiam, agebat . Controvertitur quid juris?*

§. I.

Aliqua præmittenda, tanquàm propoſitæ controverſiæ diſcuſsiva, enunciantur.

PRÆMITTIMUS primò , privilegium ità dici , quia eſt lex privatis , ſivè ſingulis facta : hinc Veteres , teſte Gel. *lib.* 10. *capit.* 20. *priva* dixerunt , quæ nos ſingula dicimus : Et Feciales cum in Africam ad feriandum fœdus ire juberentur ; ipſis poſtulantibus Senatuſconſultum in hæc verba factum

eſt, ut privos lapides ſilices, privaſque verbenas ſecum ferrent, hoc eſt ſingulos ſilices, & ſingulas verbenas. Unde privilegium eſſe privatum jus, contra jus commune indultum, ſeù eſſe conceſſionem juris ſingularis factam alicui prætèr jus commune, colligitur ex *Capit. Abbate*, *de verbor. ſignific.* ſiquidèm niſi aliquid indulgeret, non diceretur privilegium: Ratio enim privilegii eſt, quòd ſit à Principe conceſſa gratia, ſeù indulgentia adversùs jus commune, ſeù ordinarium, ut docet Abb. in *Capit. Olim*, *num. ult. de verb. ſignif.* Laym. in *Theol. moral. lib.* 1. *Tract.* 4. *cap.* 23. *num.* 5. Convenientèr itàque definitur privilegium in *Capit. Privilegia*, *diſt.* 3. cum dicitur, quòd privilegia ſunt leges privatorum, ſeù quaſi privatæ leges in alicujus favorem datæ.

2 Præmittimus ſecundò, privilegium quandòque latiùs accipi, ut duas ſpecies complectatur, ut obſervat Laym. in *Capit.* 1. *de. Reſcript.* ibi animadvertens, aliud eſſe privilegium contra jus, ſeù communem legem; aliud verò præter jus, ſeù ultra jus; adducens exemplum poteſtatis abſolvendi, diſpenſandi ex liberalitate Principis ſivè Papæ conceſſæ alicui, vel aliquibus, quibus jure communi non competit: & ideò privilegium poſſe ſimplicitèr conſiderari putamus cum Aug. de Anchona apud Turrec. in d. *cap. Privilegia*, nempè 1. ex parte ejus, cui conceditur; 2. ex parte communis juris, quod relaxatur. 3. ex parte ordinis judiciarii, qui in ejus obſervatione, ſeù conceſſione non ſervatur. Et ſubdimus, privilegium differre à Reſcripto Principis, quod in ſua propria acceptatione conſideratum, aliud non eſt, quàm reſponſum à Principe datum in ſcripto ad alterius conſultationem, ſuggeſtionem, aùt petitionem; & ab oraculo, quod eſt vivæ vocis reſponſum: & privilegium, non ſemper datur ad alterius petitionem, vel ſuggeſtionem, ſed quandoque proprio motu Principis, nullâque prævia, ſivè præcedente petitione.

3 Præmittimus tertiò, privilegia, juxtà ſenſum communem, eſſe in duplici differentia, nempè, alia eſſe realia, ſeù localia, quæ intuitu loci, aùt dignitatis dantur; ac proindè ad Succeſſorem tranſeunt, ſuntque perpetua, ut probat Textus in *Capit. Contra morem*, *diſtin.* 100. *Capit. Frater noſter*, *cauſa* 16. *qu.* 1. Alia verò perſonalia, quæ perſonæ intuitu conceduntur, & cum perſona

ter-

terminantur, ut *Capit. Petiſti, cauſa 7. qu. 1. & Reg. 69. ff. de reg. jur.* ibi: *In omnibus cauſis id obſervatur, ut ubi perſonæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente eâ, beneficium quoque deficiat*, ut docet Tiraquell. *de nobilit. cap.* 18. *n.* 5. Card. Turrecr. in *Capit. Conqueſtus, num.* 5. *cauſa* 9. *qu.* 3. Laym. in *Capit. Quoniam, n.* 1. *de offic. & poteſt. Deleg.*

4 Præmittimus quartò, ad eos ſpectare privilegium concedere, qui poſſunt leges condere, earumdemque Tranſgreſſores animadvertere; hoſque eſſe, quorum ditioni multitudo gentium ſubjacet gubernanda, ut eſt Summus Pontifex, Imperator, Rex, Reſpublica, Princeps omnis, & omnis Communitas independens, ſeù Superiorem non recognoſcens. Pontifex, inquam, poteſt concedere privilegium in ſpiritualibus ubique in Orbe terrarum, necnon in temporalibus, ſed in Terris ſuæ juriſdictionis temporalis; vel ubi, & quando ad eum juriſdictio derivaretur; ut notat Card. Turrecr. in *Capit. Quod autem, num.* 3. *cauſa* 25. *qu.* 2. Imperator pariter, Reges, Reſpublicæ, Principes, Communitates independentes poſſunt privilegium impertire in temporalibus, ſed nunquàm in ſpiritualibus; cum de iis nihil poſſint ſtatuere, ut exprimitur in *Capit. Benè quidèm, Diſt.* 96. ubi habetur, Laicis nullatenùs comptere ex officio, nomine proprio, facultatem tractandi, aut diſponendi de rebus Eccleſiaſticis, ſeù ſpiritualibus; quod etiam habetur in *Capit. Decernimus, de jud. Capit. Contingit, de arbitr. Capit. Si ex Laicis, & duob. ſeqq. cauſa* 10. *qu.* 1. *capit.* 1. *de Procurat. in* 6. Undè Ozias Rex Juda à Domino leprâ percuſſus eſt, quia Sacerdotum officia uſurpare præſumpſit, 2. *Paral. cap.* 26. *verſ.* 19. Non tamèn negamus, poſſe Principes Laicos aliquam exercere juriſdictionem in ſpiritualibus ex commiſſione Summi Pontificis, ut patet ex *Capit. Præter*, §. *Verùm*, & ibi Card. Turrecr. *num.* 10. *diſt.* 32. & *capit. ult. cauſa* 10. *qu.* 3. ſecùs verò hujuſmodi commiſſione ſeclusâ. Nec obſtat, multas leges reperiri, factas ab Imperatoribus de Epiſcopis, & Clericis, ut *tot. Cod. de Sacroſanct. Eccleſ. & de Epiſc. & Cleric.* nàm leges de rebus Eccleſiaſticis factas à Laicis, ſi Sacris Canonibus non adverſantur, intelligi eſſe firmatas à Papa, & ab ejus authoritate robur habere, probant Scribentes, & intèr eos, Card. Turrec. in d. *Capit. Bene quidèm, nu.* 8. *diſt.* 96. undè concludimus, leges illas habere vigorem, non quia latæ ſunt à Principibus

Laicis

Laicis, ſed quia à Summo Pontifice ſunt confirmatæ : concordat Tex. *in Capit.* 1. *in fin. de nov. ope. nuntia. & in Capit. In audientia*; *de ſent. excom. & in Capit. Sanè*, §. *Cum autem*, *cauſa* 15. *qu.* 3.

§. II.

Summum Pontificem, in quavis privilegiorum conceſsione, nunquàm præſumitur velle ſine juſta cauſa, Locorum Ordinariorum juribus prædicium inferre.

5 Canoniſtæ in *Capit. Quæ in Eccleſiarum*, *de Conſtit.* ut Felin. *num.* 26. *& ſeqq.* Abb. *num.* 12. Imol. *num.* 21. *&* 22. aliis omiſſis; & Legiſtæ in *leg. ult. Cod. Si contra jus*, *vel utilitatem publ.* non parvi momenti movent diſceptatiouem, nùm liceat Principi aliquid ſtatuere, vel decernere cum præjudicio, ſeù diminutione juris aliorum; ut puta; ſi decerneret, quæ ex juſtitia debita ſunt, v. g. à Militibus injuſtè ablata, reſtituenda non eſſe; & ſucceſſivè illa bona poſſidenti privilegium concederet retentionis. Id licere ex caſua juſtà, videlicèt ob publicam utilitatem, præſertim, quando jus privatum non provenit ex naturali, aùt gentium jure, ſed ex legis poſitivæ beneficio, aut Principis liberalitate, tenent Jaſon. *in l. Barbarius*, *num.* 24. *ff. de offic. Prætor.* Bald. *in l.* 2. *Cod. de ſervit. & aqua*, Laym. in *Capit. Quæ in Eccleſiarum*, *num.* 10. *de Conſtit.* & communitèr Scribentes; hoc fieti fundamento, quia bonum publicum, uti univerſalius, & præſtantius, debet præferri bono privato, ſeù bono ſingulorum; quilibet enim debet conſentire, aliquod detrimentum juri ſuo, rei ſuæ inferri, id causâ boni publici exigente. Secùs verò juſtâ causâ minimè exiſtente, ut docet Bart. in *leg. fin. col.* 2. *verſ. Eo modo*, *Cod. Si contrarius*, *vel utilit. public.* Dec. in *Capit. fin. nu.* 6. *de Conſt.* Bald. in *l. Gallus* §. *Et quid ſi tantum*, *col. pen. ff. de liber. & Poſthum.* Neque de ple-

Digitized by Google

plenitudine poteſtatis; ut demonſtravi in *Theol. Bellica*, *tom.* 1. *lib.* 1. *diſſ.* 36. *num.* 10. cui addo *leg. pen. Cod. de precibus Imperatori offerendis*, ubi dicitur, quod Reſcripta Principis contra jus elicita, & quibus Tertius læditur, nullius ſunt roboris, & *leg. Quotiès, eod. tit. leg. Incivile, Cod. de rei vendicat.*

6 Ex præfata doctrina in Principe, admittente facultatem inferendi aliis præjudicium ſuo reſcripto, ſive privilegio, juſtâ causâ interveniente liquidò conſtat, nunquam eſſe præſumendum, quòd Summus Pontifex velit abſque juſtâ causâ præjudicium inferre juribus Ordinariorum locorum, dum aliis aliquod privilegium concedit, ut puta, Capellanis Majoribus Exercituum facultatem diſpenſandi, abſolvendi, aliudve agendi per ſe, vel per alium, àùt alios ſubdelegandos.

7 Moveor primò juribus in in *leg.* 2. §. *Meritò*, & §. *Si quis à Principe*, *ff. Ne quid in loc. publico*; & *leg. Nec Avus, Cod. de Emancip. lib. capit. Super eo*, *junctâ Gloſſ. v. Intentionis*, *de Offic. Deleg.* ubi habetur, quòd omne Reſcriptum, Privilegium, Conceſſio Papæ, & cujuſvis Principis, eam saltèm tacitam continet clauſulam; *ſalvo jure alterius*; ideſt ſine alterius præjudicio: quod etiam tradit Tiraq. *in l. Si unquam*, *de revocat. donat.* verb. *Suſceperit liberos*, *num.* 66. Laym. *loc. cit.* & alii communitèr, aſſerentes, privilegia debere ſempèr aliàs intelligi ſine præjudicio juris alteri quæſiti.

8 Moveor ſecundò ratione, ſeù potius facti evidentiâ in paterno Brevi Clementis Undecimi, ſanctè, & felicitèr regnantis, infrà per extenſum adſerendo, quo Archiepiſcopo Nazareno, apud Joſephum Romanorum Regem in Imperatorem electum, Apoſtolicæ Sedis Nuncio, nunc ad Cardinalatum meritiſſimè aſſumpto, facultatem concedit communicandi Capellano majori Exercitus ejuſdem Cæſareæ Majeſtatis, per ſe, vel alium, ſeù alios Sacerdotes probos, & idoneos, ab Ordinario approbatos, ab eo ſubdelegandos, facultatem exercendi omnem, & quamcunque juriſdictionem Eccleſiaſticam in eos, qui ibi pro Sacramentis Eccleſiaſticis Militibus miniſtrandis protempore erunt (qui tamèn, ſunt verba formalia dicti Brevis) in propria Diœceſi, ſub qua illorum Ordinarii juriſdictionem ſuam ordinariam, in eos exercere poſſent, non ſint. Ex quibus verbis manifeſtè apparet, Summum Pontificem nullatenùs velle ſuo In-

Indulto Ordinariorum locorum juribus derogare, ad praxim deducentem, quod Gregorius ejus Prædeceſſor in *Capit. de Eccleſiaſticis privilegiis, cauſa* 25. *qu.* 2. dixit „ Quod
„ ſicut noſtra defendimus; ità
„ ſingulis quibuſque Eccleſiis
„ ſua jura ſervamus, nec cuilibet
„ gratiâ favente, ultrà quam
„ meretur impertior, nec ulli
„ hoc, quod ſui juris eſt, ambi-
„ tu ſtimulante, derogabo, ſed
„ Fratres meos per omnia ho-
„ norare cupio.

9 Non ſolum quando conſtat de voluntate Summi Pontificis non eſt præſumendum, ipſum velle in conceſſione privilegiorum juribus Ordinariorum præjudicare; ut ex communi ſenſu, loquendo de quovis Principe, tradit Abb. in d. *Capit. Quæ in Eccleſiarum*, *num.*4. Guid. Papa *Deciſ. Neapol.* 589. *num.* 5. Sed etiam in dubio, nunquàm eſt præſumendum, quod Papa, ſicut & alius Princeps, juri alterius velit præjudicium inferre, juxtà alleg. *leg.*2. §. *Si quis à Principe*, *& Capit. Ex tuarum, de auth. et uſu pallii*, & ibi Gloſſ. & Scribentes, & inter eos, Alciatus, *de præſumpt. reg.* 3. princ. *præſumpt.* 11. *num.* 1. *&* 2. ubi addit, in quavis conceſſione, ſeù commiſſione, quamvis generalibus verbis factâ, nunquàm conceſſum cenſeri, ut juri alterius injuria inferri poſſit, quod deſumitur ex *Capit. Ex parte, de offic. Deleg. & ex Capit.*alleg. *Super eo, & Capit.* pariter alleg. *de Eccleſiaſticis privilegiis*, ubi Papa apertiſſimè ſe declarat, nunquàm velle Eccleſiarum, ſeù Ordinariorum juribus derogare. Arbitror itàque, nolle Pontificem aliorum jura derogare, niſi ex certa ſcientia, juſtâ interveniente causâ, hoc faciat. Quia in dubio clauſula in reſcriptis, aùt privilegiis Principis appoſita, intelligitur ſine Tertii præjudicio, ut per Textum in d. *leg.* 2. §. *Si quis à Principe, ff. Ne quid in loc. pub.* & tradit Salicet. in *leg. Generalitèr*, §. *Cum autem*, *num.* 7. *Cod. de inſtit. & ſubſtit.* Hippolyt. Rimin. *conſ.*46. *num.* 32. *vol.* 1. Sanchez *de Matrim. lib.* 8. *diſp.* 7. *num.*6. *in fin.* Ideòque privilegia data contra jus commune, quæ odioſa cenſentur, reſtringenda potiùs eſſe, quàm extendenda, ſive ut alii loquuntur, debere eſſe ſtrictæ interpretationis, quatenùs eo cedere poſſunt in alterius præjudicium, probat Textus in *Capit. Sanè, de privil. & in d. l.*2. §. *Si quis à Principe*, & docent Innoc. Abb. in *Capit. Quod dilectio, de conſang. & affinit.* Sil. v. *privilegium, quæſt.*3. Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 1. *num.* 1. & alii, quos producit, & ſequitur

tur Laym. in *Theol. moral. tract.4. cap.* 23. *num.*5. §. Aliud verò; & ratio videtur eſſe, quia magnus eſt favor juris communis, cui per conceſſionem privilegii derogatur: quam rationem reſtringendi privilegium tantò magis locum habere puto, quantò ſanctiorem, & ſtabiliorem quiſque debet fateri eſſe Canonem, in quo diſpenſatur, ſeù contra quem privilegium conceditur.

10 Cæterum, ne privilegium aut Summi Pontificis, aùt cujuſquam Principis aliquod patiatur detrimentum cum præjudicio aùt Concedentis, aùt Recipientis, in ſuaviori, aùt rigidiori interpretatione, admonet Textus in *Capit. Porrò, de privileg.* de privilegiis non eſſe judicandum, niſi eorum tenore inſpecto; & ſecundùm continentiam eorum ab omnibus ſubditis ea fore ſervanda; & quidèm ad unguem, ſubdit Tiraq. in *l. Si unquam*, in princ. *v. Libertis*, *num.* 8. in margi. pag. mihi 68. *num.* 8. ſequens Bald. in *l.* 1. §. *Si is, qui, in lec. anti. in fin. ff. de exc. act.* dicentem, tenorem privilegiorum eſſe ad unguem ſervandum. Hinc Gloſſ. generalitèr loquens, notat, non eſſe recedendum in privilegiis à forma verborum. Facit quoque Textus, ſi non melior, ſaltèm non deterior, in *Capit. Recepimus, eod. tit. de privileg. & exceſſib.* ubi dicitur -- Inſpicienda ſunt „ ergò Eccleſiarum privilegia, & „ ipſorum tenor eſt diligentiùs „ attendendus: & in *Capit. Conſideravimus*, ibi - contra tenorem privilegiorum, *de elect. & in Capit. ult.* ibi -- tenor illius indulgentiæ, *de translat. Epiſc.* ex quo notat Bal. ibi in 3. *not.* ſingula privilegiorum verba eſſe ponderanda; & idem Bald. in *l. In rebus, col.2. verſ. Ulteriùs quærò, ff. de conſtit. princ. in 1. lectu.* ubi dicit, verba privilegiorum eſſe ponderanda; & in *Capit. Eam te, col.*3. in princ. *de reſcrip.* dixit. Quòd ad quem caſum verba privilegii non porriguntur; nec ipſum quoque privilegium porrigitur.

11 Hæc doctrina, ut practicè percipiatur, redeamus ad Apoſtolicum Breve ſupra enunciatum, quo Capellano Majori Exercitus Joſephi Regis, & Imperaroris Electi, pro tempore deputato facultas, quoad bella præſentia in Germania duraverint, exercendi per ſe, vel alium, ſeù alios Sacerdotes idoneos omnem, & quamcunque juriſdictionem Eccleſiaſticam in eos, qui ibi pro Sacramentis Eccleſiaſticis Militibus miniſtrandis pro tempore erunt, conceditur; *dummodò tamèn non ſint in propria Diœceſi, ſub qua illorum Ordinarii juriſdictionem ſuam*

ordinariam in eos exercere poſſent. Inſpectâ igitùr Sacrorum Canonum allegatorum,necnon aliorum diſpoſitione, & ſaniſſimà Scribentium doctrinâ paritèr productâ;ſi bella,quæ modò ardent in Germania, pro quibus conceſſum eſt privilegium, extinguerentur; atque Pax, diù & univerſalitèr concupita, firmaretur; & tranſacto aliquo tempore, novum bellum in Germania, quod Deus avertat, ſæviret; facultas in præfato Capellano Majori deſineret eſſe, & alios Sacerdotes idoneos ſubdelegandi, & omnem, & quamcunque juriſdictionem per ſe, vel per alios, in eos, qui in dicto Exercitu pro Sacramentis Eccleſiaſticis Militibus miniſtrandis eſſent, exercendi; cum privilegium non ſit porrigendum ad quod verba non porriguntur; ſeù cum privilegium non plùs operetur, quàm verba exprimant, ut habetur ex dicto *Capit. Porrò*, *de privileg.* ubi Gloſſ. *v.tenorem*; privilegium in ſua forma tantùm ſervari debet, & non ultra extendendum. Videatur circa hanc rem Suarez *lib.*8. *de legibus*, *cap.*28. *nu.*15. *&* 16. & Sanchez *lib.* 8. *de matrim. diſp.*1. *num.*4.

12 Addo, quòd ſi exercitus, cujus intuitu conceſſum eſt privilegium, de Germania exiret, & in aliam Regionem bellaturus adversùs aliam Potentiam proficiſceretur, Capellanus Major, cui Summus Pontifex indulſit, exercendi per ſe, vel per alios Eccleſiaſticam juriſdictionem, amitteret facultatem; cùm juxtà Gloſſ. in d. *Capit. Porrò*, non ſit in privilegiis recedendum à forma verborum; & Summus Pontifex ibi velit privilegiorum ſuorum ad unguem ſervari tenorem.

13 Subdo, illicò in Capellano Majori, ejuſque Subdelegatis facultatem ceſſare exercendi vigore privilegii Pontificii illam amplam Eccleſiaſticam juriſdictionem in alios, qui in exercitu ſint pro Eccleſiaſticis Sacramentis Militibus miniſtrandis; ſi ii ad propriam Diœceſim tranſeant, ſub qua illorum Ordinarii juriſdictionem ſuam ordinariam in eos poſſint exercere, ſi ſint Clerici, & Presbyteri ſæculares: vel ad propria Clauſtra ſub ordinaria Juriſdictione ſuorum Superiorum, ſi ſint Regulares; id enim exprimitur in d. Privilegio, & contra tenorem privilegiorum non eſſe procedendum, admonet Textus in *Capit. Conſideravimus*, *de elect. & in Capit. ult. de tranſlat. Epiſc. & in d. Capit. Recepimus*, *de privileg.* ubi dicitur, privilegiorum tenorem eſſe diligentiùs attendendum, & in d. *Capit. Porrò*, ubi Papa vult

vult Eccleſiarum, ſeù Ordinariorum privilegia, ſeù jura defendi, non lædi. Profectò, ſi Major Capellanus Exercitus, aùt ejus Subdelegati valerent vigore Indulti Pontificii in eos juriſdictionem Eccleſiaſticam exercere, qui reperiuntur in Diœceſi, ſub qua illorum Ordinarii ſuam poſſunt exercere in eos ordinariam juriſdictionem, quo modo ſalvarentur illorum Ordinariorum jura, juſſu Gregorii Summi Pontificis ſervanda, & defendenda? Manifeſta profectò foret jurium, ſeù juriſdictionum Epiſcoporum, & Superiorum offenſio, quam omnis Ratio deteſtatur, omnes Leges puniunt, Summus Pontifex interdicit, Deus ſummè abhorret, & damnat.

14 Hiſce noſtris obſervationibus, quas credimus à veritate nequaquàm deflectere, non videtur poſſe obſtare aliquod generale Reſcriptum, ſeù Privilegium Sedis Apoſtolicæ, concedens Capellanis Majoribus Exercituum abſque ulla limitatione omnem, & quamcunque Eccleſiaſticam juriſdictionem; cum non ſit præſumendum, voluiſſe Sedem Apoſtolicam Ordinariorum Locorum juribus præjudicare: undè hujuſmodi Indultum, ſeù Privilegium, ſi verè extat, non eſt improbabile, eſſe obreptitium: cum enim Papa ſit forma juſtitiæ, ut oſtendimus Patrum authoritatibus, juribus, & rationibus in *Rom. Pontif. propug. Art.* 16. & veluti lex animata, *Authen. de Conſulibus*, §. *ult* junctâ Gloſſ. *verſ. legem*, *collat.* 4. non videtur decere; ut inde offenſarum contingat occaſio, undè jura naſcuntur, ut probant Textus in *l. Meminerint*, *Cod. Unde vi*; & ſucceſſivè, non eſſe ei credendum, tradit Card. Turrec. in *Capit. Si qui*, *num.* 2. *Diſt.* 81. ſed eſſe præſumendum, quòd Papa fuerit circumventus; & quòd veritas non fuerit ei notificata. Idem innuitur in *Capit. Omne quod*, *cauſa* 25. *qu.* 1.

15 Præterquamquòd, Indultum, ſeù Privilegium generale derogari, ac limitari per ſpeciale reſcriptum, ſeù aliàs conceſſum privilegium; tradunt DD. apud Anton. in *Capit. Sicut Romana*, *num.* 1. *de Reſcript.* & Felin. hìc, *nu.* 3. Rebuff. *de Reſcript. & Litteris regiis*, *in præfat. num.* 107. & Suarez *lib.* 8. *de leg. cap.* 38. *num.* 5. *& ſeqq.* Azor. *de Inſtit. moral. tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 22. *quæſt.* 12. ubi allegat Hoſtien. & Sylveſtrum, & habetur ex Textu punctuali in *Capit.* 1. *& Capit. Paſtoralis*, *de Reſcript. & Capit. Studuiſti*, *de offic. Legat. & Capit. Dudùm*,

de præben. in 6. ubi dicitur, quòd ſecundum canonicas, & legitimas ſanctiones, per ſpeciem generi derogatur, quamquàm de genere in derogante ſpecie mentio nulla fiat. Et *Capit. Quamvis tibi, eod tit. in 6.* ubi habetur, ſi Summus Pontifex generalitèr alicui tribuerit facultatem vacantia beneficia ſuo nomine conferendi, poſtmodùm verò alteri beneficium in eadem Eccleſia conferat, aùt conferre mandet; poſterius iſtud mandatum, ſeù reſcriptum executioni mandandum eſſe in illis verbis: Nam primæ generali gratiæ ſibi factæ derogat poſterior ſpecialis, licèt de illa non fecerit mentionem. Et facit etiàm manifeſtè Tex. egregius in *Reg.* 81. *ff. de reg. jur.* ibi: In toto jure generi per ſpeciem derogatur, & illud potiſſimum habetur, quod ad ſpeciem directum eſt: Nec non in *Reg.*34. *de reg. jur. in 6.* ibi -- Generi per ſpeciem derogatur. Aperta ſunt hæc jura, quibus rationes addere ſuperfluum duco.

16 Addo, id eſſe verum, ſcilicèt, ſpeciale mandatum, ſeù privilegium non tolli per generale, eſtò id ſit ſubſequens; niſi de eo Concedens mentionem fecerit, *Capit. Cum ordinem, & Capit. Abbatem, de reſcript.* nàm ſemper ſpecies derogat generi, ſivè id præcedat, ſivè ſubſequatur; ut docet Abb. in *Capit.* 1. *de reſcript. num.*14. contra Gloſſ. in *Capit.*1. *eod. tit.* docentem in univerſum, in privilegiis primum habere effectum, ſeù valere, quotiès in ſecundo de primo mentio non fuerit facta, ex *Capit. Veniens, de præſcriptio.* Noſtro aſſerto favent communitèr Doctores, Gloſſ. in d. *Reg.*34. *in 6.* Rodriq. *tom.*1. *Reg. qq. qu.* 59. *num.* 2. Laym. in d. *Capit. Sicut Romana, de reſcript.* & alii apud Sanchez *de Matrim. lib.*2. *diſp.* 24. *n.*6. probantes, non ſolùm legem priorem generalem derogari per legem poſteriorem ſpecialem, etiam nullâ ejus factâ mentione, ut conſtat ex *Capit.*1. *de Conſtit. in 6.* ſed etiam per legem ſpecialem priùs latam derogari poſteriorem legem generalem, ſeù poſteriorem legem generalem ſalvam relinquere legem priorem ſpecialem, & ab ea limitari.

17 Non valet dicere, non eſſe facile præſumendum, velle Principem, & multò minùs Sedem Apoſtolicam, ſivè Summum Pontificem juri alteri acquiſito per indultum priùs conceſſum derogare; cum Principem, & multò magis Sedem Apoſtolicam dedeceat inconſtantia, ut ex Baldo refertur *Conſil.* 327. ubi dicitur, quòd Prin-

Principes debent habere unum calamum, & unam linguam. Fatemur utique non eſſe præſumendum, voluiſſe Pontificem, reſcriptum poſterius juris in re alteri acquiſiti per indultum prius conceſſum fore derogatorium, niſi id exprimat: Negamus tamèn, ſi jus in re non ſit acquiſitum, ſed tantùm generalis alicui facultas ad actus publicos, ſeù legitimos, qui nunquàm ſub Principis Apoſtolici diſpoſitione eſſe deſinunt, ſit conceſſa, ut puta, diſpenſandi in impedimentis matrimonialibus, abſolvendi à caſibus reſervatis, ferendi ſententiam excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, contra Inobedientes, & Contumaces, judicandi, & terminandi etiam ſummariè, & ſimplicitèr, & de plano, ſinè ſtrepitu, & figura judicii, omnes cauſas Eccleſiaſticas, profanas, ſeù temporales, civiles, criminales, & mixtas: in hiſce enim caſibus diſpoſitionem generalem per ſpecificam, ſeù ſpecialem derogari, tenet etiam doctiſſimus Laym. in *d. capit. Sicut Romana, nu.* 3. *de reſcript.* & infrà, *cap. X.* clarè demoſtrabitur.

18 Neque itèm valet dicere, reſcriptum, ſeù privilegium poſterius procedere ex ignorantia reſcripti, ſeu privilegii priùs conceſſi, juxtà *capit.* 1. *de conſtit. in* 6. ubi Summus Pontifex fatetur, ſe talia, quæ facti ſunt, ſeù in facto conſiſtunt, ſi in juris corpore non contineantur, probabilitèr ignorare: ſiquidèm reſcriptum, ſeù privilegium ſpeciale, de quo in præſenti diſcuſſione peragitur, non apparet omninò repugnans indulto, ſeù privilegio priori generali, ſi verè extat; cum ejus fructum, & utilitatem minimè præpediat, ſed aliquatenùs tantùm diminuat, aùt limitet; illud quoad alias ſui partes, aùt occurrentibus caſibus, integrum relinquens. Additur, in conceſſione poſterioris Indulti non deeſſe in Concedente voluntatem interpretativam, ſeù tacitam derogandi privilegio priùs generalitèr conceſſo; ſcimus enim, morem eſſe Summi Pontificis illud concedendi eo modo, ac tali conditione, ut ipſi integrum ſit, recurrente aliquo caſu, per novum reſcriptum illud limitare, aut ei derogare, etiàm nulla factâ mentione de priori juxtà *d. Capit. Dudùm*, §. *Nos igitur*, *de præben. in* 6. ubi Papa ſubdit. -- „ Nos igitur attendentes quòd „ etſi memorato Epiſcopo prædictam conceſſimus poteſtatem, „ penes nos tamèn nihilominùs „ remanſit major, licèt eadem, „ poteſtas etiam in prædictis: „ proptèr quod noſtra, qui eandem præoccupavimus poteſtatem, potior debet eſſe conditio.

Quare

Quare inquit Laym. in *d.Capit. Sicut Romana*, *de reſcript.* tametſi ponamus, Pontificem ignorare, aût non recordari prius dati privilegii generalis; hæc tamèn ignorantia non eſt cauſa poſteà dati reſcripti ſpecialis; quandoquidem etiam eà ſublatâ, probabilitèr emanaret.

§. III.

Nemini licere Privilegia Pontificia, aliquod dubium arduum involuentia, interpretari, ſed eſſe ad Sedem Apoſtolicam pro interpretatione recurrendum, demonſtratur,

19 NOn loquimur de dubio circa tenorem privilegii Pontificiis verſante; tunc enim eſſe recurrendum ad Originale, quod ſolet reponi in Regiſtro Principis, aſtruit Laym. in *capit. Tum ex literis*, *not.*4. *de integr. reſtit.* ibi addens, Regiſtrum eſſe Scrinii locum, in quo Epiſtolæ, & Reſcripta cujuſvis Principis & Pontificis reſervantur. Pari modo, cum de Actis judicii dubitatur, illa eſſe ex Notarii protocollo noſcenda, admonet Text. *in capit. Quoniam*, *de probat.*

20 Neque loquimur de dubio privilegii, quando ejus interpretatio poteſt ex principiis juris communis, aût rationis naturalis æquè fieri: Scimus enim hanc interpretandi poteſtatem & ad Judicem ſpectare, & Doctoribus eſſe conceſſam, juxtà *l.unic.Cod.de Profeſſoribus &c. lib.*12.

21 Nec demùm loquimur de verbis privilegii quando non ſunt omninò obſcura, dubia, & ambigua, eſtò aliquam obſcuritatem, dubietatem, & ambiguitatem primo aſpectu redoleant: tunc enim privilegii tenorem eſſe diligenter inſpiciendum, & ſervandum, vult Textus *in d. capit. Porrò*, *& Cepit. Recepimus*, *de privileg.*, & docet Azor. *to.*1.*Inſtit. moral.lib.*5.*cap.*23.*litt.C.* Turrec. *in capit. Quod autem*,*verſ. Ad tertiam*, *n.*7. *cauſa* 25.*q.*2. Tuncque potiùs eſſe inſiſtendum intentioni privilegii,quàm verbis, ſeù potiùs eſſe menti Concedentis adhærendum, quàm

quàm verbis, habetur *ex capit. Marcion.*, *cauſa* 1. *quæſt.* 1. *&* *capit. Intelligentia*, *de verb. ſignif.* ubi dicitur -- Non Ser-
„ moni res, ſed rei eſt ſermo ſub-
„ jectus: *& capit. in iis*, *eodem tit.* ubi habetur -- Conſideran-
„ tes nihilominùs, quòd non de-
„ bet aliquis conſiderare verba,
„ ſed voluntatem; cum non in-
„ tentio verbis, ſed verba inten-
„ tioni debeant deſervire. Quodque docet Gloſs. & Abb. *in capit. Propterea, de verb. ſignif.* Azor. *loc. cit.* Laym. *in capit. Ad audientiam*, §. *Videri etiam*, *de decim. prim.* Card. Turrec. *loc. cit.*

22 Loquimur itàque de privilegiis Pontificiis aliquod dubium ita arduum ob verborum obſcuritatem, dubietatem, vel ambiguitatem continentibus, ut neque ex legibus ſimilibus, nec ex naturali dictamine, aùt communiter receptis principiis diſsolvi queat: tunc enim nulli licere ea interpretari, ſed eſse ad Sedem Apoſtolicam pro interpretatione recurrendum, non videtur poſse controverti; & ita ſentiunt Doctores proximè producti, *loc. cit.* quibus additur Paſq. *in controv. inter Epiſc. & Regul. tit. In quibus Monial. ſubd. Epiſc. quæſt.* 10. *num.* 80. & idem Laym. *in capit. Cum veniſſent*, *num.* 1. *de judic.*

23 Moveor primò juribus in *l. Si imperialis*, *Cod. de legibus*, *capit. Intèr alias*, *de ſent. excomm.* ubi habetur, illius eſſe interpretari, cujus eſt condere: & *d. capit. Cum veniſſent*, *de jud.* ubi Innocentius III. apertè dicit, nemini prætèr Papam licere cognoſcere de dubiis privilegiorum Apoſtolicæ Sedis, quod ſanè intelligimus de interpretatione neceſsaria, quæ vim legis, ſeù decreti generalis obtinet, cujuſmodi interpretationem à ſolo Principe, ſeù Authore Legis, aùt privilegii, non itèm ab Inferiori fieri poſſe, ratio clarè ſuadet juxtà jura allegata, aſserentia, ejuſdem eſse interpretari, cujus eſt condere.

24 Moveor ſecundò rationibus in jure fundatis: Siquidèm interpretari Legem, vel privilegium quando verba ſunt obſcura, dubia, vel ambigua, aùt à proprietate, communi acceptatione, & uſu verborum recedunt, nil aliud eſt quàm mentem Legislatoris, vel privilegii Authorem inquirere, explicare, & pandere, ut colligitur ex Tex. in *Capit. Ex literis*, il primo, *de ſponſal. & l. Veteribus*, *ff. de pact.* Quis autem meliùs poteſt Summi Pontificis mentem explicare, & pandere, quàm ipſemet Pontifex? Profectò, mentem cujuſvis in obſcuris contentam nemo poteſt certiùs, & clariùs attingere, & pandere, quàm ille, cujus eſt mens. Præ-

25 Præterea, in dubio illa interpretatio eſt capienda, quæ excludit errorem, ſivè delictum, *l. Merito*, *ff. pro Socio*, *& l. Prætor*, §. *Docere*, *ff. de vi bon. rap. & capit. fin. de præſumpt.* & notant Bart. in *l. Non ſolùm*, §. *Sed ut probari*, *ff. de nov. oper. nun.* Marſil. *conſ.* 132. *num.* 4. Decian. Cravett. & alii plures, quos producit, & probat Paſq. *de approb. Confeſſ. qu.* 7. *num.* 1417. A nulla ſanè interpretatione poteſt ſecuriùs error, aut delictum excludi, quàm ab illà, quam facit Summus Pontifex, qui eſt Forma juſtitiæ, Sanctimoniæ Speculum, pietatis Exemplar, Aſſertor veritatis, ut ait S. Bernardus *lib.* 4. *de Conſiderat. cap.* 11. & fusè demonſtravimus in noſtro *Rom. Pontif. Propug. Art.* 18. §. 1. *& ſeqq. & Art.* 20. §. 3. *& ſeqq.* ubi plura leguntur, ſcitu neceſſaria, vel ſaltèm perutilia.

26 Demùm, unico Interpreti creditur, per *l.* 1. *in fin. ff. de verb. obligat.* ibi -- Sivè per ſe, ſivè per verum Interpretem, ubi Gloſſ. margin. Bart. §. *fin. num.* 2. Alberic. *num.* 5. Alex. *num.* 2. Bald. in *l.* 2. *num.* 4. *ff. de ſer.* Dec. in *Capit. Propoſuiſti*, *num.* 52. *de probat.* & alii: Videamus nunc quis ſit unicus, & verus privilegiorum Pontificiorum, arduum dubium continentium, Interpres, cui ſit credendum, & nefas ſit ei contradicere: Utique Summus Pontifex, qui eſt unum Caput Eccleſiæ, quæ eſt una -- Ec-
„ cleſiam, quæ una eſt, ait S. Cy-
„ prian. in *Epiſt. ad Juba. col.* 6.
„ & ſupèr unum, qui & Claves
„ ejus accepit, Domini voce
„ fundata eſt: quodque explicavi in *Rom. Pontif. Propug. Art.* 36. per totum. Cuique indubitantèr credendum eſt uti veritatis Aſſertori.

27 Hiſce ſanè documentis optimè inſtructus Archiepiſcopus Melchlinienſis in Belgio, recepto à Sanctiſſimo Domino Noſtro Clemente XI. ſanctè, & felicitèr regnante, Apoſtolico Brevi, dat. die 13. Febr. 1706. ei facultatem concedente exercendi ad quinquennium per ſe, vel alium, ſeù alios probos Sacerdotes omnimodam juriſdictionem in eos, qui in Exercitu pro Sacramentis Eccleſiaſticis Militibus miniſtrandis pro tempore erunt: Dubio circa delegationem ſibi impertitam exorto, duxit ad Sedem Apoſtolicam recurrere, illudque eidem pro interpretatione ſupplici libello exponens, ſcrupulis nonnullis ſentiens ſe contorqueri occaſione mutationis quarumdam Belgii legionum, quærit an Delegatio prędicta etiam daret in militares illos, qui adhùc ſub Rege Philippo ſtipendia me-

merentur; Anvè eâdem delegatâ authoritate fungi valeat quòad alios Catholicos in Belgio militantes. Addens inſuper quòd cum alii paſſim Epiſcopi Catholicorum Militantium curam à ſe abdicarint, eam ſibi uti Apoſtolico Delegato attribuere videatur, ob idque, nè militares ipſi neceſſariâ ope in ſpiritualibus deſtituerentur, dictâ delegati authoritate, nonnullis in caſibus ipſe utendum duxerit, ac ſub Beneplacito Sanctitatis Suæ etiam uti perget; quod tamen, ut ſecuriùs ageret, Sanctiſſimum adiit, ut mentem ſignificare dignaretur; remiſſo ad Sacram Congregationem Concili pro voto ſupplici libello. Cùmque hæc cauſa per Summarium fuerit propoſita 17. Decembris prox. præteriti, demandatum fuit, ut poneretur in folio unà cum exemplari Brevis, undè Eminentiſſimi Patres declarare dignarentur.

I. An Breve, de quo agitur, potuerit ſuffragari tam pro Exercitu Philippi Hiſpaniarum Regis, quàm pro aliis Catholicis in Belgio militantibus? & quatenùs negativè pro altero.

II. An eſſet concedendum novum Breve, & quomodò?

III. An, & quomodò ſit conſulendum pro matrimoniis contractis in vim facultatis dicti Brevis, in caſu &c?

Die 18. *Februarii* 1708. *dicta Sacra Congregatio ad primum reſpondit affirmativè quoad primam, negativè quoad ſecundam partem. Ad ſecundum reſpondit affirmativè juxtà modum. Modus autem eſt, quòd factâ inſertione Brevis expediti die* 13. *Februarii* 1706. *idem Breve Sanctitas Sua ampliet pro omnibus Catholicis Militantibus in Belgio eodem modo, formâ, & tempore, aliiſque clauſulis in dicto Brevi contentis, & dirigatur novum Breve eidem Archiepiſcopo Mechlinien. inſtanti. Ad tertium cenſuit recurrendum eſſe in caſibus particularibus.* Novum autèm Breve cum hujuſmodi extenſione fuit expeditum, quod per extenſum inter cætera in fine refertur.

§. IV.

Sedi Apoſtolicæ expedit, ea, quæ Bellatoribus, aùt Pacificis impertitur privilegia, illicò revocare, vel ſaltèm limitare, noſcenti ea ſibi nocere.

28 UT faciliùs percipiatur, quod præſens Rubrica involuit, operæ pretium puto innuere Sedis Apoſtolicæ, & Romani Pontificis Privilegia; quæ plura ſunt, hactenùs in Eccleſia Catholica uſu quoque comprobata', & ſpecialitèr ſequentia. Primum eſt de congregandis Conciliis univerſalibus, quorum Congregandorum authoritas ſoli Apoſtolicæ Sedi reſervatur, ut fuſè demonſtravi in *Rom. Pontif. Propug. Art.* 31. per totum. Secundum eſt de judiciis Epiſcoporum quoad depoſitionem, vel exemptionem, vel reconciliationem; de quo notantur in *Capit.* 2. *Diſt.* 12. & loquitur Baron. infra citandus. Tertium eſt de reſtitutionibus Epiſcoporum; arg. quòd Epiſcopus depoſitus non poteſt ſuæ Sedi reſtitui, niſi per Apoſtolicum, ſeù Romanum Pontificem, qui eſt Epiſcopus Epiſcoporum, & Epiſcopus univerſalis, ut paritèr evidentèr oſtendi in *Rom. Pont. Propu. Art.* 34. & 35. Sicut nec deponi, nec mutari, nec eximi, ut habetur ex *Capit. Præceptis, Diſt.* 12. & *Capit. Quamvis, cauſa* 13. *q.* 6. *Capit. Imitatione, cauſa* 7. *qu.* 1. *Capit. Frater noſter, cauſa* 16. *qu.* 1. Quartum eſt poſſe cognoſcere, & definire ſumma omnium Eccleſiarum negotia, *Capit. Multis, Diſt.* 17. Quintum eſt, quòd omnes injuſtè oppreſſi valeant ad Sedem Apoſtolicam appellare omni medio intermiſſo: Oppreſſi, inquam, qui ſcilicèt ante ſententiam gravantur, *l.* 1. *ff. de Minoribus*, & *l. Illicitas*, *ff. de offic. Præſi.* Sextum, quòd Legatus ejus omnibus Epiſcopis præſit in Concilio, etiam inferioris gradus, & adversùs eos ſententiam

tiam

tiam depoſitionis poſſit proferre, idem Baron. Septimum, quòd cum Excommunicatis ab illo, intèr cætera, nec in eadem domo debeamus permanere; idem Baron. Octavum, quòd ſolius Papæ pedes Principes cuncti deoſculentur, idem Bar. Nonum, quòd Summo Pontifici liceat juſtâ causâ interveniente, Principes, Reges, & Imperatores deponere, Baronius *tom.* 11. *Annal. ſub anno Chriſti* 1076. *lit. A. pag. mihi* 485. ubi alia viginti tria privilegia Sedis Apoſtolicæ, ſcitu digna, diſtinctè, & compendiosè producuntur. Pleraque alia privilegia Apoſtolicæ Sedi conceſſa notantur in *Capit. Quod translationem*, *de offic. Leg.*

29 Operæ pretium duco innuere, tunc præjudicium dici ſibi, vel alicui fieri, quando ſubtrahitur ſibi, vel ei aliquod, quod in favorem ejus introductum eſt, vel quod ad ejus utilitatem ordinatur, ut tradit Card. Turrecr. *in Capit. Placuit*, §. *Ad ſextum*, *nu.* 11. *cauſa* 16. *qu.* 1.

30 His paucis innutis, quia veritas in paucis conſiſtit: quiſque poteſt facilè noſcere, Sedi Apoſtolicæ expedire, ea, quæ concedit, privilegia, ſivè Bellatoribus, ſivè Pacificis; aliiſque ſtatim revocare, vel limitare, quando experitur, ea ſibi nocere, ſeù ſuis propriis privilegiis, aùt cunctis, aùt alicui eorum, ſivè ſuis juribus, ſivè ſuæ ſupremæ Authoritati aliquo modo adverſari: Nàm in confeſſo eſt apud omnes, privilegia, ab Apoſtolica Sede collata, non debere contra eamdem Eccleſiam militare. Hinc Nicolaus Papa Vir Sanctus, ejus nominis Primus, ut refert Baronius, *to.* 11. *Annal. ſub anno Chriſti*, 1097. *pag. mihi* 708. *lit. E.* in Decretali Epiſtola, quàm ſcripſit ad Henricum Archiepiſcopum Turonenſem, ubi agit de privilegio ab Apoſtolica Sede, Rhemenſi Eccleſiæ impertito, quo ejus Archiepiſcopus Hincmarus contra ipſum abutebatur, hæc inter cætera habet:
„ Sic Apoſtolica Sedes aliena
„ jura cuſtodit, ut ſua non mi-
„ nuat; ſic honorem debitum
„ dat, ut ſuum non tribuat alie-
„ nis: nàm & arma illi à nobis
„ collata, ita volumus, ut pro eo
„ ſint valida, ut potiùs pro
„ nobis, ubi neceſsè eſt, non
„ contra nos firmitatem obti-
„ neant. Idemque Papa de privi-
„ legio Apoſtolicæ Sedis agens,
„ quo ipſa præſidet Eccleſiis
„ omnibus, & ab omnibus exi-
„ git obedientiam, hæc profert,
„ ſcribens ad Carolum Franco-
„ rum Regem, teſte Baron. *loc.*
„ *cit. pag.* 710. *lit. A.* Quæ tanta
„ Sedis, Apoſtolicæ privilegia,

„ uſque ad mortem, ope freti di-
„ vinâ; Prædeceſſorum meorum
„ veſtigia ſequendo, caſſari ta-
„ litèr minimè patiemur.

31 Quærunt Canoniſtæ, nùm privilegium ſemel conceſſum poſſit amitti. Reſponſum ferè commune eſt affirmativum; & octo eſſe caſus, quibus privilegium tollitur, notat Card. Turrec. in *Capit. Privilegium, num.*1. *cauſa* 11.*qu.*3. quorum quinque tangit Gloſſ. in d. *Capit. Privilegium*; alii verò tanguntur à Goffredo, aliiſque Doctoribus, in eorum Scriptis, ut advertit idem Turrecr. *ibid.* ſubdens, privilegium quinque modis deperdi, primo, proptèr abuſum, & facit Tex. in *Capit. Plerumque boni, cauſa* 2.*q.*7.& *Capit. Dilecti filii, de privil.* ubi Alex. III. dicit -- Porrò certò
„ ſciatis, quòd nos conceſſa vo-
„ bis privilegia decurtabimus;
„ cum Eccleſiæ Romanæ Scrip-
„ tis authenticis obviare mini-
„ mè timeatis, ac ſi dicat, nunquam eſſe excuſabilem abuſum, quando is, qui privilegium accepit, adversùs eum, qui illud conceſſit, inſurgit. Secundo; proptèr delictum, *Capit. Ita nos, cauſa* 25.*qu.* 2. Tertio, proptèr contrarium factum, *Capit. Si de terra, de privil. Capit. Cum acceſſerit, de Conſtit.* Quarto, proptèr negligentiam, *l.* 1. *ff. de nundinis*. Quinto, proptèr enorme damnum ſuperveniens; videlicèt, ſi in enorme detrimentum alicujus redundet, *Capit. Suggeſtum, de decim.* Hiſce modis, quibus privilegium annullari meretur, aliud addendum arbitramur, forſitan magis præcipuum, quando nempè, temporis progreſſu incipit nocere Eccleſiæ, vel Reipublicæ, itàut ſcandalum, & juſtæ querelæ oriantur; jura & privilegia Concedentis detrimentum patiantur, tunc illud debere ceſſare, vel revocari ab eo, qui conceſſit, vel ejuſdem Succeſſore, tradunt Innoc. & alii in *Capit. Suggeſtum, de decim.* Suarez, & alii, quos probat Laym. in d. *Capit. Suggeſtum, num.* 2. quod etiam ſumitur ex *l. Ex facto, ff. de vulgar.* & *pupill. ſubſtitut.* & *capit. Cum ad hoc, de Clericis non reſid.* ubi Textus, & Scribentes animadverterunt, privilegium non reſidendi, ſi per rerum mutationem Eccleſiæ oneroſum evadat, aùt ſcandalum, & juſtas querelas pariat, nullatenùs fore attendendum; quibus juribus demonſtratur, privilegia, quæ fiunt noxia, per ſe ceſſare; ſaltèm ſi cauſa mutati ſtatus, & orti gravaminis ſit notoria; cum nullo modo poſſit præſumi, intentionem Concedentis fuiſſe privilegium extendere ad caſum nocumentorum, aùt ſuorum, aùt aliorum, *arg. d. l.*

Ex

Ex facto, & Capit. Cum veniſſent, de jud. & probat Regula *61. de reg. jur. in 6.* Quod ob gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum. Si quis, præter enunciata circa amiſſionem privilegiorum, plura alia deſiderat, cernat Donat. *to. 1. Rer. Regul. Tract. 12. de amiſſ. & ceſſat. privileg. à qu. 1.* uſque ad ultimam.

32 Monet Laym. in *Capit. Cum ad hoc, num. 4. de Cleric. non reſident.* privilegium alicui perſonæ, aùt Communitati, aùt Regno à Sede Apoſtolica conceſſum, eſtò incipiat noxium eſſe Eccleſiæ, vel Reipublicæ, non ipſo jure annullari, ſeù caſſari, ſi ab initio validè eſt impetratum; undè ſubdo, Sedi Apoſtolicæ expedire, illud ſpecialitèr revocare, ſeù nullum, irritum declarare, & ſic non ampliùs illud ſubſiſtere, quamvis authentico obſignatum ſubſcripto, omnique ex parte fide conſtante Diplomate alicujus Romani Pontificis, ac ſæpiùs confirmatum, monſtrari poſſet: idque Sedi Apoſtolicæ licere, nulli dubium eſt; ſiquidèm conceſsâ à Papa, Principe, aùt quocunque Ordinario juriſdictione, etiam ad univerſitatem cauſarum, contentioſâ, aùt voluntariâ, in externo, vel interno foro, poſſe à Concedente arbitratu ſuo eam revocari, docet ex communi, Suarez in *3. par. tom. 4. diſp. 26. ſect. 3.* Sanchez *lib. 8. de matrim. diſp. 33. num. 6.* ubi monet, hanc doctrinam maximè veram eſſe, ſi Princeps Apoſtolicus juriſdictionem alicui etiam gratiosè commiſerit; v. g. ad diſpenſandum, legitimandum, à peccatis abſolvendum, & rationem adducit Baldus in *l. 3. num. 10. Cod. de bonor. poſſeſſ. tit. 14. unde liberi*; quia in conceſſione juriſdictionis ſemper intelligitur excepta ſuprema Principis poteſtas; intellige extrà caſum donationis, aùt pacti, de quo infrà. Si igitùr Conceſſiones gratioſæ poſſunt ad arbitrium revocari, multò magis licita cenſenda eſt earum revocatio, quando nocere incipiunt Concedenti, ſivè in juribus, ſivè in privilegiis, ſivè in rebus; cum legum omnium judicio privilegium mereatur amittere, qui permiſsâ ſibi abutitur poteſtate. Nobis favet authoritas Gregorii Papæ, qui præter alia de privilegiis, ab eadem Sede conceſſis, & immutatis, iſta, digna obſervatione, *lib. 6. epiſt. 2.* reſpondens ad pleroſque primarios Galliarum Epiſcopos, nempè Rhemenſem, Biſuntinum, Senonenſem, Bituricenſem, ac Turonenſem, ab Apoſtolicę Sedis Legato ſuſpenſos, Sedem Apoſtolicam

appellantes, reſcripſit -- Ad
,, id autèm, quod de privilegio
,, dicitis, brevitèr interim re-
,, ſpondemus, quòd poſſunt quæ-
,, dam in privilegiis pro re, pro
,, perſona, pro tempore, pro lo-
,, co concedi, quæ iterùm pro
,, iiſdem, ſi neceſſitas, vel uti-
,, litas major exegerit, licentèr
,, valent commutari; privilegia
,, ſiquidèm non debent Sanctorum
,, rum Patrum authoritatem in-
,, fringere, ſed utilitati Sanctæ
,, Eccleſiæ proſpicere, apud Baron. *tom.* 11. *Annal. ſub anno Chriſti* 1078. *pag. mihi* 525. *lit.*E.

33 Diximus, privilegia, quæ à Papa conceduntur, iterùm auferri poſſe; intellige, niſi tranſierint in contractum ob remunerationem, quia videlicèt, Pontifex promiſit, aùt dixit ſe non contraventurum; tunc enim abſque cauſa, ſeù pro libitu extolli non poſſe, ratio ſuadet, quia etiam Princeps ad contractus, aùt donationis abſolutæ factæ obſervantiam obſtringitur, ut ex communi notavit Felin. in *Capit. Quæ in Eccleſiarum*, *num.*51. *de Conſtit.* Afflict. *Deciſ.* 361. *num.*10. Gaill. *lib.*2. *obſer.* 55. Rom. *conſ.* 436. Alciat. & alii innumeri, quos producit; & probat Tiraq. in *leg. Si unquam, Cod. de revoc. donat. Tit. Donatione largitus*, *num.* 14. *pag. mihi* 148. aſſerens, privilegia conceſſa à Principe ob remunerationem tranſire in contractum, & fieri irrevocabilia: quod tamèn intelligendum eſt ordinariè, & ſecluſâ gravi neceſſitate; & ſic privilegia, ſeù conceſſionem Papalem, ſi cenſeatur tranſiſſe in pactum, non poſſe ordinariè revocari, etiam & nos fatemur: Secùs verò aliquâ neceſſitate urgente; quæ ſanè eſſet, ſi privilegia, à Sede Apoſtolica conceſſa, contra præcipua ejuſdem, ſeù Romanæ Eccleſiæ jura, ſivè privilegia invenirentur eſſe diſpoſita; tunc ſanè eſſe illa privilegia revocanda, prætèr rationes adductas, oſtendit exemplum Paſchalis II. qui promiſit, eſtò coactè, Henrico IV. Imperatori inveſtituras Epiſcopatuum, & Abbatiarum, noſcens hujuſmodi privilegium admodùm Romanæ Eccleſiæ juribus adverſari, illud in Concilio Lateranen. habito decimo quinto Kalendas Aprilis, anno Chriſti 1111. in Eccleſia Conſtantiniana, conſentientibus cunctis Epiſcopis, & Cardinalibus, & præſertim S. Brunone Aſtenſi, Epiſcopo Signiæ, plùs cæteris exclamante, intrepidè revocavit, & Privilegiatum anathemate feriit, clarâ voce dicens, ut notat Baron. *tom.* 12. *Annal. ſub d. anno Chriſti* 1111. *pagina mihi* 80. *lit. A.* -- Fateor

,, me

„ me malè egiſſe, ſed rogo vos „ omnes orare pro me ad Deum, „ ut indulgeat mihi. Illud au- „ tèm malè ſcriptum, quod in „ tentoriis factum eſt; quod pro „ pravitate ſui privilegium di- „ citur, condemno ſub perpetuo „ anathemate, ut nullius un- „ quam ſit bonæ memoriæ; & „ rogo vos omnes, ut idem fa- „ ciatis. Tunc ab Univerſis con- „ clamatum eſt, fiat, fiat. Baron. *loc. cit. p.* 111. *lit. A.*

34 Ad juſtiſſimam, neceſſariamque præfati privilegii revocationem, fuiſſe Paſchalem, non tàm propriæ conſcientiæ ſcrupulis; non tàm iteratis Epiſcoporum, & Cardinalium ſuaſionibus, quàm ſaluberrimis Nicolai Primi ſui Prædeceſſoris documentis permotum, conſtantèr autumo, in allegata Epiſtola decretali hæc ſubiicientis — Privilegia namque „ Romanæ Eccleſiæ totiùs ſunt „ Chriſti (ut ita dicamus) re- „ media Eccleſiæ Catholicæ. Pri- „ vilegia ſiquidèm Petri arma „ ſunt contra omnes impetus „ pravitatum, & munimenta, „ & documenta Domini Sacer- „ dotum, & omnium prorsùs, „ qui in ſublimitate conſiſtunt; „ immò cunctorum, qui ab iiſ- „ dem Poteſtatibus diverſis affi- „ ciuntur incommodis: apud Bar. *tom.* 11. *Annal. ſub anno Chriſti* 1097. *pag. mihi* 710. *lit. A.*

35 Aſtruentibus, privilegium, quâ tale, legis rationem propriè non habere, libentèr adhæreo, ſciens, omnem legem propriè dictam eſſe præceptum pluribus commune, *l.* 1. *ff. de leg.* & privilegium poſſe perſonam particularem reſpicere, itàut ad alios non pertineat; legem in Communitate permanere, vimque obligandi habere, *l.* 2. *ff. eod.* ibi — *Lex eſt, cui omnes homines decet obedire*, & *l.* 8. *eod.* ibi: *Jura non in ſingulas perſonas, ſed generalitèr conſtituuntur*; Privilegium verò reſpectu ejus, cui conceſſum eſt, obligationem minimè continere, quod probat Regula 70. *ff. de reg. jur. Invito beneficium non datur*; & nemo privilegio uti obſtringitur, ut notat Laym. in *Capit. Canonum*, *num.* 5. *de Conſtit.* ubi ſubdit, privilegium frequentèr legis rationem habere non reſpectu Privilegiati, ſed quoad alios, quibus præcipitur, ut illud obſervari faciant; aùt prohibetur, nè impediant, aùt ſe opponant; dummodò privilegium ſit ipſis ſufficientèr promulgatum, aùt cognitum.

36 Videamus nunc cui onus incumbat privilegia, ſeù jura Romanæ Eccleſiæ defendendi; dubio procul Catholicis cunctis ratione ſubjectionis ſpiritualis, præcipuè tamèn ſupremis Dominatoribus terræ,

Dei

Dei Cultoribus, ut admonet Textus in *Capit. Principes*, *cauſa* 23. *qu.* 5. ubi Iſidorus, inſpectâ hujuſmodi Dominatorum ſubjectione, & dependentiâ à Romano Pontifice, aſſerit, eos teneri juvare Eccleſiam, ſivè Romanum Pontificem, quod fusè per nos probatur in noſtro *Rom. Pontif. Propug. art.* 7. §. 4. Principes enim Catholici dicuntur Eccleſiæ Romanæ, ſivè Catholicæ Religionis Cuſtodes, & Defenſores; ideòque eam, ejuſque jura, ſeù privilegia debent tueri, *Capit. Boni Principes, Diſt.*96. *Capit. Tributum, cauſa* 23. *qu.* 8. aliiſque juribus à me relatis in *Theol. Bell.tom.*1. *lib.*1. *Diff.* 33. *n.* 10. *& ſeqq.* ubi hæc veritas pleriſque modis demonſtratur. Cunctos igitur Catholicos decet jura Romanæ Eccleſiæ propugnare; neminem tamen, ità ſtrictiùs, fortiùs,& ſeveriùs,quàm ipſammet Eccleſiam; cuique enim licere ſe & ſua tueri, & defendere, tradit Tex. in *l. Ut vim, ff. de juſt. & jur.* defenſionemque ſui, & ſuorum, nec à lege, nec à Principe tolli poſſe, legitur apud Felin. in *Capit. Ex parte*, il ſecondo, *de offic. Deleg.* quia defenſio unicuique à Natura ipſa conceditur, ut oſtendi in *Theol.Bellic. tom.*1. *lib.*4. *diff.*10. per totam.

37 Duo autèm peragendo Eccleſia Romana ſe, ſuaque jura, ſeù privilegia validè poteſt tueri; primum, revocando privilegia, quæ conceſſit, ſi noſcit ea ſibi nocere, vel rationabilitèr timet, ea ſibi nocitura, ut jam probatum eſt: ſecundum, ſuis armis, quæ ſunt decreta, Brevia, paternæ admonitiones, cenſuræ, nec non etiam arma temporalia, in eos inſurgendo, qui audent hujuſmodi jura invadere. Plura ſunt hujuſmodi Apoſtolicæ fortitudinis exempla, quæ brevitatis causâ omittimus; unum meo intento ſufficiet, quod eſt Deſiderii, qui Victor Papa Tertius fuit, quique energia admirabili, vigore Sacerdotali, libertate Apoſtolicâ in d. Henricum Imperatorem inſtiuſmodi jura Eccleſiaſtica invadentem, ei in faciem reſiſtendo, ſic loquutus eſt -- Sedes enim Apoſto-
„ lica Domina eſt noſtra, non
„ ancilla, nec alicui ſubdita, ſed
„ omnibus prælata; & ideò nul-
„ la omninò ratione ſub jugum
„ à quoquam mitti poteſt. Quod
„ ſi à Nicolao Papa factum eſt,
„ *ſcilicèt, ut arbitrium expecta-*
„ *retur Imperatoris in electione*
„ *Romani Pontificis, quod, ut*
„ *dictum eſt, falsò prætendebatur,*
„ injuſtè profectò, & temerè
„ præſumptum eſt, non tamèn
„ cujuſquam ſtultitiâ, vel teme-
„ ritate amittit Eccleſia dignitem ſuam, *Chron. Caſſ. lib.*3. *cap.*49.

*cap.*49. apud Baron. *tom.* 11. *Annal. ſub anno Chriſti* 1097. *pag.*709. *lit.D.*

38 Porrò, invaſis, ſeù ablatis Eccleſiaſticis juribus, ſivè privilegiis, quæ Petri ſunt arma, ut dixit Nicolaus Papa, *loc.cit.* contra omnes impetus pravitatum; quomodo poſſunt pravitatum agmina, ubique diſpoſita, everti? & cùm ſint munimenta Domini Sacerdotum, idem Nicol. quomodo poſſunt violentiæ Poteſtatum tùm infernalium, tùm terreſtrium arceri? Cùm ſint documenta omnium, qui in ſublimitate conſiſtunt, idem Nicol. quomodo poſſunt errores occulti detegi, falſa dogmata reprobari, veritates Evangelicæ aperiri? Cùm ſint remedia Eccleſiæ Catholicæ, idem Nicol. quomodo poſſunt tot mala, quæ Eccleſiæ Catholicæ paſſim contingunt, reparari. Sedes, Sedes Apoſtolica Domina eſt; ergò ſua jura, in quibus ſuum conſiſtit dominium, debet ſemper illęſa ſervare. Omnibus Prælata eſt: Ergo ejus jura, quibus ſuprema ejus prælatio, ſeù juriſdictio recognoſcitur, & exercetur, oportet ſemper in ſuo robore permanere. Totum myſticum Corpus eſt: Ergo ejus jura, quibus ejus membra ad æternam gloriam diriguntur, expedit continuò vigere: Ergo cuncta iis oppoſita debent reparari, ſivè ſint privilegia conceſſa, ſi nocent; ſivè Poteſtatum vires, ſi tentant nocere. Itâ ſentire videtur Gregorius Papa relatus in *Capit. De privilegiis, cauſa* 25.*q.*2. qui reſpondens Dominico Carthaginenſi Epiſcopo, ab eo quærenti, utrùm privilegia Eccleſiaſtica Eccleſiarum Papa debeat ſervare, inquit: De „ Eccleſiaſticis privilegiis, quod „ veſtra Fraternitas ſcribit, hoc „ poſtpoſitâ dubitatione, teneat, „ quia ſicut noſtra defendimus, „ itâ ſingulis quibuſque Eccleſiis ſua jura ſervamus, nec „ cuilibet gratiâ ſavente, ultra „ quàm meretur, impertior; nec „ ulli hoc, quod ſui juris eſt, „ ambitu ſtimulante derogabo: „ ſed fratres meos per omnia „ honorare cupio: & relatus in *Capit. Imperiali, ead. cauſâ, qu.*2. ubi non ſolum inutilia, ſed etiam pro infectis vult haberi, quæ juribus adverſantur, juxtà *Cod. lib.* 1.*tit.* 22. *de precibus Imperatori offerendis*. Et facit Text. in *Capit. Reſcripta, ead. cauſa, & qu.* ubi omnibus Judicibus mandatur refutare, ſeù reiicere Reſcripta, ideſt Privilegia, exponit Card. Turrecr. quæ contra jus eliciuntur, ſeù conceduntur.

§. V.

Plura ſub præſenti Capite deducta, uti Eccleſiæ, atque Eccleſiaſticis proficua, efferuntur.

39 Deducitur primò, quòd quando Summus Pontifex concedit facultatem Capellano Majori alicujus exercitus, vel ejus ſubdelegatis audiendi Militum confeſſiones, eoſque à reſervatis abſolvendi, intelligitur commiſiſſe tantùm conſuetam, & legitimam; & ſucceſſivè, non poſſunt vigore hujuſmodi conceſſionis abſolvere à caſibus exceptis, neve audire confeſſiones pœnitentium militiæ minimè adſcriptorum. Concordat Card. Turrecr. in *Capit. Placuit*, §. *ad octavum*, *num.* 11. *cauſa* 16. *qu.*1.

40 Deducitur ſecundò, privilegium, ſivè conceſſionem Summi Pontificis non debere cenſeri ullo modo fieri in præjudicium inferioris, cum juriſdictio inferioris totalitèr ex ordinatione Superioris dependeat; ut obſervat idem Turrecr. *loc. cit.* undè Locorum Ordinarii non poſſunt ob hujuſmodi Indulgentiam Pontificiam rationabilitèr conqueri, attentâ præſertim limitatione, quæ in Reſcripto, ſivè Brevi conceſſionis ſolet apponi, declarante illam valere, ubi Ordinarii non poſſent ſuam ordinariam juriſdictionem exercere.

41 Deducitur tertiò, cautè eſſe delegandam juriſdictionem Eccleſiaſticam, in Exercitibus exercendam, iis præcipuè, qui illam procurant ambitu, aùt vivendi libertate permoti; cum difficile ſit, ut bono peragantur exitu, quæ malo ſunt inchoata principio, ut ait Leo Papa I. *Epiſt.* 87. *ad Epiſcopos Africæ*, relatus in *Capit. Principatus*, *cauſa* 1. *qu.*1. ideòque privilegii ambitione obtenti attenuari vires, probat Textus in *l. unic. Cod. de Senat. Conſult. l. Denique*, *ff. de Minor. Capit. ult. de translat. Epiſc.* & docent Scribentes tàm Canoniſtæ, quàm Legiſtæ.

42 Deducitur quartò, Privilegium nunquàm eſſe ità interpretandum, ut privilegiato poſſit

poſſit eſſe noxium: quod etiam probat Textus in *l. Divus*, ibi- *Nec illorum magis intereſt*, *ff. de milit. teſtam.* & tradunt Alciatus in *Tract. præſumptionum*, *regul. 3. præſumpt. 29. num. 9. verſ. Et iſta*, Tiraq. *de Nobilit. cap. 6. n. 53.* & alii, qui debent fateri, neque eſſe ita interpretandum privilegium, ut valeat nocere Privileganti; ut ſupra oſtendimus.

43 Deducitur quintò, Capellanum Majorem Exercitus, ad Epiſcopatum electum, non amittere juriſdictionem ei à Summo Pontifice delegatam; quod etiam probat Textus in *l. Eos*, *Cod. de excu. muner. lib. 10.* ubi major dignitas ſuperveniens non tollit privilegium minorum dignitatum præcedentium, & *l. Municeps*, *ff. de municp.* ubi qui Senatoriam dignitatem adipiſcitur, municeps eſſe definit quantùm ad munera, non quantùm ad honores: & *l. talem inſtitutionem*, §. *ult. ff. de hered. inſtitut.* & docet Jo: Plat. in d. *l. Eos*, & Bal. *col. 1. in l. Recepetitia*, *Cod. de Conſtit. pec.* dicens, per novum privilegium nequaquàm adimi antiquum.

44 Deducitur ſextò, à Capellano Majori, ejuſque Subdelegatis, rebus cum Hoſte compoſitis, ſeù bello ceſſante, non poſſe ampliùs juriſdictionem, eis delegatam, aùt ſubdelegatam exerceri; ſiquidèm, ceſſante causâ privilegii, ceſſare paritèr privilegium, probat Tex. in *l. Cura*, §. *Deficientium*, *ff. de jure immunit.* & *l. Titia Sejo*, §. *Uſuras*, & ibi Gloſſ. & Bart. *ff. de legat. 2.* cum aliis multis, ab Andr. Tiraq. collectis in *Tract.* cui titulus — *Ceſſante cauſa, ceſſat effectus.*

45 Deducitur ſeptimò, non ſolùm Summum Pontificem, poſſe privilegium impertiri, ſed etiam Epiſcopum, juxtà tamèn limites ſuæ poteſtatis; patet etiam ex *Capit. Conſtitutus, de relig. Dom. capit. Cum venerabilis, de cenſib. capit. Viſis, cauſa 16. qu. 2.* & quidèm in præjudicium alterius; publicâ causâ id poſtulante, cum Epiſcopus poſſit dare, ſeù concedere decimas ex optimo Textu in *Capit. Statuimus*, *cauſa 16. q. 1.* & aliis juribus, ut notat Card. Turrecr. in *Capit. Quod autèm, num. 6. cauſa 25. qu. 2.*

46 Deducitur octavò, Privilegium à Sede Apoſtolica Archiepiſcopo collatum utendi pallio extrà provinciam ſuam non valere, niſi interveniente conſenſu Epiſcopi loci, ubi privilegium eſt conſummandum; & ipſo volente in aliena Diœceſi Clericos ordinare, & intèr ordinandum uti pallio, duplicem requiri conſenſum, tradit Abb. in *Capit. Ex*

tuarum, *num.* 11. *de auct. & uſ. pal.* Laym. hìc *num.*2.nempè conſenſum proprii Epiſcopi, nè ejus juriſdictionem invadere cenſeatur; & conſenſum Metropolitani; cum id cedat in diminutionem juris illius, niſi conſenſum præbuerit; ut conſideranti patet: privilegium enim alii conceſſum, ità eſt interpretandum, ut nemini præjudicium generetur.

47 Deducitur nonò, incidentèr, Summum Pontificem poſſe eſſe Judicem in cauſa, ſeù controverſiâ ortâ de privilegio, v.g. exemptionis, ſivè ſubjectionis immediatæ erga Sedem Romanam, quod aliqua Eccleſia prætendit, & tenet Gloſſ. in *Capit. Cum veniſſent*, & ibi Joan.Andr. *n.6.de jud.* Decius, *num.*5. & alii affirmantes, quòd Princeps, Superiorem non recognoſcens, poteſt in cauſa propria eſſe judex, freti *l. Et hoc*, *ff. de hæred. inſtituendis*, ubi Tiberius Imperator in cauſa propria ſententiam dixit. Crederem tamèn Principem, prudentiùs, tutiùs, atque conformiùs juri naturali ſe gerere, ſi cauſam, aùt Arbitris committat, aùt Judices ordinarios conſtituat in cauſis intèr ipſum, & ſubditos contingentibus, *l. Si adversùs privatos*, *Cod. Si adversùs fiſcum*; ubi habetur, in controverſia intèr fiſcum Cæſaris, & perſonam privatam, Procuratorem Cæſaris unâ cum Præſide Judicem eſſe debere: cui conſonat *l. uni. Cod. Ne quis in ſui cauſa judicet*, *vel jus ſibi dicat*.

48 Deducitur decimò, paritèr obitèr, privilegio conceſſo Communitati poſſe communi illius conſenſu renunciari, juxtà Regulam, quòd favori ſuo ji, quibus competit, renunciare poſſunt, arg. ex *Capit. Pro illorum*, *de præbend.* Secùs verò, totâ Communitate minimè conſentiente, ſed jis tantummodò conſentientibus, qui aliquam habent adminiſtrationem, putà, conſentiente Epiſcopo cum Capitolo Cathedrali, conſentiente Generali Ordinis cum Congregatione generali: hos enim non poſſe privilegio, quod eſt utile, ac honorificum Eccleſiæ, renunciare expreſsè, aùt tacitè, niſi præſcriptio acceſſerit, docet, aliis relatis, Laym. in *Capit. Cum acceſſiſſent*, *num.*12. *de Conſtit.* ubi ſubdit, idem eſſe dicendum, ſi privilegium reale ſit dignitati, aùt loco, v.g. Civitatis, aùt Eccleſiæ conceſſum, ſcilicèt illud non poſſe per quorumdam renunciationem tolli; præterquàm ubi conſtet, privilegium utile non eſſe, aùt fortaſſe eſſe noxium; quo in caſu illud per ſe ceſſare, ac proindè non eſſe obſervandum, probat juris Regula 61. in 6. *Quod*

ob

ob gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum: & fusè dictum eſt ſupra.

49 Deducitur undecimò, Reſcripta, & privilegia Principum falſa, & ſubreptitia præſumi, ſi non poſſunt ad praxim deduci, niſi cum notabili aliorum, præſertìm Communitatis, aùt Eccleſiæ præjudicio; *arg. l. Servitutes*, *§. Loco publico*, ubi Gloſſ. *v. Incommodo*, *ff. de ſervit.* & ità ſentit Gloſſ. finalis in *Capit.2. de reſcrip.* niſi tamèn fiat expreſsè mentio de incommodo, ſeù præjudicio aliis inferendo, & nulla fraudis ſuſpicio adſit, *l. Prætor ait.§.Si quis à Principe*, *ff. Ne quid in lo. pub.* ubi dicitur — Si quis à
„ Principe ſimplicitèr impetra-
„ verit, ut in publico loco ædi-
„ ficet: non eſt credendus ſic
„ ædificare, ut cum incommo-
„ do alicujus id fiat: neque ſic
„ conceditur ædificare, niſi for-
„ tè quis hoc impetraverit, ubi Gloſſ. *v. Impetraverit*; immò videtur non poſſe impetrari cum incommodo aliorum.

50 Deducirur duodecimò, non eſſe retractandum privilegium, cujus vigore jus abſolutum fuit acquiſitum, juxtà Regulam 73. *de reg. jur. in 6.* quæ eſt: *Factum legitimè retractari non debet, licèt caſus poſteà eveniat, à quo non potuit incboari*: quamobrèm ſi filius naturalis reſcripto Principis ſit legitimatus ad Patris hæreditatem, poſteà enaſcente, ſeù nato filio legitimo, privilegiata legitimatio ſubſiſtit, ut docet Abb. in *Capit. Suggeſtum*, *num.5. de decim.* & ibi Laym. *num.* 3. E contra verò privilegia effectum ſucceſſivum habentia, ſi in grave aliorum præjudicium tendat, itaut ſcandalum, & querelæ juſtæ oriantur; v. g. ſi privilegium non reſidendi, non ſolvendi decimas &c. ſi per rerum mutationem Eccleſiæ oneroſum fiat, aùt ſcandalum, aùt querelam juſtam pariat, ceſſare debere, aùt revocari, docent Innoc. & alii in d. *Capit. Suggeſtum, de decim.* Rebuff. *qu.* 14. *num.* 55. & ſumitur ex *l. ex facto* 43. *ff. de vulg. & pupill. ſubſtit. & capit. Cum ad hoc, de Cleric. non reſiden.* Licet enim privilegium ab initio, & pluribus ſequentibus annis vim habuerit, tamen ſuccedente tempore fieri poteſt, ut ejus vis, & effectus ob rerum mutationem fiat nimis oneroſus; & ideò ceſſare debet; cum non fuerit intentio Concedentis ad eum caſum privilegium extendere, ità Laym. *loc. cit.*

51 Deducitur decimotertiò, Principem ſtatuta, & privilegia confirmantem, cenſeri confirmaſſe juſta, non autèm iniqua,

qua, quod etiam docet Bald. in *l.*1. *ff. de his, qui ſunt ſui, vel alien. jur.* Dec. in *conſil.* 71. *in fin.* Card. Pariſius in *conſil.*33. *&* *conſil.*106. *vol.*3. quia ſtatutum, cauſâ juſtâ minimè interveniente, factum eſſe invalidum, probat Chriſtoph. de Caſtellon. in *conſil.9. num.*10. cum aliis, quos producit: & ſequitur Borrell. *de Magiſt. Edic. lib.2. cap.2. n.*32.

52 Deducitur decimoquartò, Reſcripta ad lites ſtrictę eſſe interpretationis, cum præbeant cauſam litigandi, poſſintque in alterius præjudicium cedere; & ſic odioſa cenſeri; ſicque reſtringenda: ut tradit Abb. in §.*Sunt & alii, de Reſcrit.not.*1. *&* 2. *in fin.* Laym. hìc *num.*1. ubi ſubdit, idem eſſe dicendum de reſcriptis ad Eccleſiaſtica beneficia, propter ambitionem, & avaritiam penitùs avertendam uti Clericis plurimùm noxiam; quodque probat Textus in *Capit. Quamvis, de præb. in 6.*

53 Deducitur decimoquintò, licere Ordinariis eorumque Succeſſoribus revocare privilegia merè gratuitò conceſſa, itàut non tranſierint in donationem, aùt pactum proptèr aliquod viciſſim receptum; & ità ſentire videtur Bald. in *l.*3. *num.* 10. *Cod. de bonor. poſſeſſ. unde liberi.*

54 Deducitur decimoſextò, Ordinarios non poſſe Regularium privilegia interpretari, cum illius ſit interpretari, cujus eſt concedere, ut juribus ſupra oſtendimus: & in ſpecie ità decrevit quoad eadem privilegia Clemens IV. in ſua Conſtitutione, quæ incipit, *Ordinis veſtri*, apud Confeſ. *Conſtit.* 1. ejuſdem Pontificis: & paſſim idem decrevere alii Pontifices in favorem aliarum Religionum, ut notat Paſq. *tit. In quib. Monial. exempt. ſubd. Epiſc. q.*10. *num.*80. *in fin.*

55 Deducitur decimoſeptimò, Privilegium Regularibus conceſſum cum clauſula, ut nullâ contrariâ Conſtitutione revocatum cenſeatur, niſi ejus mentio ſpecialis fiat, ſi in corpore juris non contineatur, cenſeri debere revocatum per clauſulam generalem -- Non obſtantibus quibuſcunque, qualitercunque conceptis privilegiis. Quod etiam docet Abb. in *Capit. Cum inſtantia, nu.* 5. *de cenſ.* Felin. in *capit. Nonnulli, num. 6. hoc tit.* Emmanuel Rodriq. *tom.* 2. *qq. regul. q.* 2. *art.*7. ubi ait -- Multæ Reli-
„ giones, præcipuè Mendican-
„ tes hujuſmodi habent clauſu-
„ lam derogatoriam Conſtitu-
„ tionum ſubſequentium, niſi
„ privilegiorum mentio fiat, &
„ tamèn invenio multa earum
„ privilegia revocari in Concilio
„ Tridentino, in quo nulla de

„ ipſis

„ ipſis Religionibus mentio fit. Secùs verò ſi hujuſmodi privilegium cum hujuſmodi clauſula derogatoria in corpore juris extet; tunc enim privilegium non eſſe cenſendum per generalem legem ſublatum, aùt derogatum, niſi ſpecialis ejus mentio, ac derogatio fiat, docet Gloſſ. in *l. 3. v. Pragmatica, Cod. de Silentiariis, lib.* 12. ubi producitur exemplum ſcitu dignum, huic rei apprimè accomodatum; nec non Gloſſ. celebris in *Authen. Quia in provincia, ver. illic, omni privilegio ceſſante.* Videatur Suarez *loc.cit.* Accedit ratio; quia per legem generalem non infirmatur, ſeù non tollitur ſpecialis, ſi ob peculiarem rationem excepta videri poſſit: diximus ſuperiùs per ſpeciem generi derogari.

56 Deducitur ultimò, Privilegium à Principe conceſſum uſque ad beneplacitum ſuum, eo defuncto, abſque alia revocatione, expirare; cùm per obitum perſonæ Concedentis ejus beneplacitum extinguatur. Circa hanc materiam, cernatur Text. in *Capit. Gratum, capit. Relatum, capit. Licèt undique, de offic. Deleg. capit. Si gratiosè, de Reſcript. in 6. l. Et quia, ff. de juriſd. om. jud. l. Vectigali, ff. de pignoribus, l. Locatio, ff. Locati.* Videatur Mol. in *tract. 2. de juſt. diſp.* 298. *nu.* 10. & *tract.* 5. *diſp.* 20. *nnm.* 6. Suarez *lib.* 8. *de leg. diſp.* 33. *num.* 3. Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 28. *num.* 30. & *ſeqq.* Laym. in *d. capit. Si gratiosè, Not.* 2. *num.* 2. & *ſeqq.* ubi alios producit, & plura tàm in Juribus allegatis, quàm apud Scribentes productos, ſcitu digna, & neceſſaria reperiuntur, à nobis omiſſa brevitati Studentibus, & prolixitatem abhorrentibus.

CA-

CAPUT IV.

FACTI SPECIES.

Sedes Apoſtolica, quæ Animarum ſaluti ſempèr incumbit, ſolet Delegato pro ſpiritualibus bellorum rebus facultatem impertiri alios Sacerdotes ſubdelegandi probos, & idoneos, ac prævio examine diligenti ab Ordinario approbatos. Ordinarius ſciens, quemdam Presbyterum eſſe idoneum, prætermiſſo examine, illum approbavit, eumque tradidit Capellano Majori, qui renuit intèr Confeſſarios Exercitus, illum adnumerare, dicens, minimè fuiſſe ab Ordinario in approbatione illius, ſervatam formam Concilii Tridentini, Seſſ. 7. de reform. cap. 11. & 13. ſeſſ. 23. eod. tit. cap. 3. Controvertitur quid juris?

§. I.

Quædam controverſię reſolvendę, Diſcuſſionem concernenti, pręmittuntur.

1 Præmittimus primò, nullum Sacerdotem, ſivè ſæcularem, ſivè regularem poſſe Confeſſiones, ſivè Militum, ſivè aliorum ſæcularium audire, niſi ab Epiſcopo, ſufficientem notitiam de illius idoneitate minimè habente, per examen ſit approbatus, aùt Parochiale Beneficium habuerit, quod habetur, ex Trid. *Seſſ.* 7. *de reform. cap.* 11. & 13. *ſeſſ.* 23. *eod. tit. cap.* 3. 7. 12. & 14. Et ratio ſuadet, quia in approbandis Confeſſoribus debet manifeſtè conſtare de eorum ſcientia, ut tradit Gloſſ. communitèr recepta in *Clem. Dudùm*, §. *Statuimus*, *de Sepulturis*, ubi ſex enumerat qualitates in Confeſſario neceſſarias, intèr quas præcipua eſt, quòd ſagacitate,

citate, & prudentiâ polleat; ut ſciat ſolvere, & ligare, ac miſericordiam cum rigore miſcere, juxtà Tex. in *Capit. Diſciplina*, 45. *Diſt.* quod advertit Archidiac. in *Capit. Pœnitentia, de pœnit. Diſt.* 1. Panor. *in Capit. Niſi utriuſque ſexus, num.* 7. *& ſeqq. eod. tit.* Undè Gloſſ. in *capit. Conſideret, de pœnit. Diſt.* 5. aſſerit, tantâ debere Confeſsarium ſapientiâ pollere, ut diſcernere valeat intèr morbum, & morbum, lepram, & lepram; & hic eſt communis Theologorum ſenſus. Tùm quia, examen requiri in Confeſsoribus ex Concilio Tridentino pro forma, in jis ſaltèm, qui aliàs non dignoſcantur eſse ab Ordinario idonei, colligitur ex traditis latiſſimè per Pariſium in *Tract. de reſignat. Beneficior. lib.* 7. *quæſt.* 9. Gonzal. Gloſs. 5. §. 3. *num.* 8. *& ſeq.* Quando verò examen requiritur pro forma, non ſufficere præſentationem virtualem, ſed requiri perſonalem, docet Bald. in *Capit. Conſtitutus*, il ſecondo, *num.* 4. Dec. *num.* 7. Felin. *num.* 10. Anan. *num.* 12. *de appellat.*

2 Præmittimus ſecundò, examinandos maximè eſse Sacerdotes in exercitibus Confeſſionibus Militum exponendos, quia ad hujus Miniſterii exercitium oportet eos eſse cautos, & doctos, ut queant ea diſcernere, quæ reſtitutioni obnoxia ſunt, & quæ minimè ſunt reſtituenda, ne id prætermittant, ad quod debent obligare, nevè obligare ad id, quod erat prætermittendum, ut diximus in *Theol. Bell. tom.* 2. *lib.* 6. *Diff.* 4. *num.* 22.

3 Præmittimus tertiò, teneri Principes, Duceſque exercituum, prout ſecundùm Deum expedire cognoverint, in ſuorum Militum Confeſſarios, ſivè Miſſionarios, Sacerdotes eligere ſufficientes, idoneos, vitâ probatos, diſcretos, modeſtos, ſapientes, atque peritos ad tàm ſalubre miniſterium, & officium exequendum; quos ſic ab ipſis electos, ut verbis utar d. *Clem. Dudùm*, repræſentent, vel faciant præſentari Prælatis, ut probatâ per examen prætenſâ idoneitate, valeant de eorum licentiâ, gratiâ, & beneplacito confeſſiones audire beneficium abſolutionis impendere.

§. II.

Epiſcopo quandoque licere licentiam alicui Presbytero impertiri, Militum, aliorumque Chriſtifidelium Confeſsiones audiendi, examine prętermiſſo, ſi idoneum illum dignoſcat, non videtur ambigendum.

4 DOctrinam hujus paragraphi tradit Sanchez in materia Ordinandorum, quem producit, & ſequitur Tho. Tambur. *lib.* 10. *de irreg. cap.* 12. §. 4. *num.* 1. ibi ſubdens, convenientiùs fore putare, ſi ille, quem noſcit eſſe idoneum, non examinetur, ut cunctis pateat, benignè, imò, & cum decore excipi ab Eccleſia Sapientes: Et ità in re noſtra docet Joan. Aloyſ. Riccius, *tom.* 1. *in prax. var. reſol. Reſolut.* 21. *num.* 2. Paſq. *de approbat. Confeſſariorum*, *qu.* 3. *ſub num.* 1396. dicens, examen haud eſſe neceſſarium pro forma in approbatione Confeſſariorum, inhærens Concilio Tridentino, quod obſervat *loc. cit.* non ſe reſtringere ad dictum examen; ſed dicere -- aùt aliàs idoneus judicetur; quod eſt totum fundamentum noſtri aſſerti.

5 Moveor itaque primò, juribus, ſiquidèm dictio, *aùt*, quamvis interdùm copulativè, ſeù conjunctivè accipiatur, & tunc requirat concurſum utriuſque, maximè quando ponitur intèr perſonas; & tunc æquivaleat dictioni *Et*, *l. Sæpe*, *ff. de verbor. ſignif. l. Cum quidam*, *verſ. Meliùs itaque*, *eod. tit. capit. In omnibus vobis*, *in fin.* & ibi Gloſſ. *verb. Ait*, *cauſa* 2. *qu.* 4. Nihilominùs disjunctivam propriè eſſe, ac disjunctivè regularitèr ſumi hanc dictionem, probat Tex. in *l. Si ex toto*, §. 1. *ff. de leg.* 1. *l. Ille*, *aùt ille*, in princ. *ff. de leg.* 3. *l. Titio*, *ff. de leg.* 2. & eſſe alternativam, & idem importare, quod *ſeù*, aùt *ſivè*, docet Bald. *conſ.* 45. & 450. *lib.* 5. Card. Tuſch. *tom.* 2. *lit. D. concl.* 244. *num.* 8. Flamin. Pariſ. *de confid. beneſ. qu.* 32. *nu.* 40. &

Digitized by Google

& ut verificetur, ſufficere alteram partem eſſe veram, probat Tex. in *l. Plerumque*, §.*fin. ff. de jur. dotium*, *l. Si hæredi plures*, *ff. de cond. inſtit.* & tradit Rebuff. in *comment. ad l. Oſtentum* 38. *verſ. Aùt*, *de verbor. ſignif.* cum pluribus aliis; quos refert Barboſ. *de dict. uſuf. dict.* 46. ac proindè Gloſ. 1. in *capit. Cum plures*, *de offic. Deleg. num.* 6. aſſerit, quòd iſta alternativa attribuit actum cuilibet in ſolidum. Idemque ſentiunt Archidiac.in d. *Capit.Cum plures*, Joan. Andr. Franch. & alii, quos refert Cened. poſt Canonicas quæſt. *ſingul.* 6. *n.*3. *in fin.* Cum igitur Concilium non ſe reſtringat ad examen, ſed dicat *Aùt*, aliàs idoneus judicetur, cenſendum eſt, mentem Concilii benè adimpleri, & Epiſcopum ſuæ obligationi ſatisfacere, ſi cum plena notitia idoneitatis Sacerdotis, omiſſo examine, ad audiendas Chriſtifidelium confeſſiones illum admittat.

6 Moveor ſecundò ratione, ſeù potiùs exemplo Doctoratus, Gloſ. in *Capit. Nullus*, *v. Teſtimonio*, *Diſt.* 24. Dec. in *Capit. Conſtituit*, il ſecondo, *n.*3. *de appellat.* Felin. in *capit. fin. num.* 28. *de præſumpt.* Gonzalez, *ad Reg.* 8. *Cancel. gloſ.* 4. *nu.* 86. Henriquez, *lib.* 10. *ſum. cap.* 18. & alii plures conſtantèr ſuſtinent in Doctoratu, in quo fit judicium de doctrina, ſivè idoneitate Doctorandi, poſſe examen prætermitti, quando ſcientia Doctorandi eſt notoria: & hoc ratiocinium valere in Approbando ad Confeſſiones, tenet Paſq. *loc. cit.* cum hoc tamen diſcrimine, quòd in Doctorando abſque examine, ejus ſcientia debet eſſe notoria, non ſolùm iis, qui debent ſuffragium ferre pro Doctoratu; ſed etiam cæteris: Doctoratus enim eſt Gradus publicus; ità & publica debet eſſe Habilitas Doctorandi; & ſucceſſivè ejus ſcientia debet publicè eluceſcere, ut tollatur ſuſpicio, Inhabiles laureâ donari: At ſcientia Approbandi ad confeſſiones ſufficit, quòd innoteſcat Approbanti, cui tantùm inſervit notitia, ut poſſit rectè approbare; quod ſufficit, ut locum habeat argumentum à ſimili; quod approbant Imol. Abb. & alii, quos refert, & ſequitur Menoch. *conſ.* 1014. *n.*27.

7 Non levis eſt intèr Doctores controverſia, undè ſumenda ſit notitia idoneitatis Approbandi ad Confeſſiones, quam dicimus fore neceſſariam Approbanti; & loquentes de Regularibus aſſerunt, eam poſſe ſufficientèr deſumi ab approbatione, & atteſtatione factâ ab eorum Superiore; ità Tamb. Paſq. *loc. cit.* & alii plures; quorum opinioni libentèr adhæreo;

 dum-

dummodò Approbanti, ſeù Epiſcopo moralitèr conſtet de ſinceritate, diligentiâ, & integritate, necnon idoneitate Superioris, itaùt velit, & valeat, rectum ferre judicium de habilitate, & idoneitate ſuorum Subditorum. Poſitâ hac conditione; poſſe Epiſcopum, ſeù Approbantem acquieſcere judicio Superiorum regularium, ſeù eorum examini, & approbationi, non dubitamus; ſcientes, & ipſum Summum Pontificem ſuum laudabilitèr ferre judicium in cauſis graviſſimis, quas alicui peculiari Congregationi committit examinandas, innixum fidelitati, integritati, doctrinæ Congregatorum; rectam propterea, à qua movetur ad judicandum, relationem exiſtimantem. Quis neſciat, in noſtro caſu Epiſcopum cenſeri Superioribus regularibus committere cognitionem cauſæ, ipſumque ſtare eorumdem relationi tanquàm inſtructum, & vigore hujuſmodi relationis approbare; ac proindè Approbanti ex tali relatione, quæ debitum eſt fundamentum approbationis, ſufficientem ſuppeditari notitiam? Licet enim argumentari ab identitate rationis, juxtà *l. Illud*, in princ. *ff. ad leg. Aquil.* & *l. A Titio*, in princ. *ff. de verbor. oblig.* & tenet Menoch. *conſ.* 278. *num.* 34. Loquentes verò prææallegati Doctores quoad cæteros non regulares, aſtruunt, ſufficere Epiſcopo approbanti notitiam idoneitatis Approbandi, deſumptam à relatione ſuorum Examinatorum, quibus ipſum acquieſcere, Praxis, ſeù Conſuetudo, quæ eſt optima Legum Interpres, quotidiè demonſtrat.

8 Non obſtat Decretum in Sacra Congregatione de propaganda fide, *die* 30. *Octobris*, 1651. proponente Eminentiſſimo Domino Cardinali Barberino emanatum, quo decernitur, eos, qui inſtant, ut ad Miſſiones mittantur, priùs eſſe indiſpenſabilitèr examinandos hoc modo, Romæ degentes, in Aula Palatii Sac. Congregationis, à Lectoribus Theologiæ, & Controverſiarum ejuſdem Collegii, coram Eminentiſſimo D. Præfecto S. Congr. & Illuſtriſſimo D. Secretario. Si verò extra Urbem reperiantur, coram Illuſtriſſimo D. Nuncio Apoſtolico, vel Epiſcopo Diœceſano ab Examinatoribus, ab eiſdem deputandis. Ità refert Vericell. *de Apoſtol. Miſſion. Tit.* 5. *qu.* 271. Quod Decretum fuit poſtmodùm in Sac. Congreg. innovatum *die* 3. *Octobris*, *anno* 1707. coram Sanctiſſimo Domino Noſtro Clemente XI. habitâ, & ab eodem Summo Pontifice lubentiſſimè approbatum, uti

clarè

clarè noſcente, illud valdè expedire ad dignoſcendam idoneitatem Miſſionariorum Apoſtolicorum, quos ſummoperè diligit, & peramantèr excipit, pro altiori eorumdem profectu, quem enixè deſiderat; proque tutiori Infidelium converſione, quam ſemper exoptat; pro Animarum ſalute, quas continuò ſatagit Divino Redemptori mundas reſtituere, æternâ remuneratione, cœleſti gloriâ in æternum fruituras. Vult enim Sac. Congregatio, Oblatos ad Miſſiones Apoſtolicas examinari, quia ſibi non conſtat de eorum idoneitate.

9 Neque obſtat Textus in *Capit. Intèr cætera, de offic. Ordin.* ubi declarat diſtrictæ ſubjacere ultioni Epiſcopum, ſi neglexerit viros idoneos ad audiendas Confeſſiones admittere; quod ſanè contigeret, ſi examen omitteretur. Textui conſonant Doctores aſſerentes, gravitèr peccare Epiſcopum, ſi aliquem ad confeſſiones approbaret omiſſo examine, cum in re gravi malè ſuum exercerет officium, exponeretque periculo æternæ perditionis Oves ſibi commiſſas; cùm ſineret, eas dirigi ab jis, quos ignoraret eſſe idoneos pro hujuſmodi directione. Nam Textus, & Doctores ſupponunt nullam, vel ſaltèm inſufficientem notitiam adeſſe in Epiſcopo de eorum idoneitate.

10 Animadvertant Superiores regulares, gravitèr peccare, ſi plùs æquo ſint in examinandis ſuis ſubditis indulgentes; ſi atteſtentur Epiſcopo, aliquem eſſe idoneum, cujus ignorant idoneitatem; in hac enim re eorum teſtimonium multifariam jure culpatur; ſiquidèm, dùm Epiſcopus ſe remittit eorum judicio, eorumdem fidelitatem expoſtulat, ipſique tacitè promittunt, acceptantes munus atteſtandi de idoneitate; ideòque mentiuntur, & contra fidelitatem culpabilitèr agunt. Inſupèr animadvertant, reos illius peccati evadere, quo fœdaretur Epiſcopus approbando quem neſcit eſſe idoneum, cum ſint cauſa gravis inconvenientis, ſeù illegitimæ approbationis, & ſucceſſivè ſi ex defectu idoneitatis in Confeſſariis malè approbatis deficeret bona Animarum directio, de omnibus defectibus conſcientiarum malè directarum, eſſent Judici æterno ſtrictam reddituri rationem.

11 Animadvertant quoque Examinatores, culpam gravem minimè ſe effugere, admittentes ad Confeſſiones, vel ad Sacros Ordines, eos, qui ad hujuſmodi munus ſufficientiam non habent; & prætèr culpam, juxtà diſpoſitionem Concil. Tolet, 22. c. 3. ab officio,

cio, & beneficio per annum ſuſpendi, attento jurejurando præſtito, quando ad id munus aſſumuntur, de fidelitate, & integritate ſervandâ, Tid. *Seſſ.* 23. *de ref. cap.* 18. & ideò omittentes agere, quod debent, nempè repræſentando Epiſcopo veritatem, vel agentes ex paſſione, quod non debent, ſeù veritatem occultantes, non ſolùm in errorem inducunt Epiſcopum, quod grave eſt delictum, ſed etiam rei perjurii conſtituuntur.

12 Addo obitèr, Examinatores debere eſſe Clericos, ſivè ſæculares, ſivè regulares; viros pios, prudentes, in lege Divina, & rebus Eccleſiaſticis verſatos, Doctores ſivè in Theologia, ſivè in Jure Canonico, Concil. Trid. *ibid. Capit. Quem pœnitet. de pœnit. Diſt.* 1. *Cap. Qui vult, Diſt.* 5. *eod. tit.* Concil. Mogunt. IV. *c.* 22. Concil. Rom. III. ſub Cregorio VII. *cap.* 5. nevè poſſe quidquam ab Examinatis, aùt ante, aùt poſt examen, accipere, Trid. *ibid.* ut liberè, & ſincerè valeant de idoneitate, vel inhabilitate eorum, qui pro audiendis Confeſſionibus, examini ſe exponunt, Epiſcopum informare.

§. III.

Idoneitatem, quam in Approbandis ad confeſſiones audiendas Concilium Tridentinum expoſcit, & Ordinarius noſcere debet, in pluribus, præcipuè in ſcientia, & prudentia pro abſolutione à reſervatis (quæ in Militia non raro contingunt) conſiſtere, communis eſt Doctorum conſenſus.

13 Confeſſarios Militum, & aliorum plura teneri ſcire, declaravimus in *Theol. Bell. tom.* 1. *lib.* 3. *diſſ.* 35. *num.* 3. & alibi, & fuſiùs *tom.* 2. *lib.* 5. *diſſ.* 4. *num.* 20. *&* 21. & eadem hîc repetere, brevitati, cui ſtudemus, non videtur congruere.

14 Nos non latet confeſſionibus, ſcien-

ſcientiam dici à verbo *ſcio*, quod propriè ſignificat rem ratione, & per cauſas cognoſcere, ſecundùm Ariſt. *lib.6. Ethicor.* eſſe habitum demonſtrativum; & ſecundùm alios, eſſe determinationem intellectus ad alteram partem cùm certitudine; & intelligentiæ, ingeniique viribus, atque ex univerſalibus, principalibuſque, veris, neceſſariis, ac primis, & immediatis eam excitari; dicique ſcientiam, ſecundùm actum, vel habitum, quemadmodum ſcibile dicitur ſecundùm potentiam; & ideò hæc duo, nempè ſcientiam, & ſcibile non eſſe ſimul naturâ, docet D. Th. 1. *p. qu.* 13. *art.*7. Additur, ſcientiam, quæ cuilibet neceſſaria eſt pro exercendo munere ſuo, dividi in eminentem, mediocrem, & ſufficientem, ut advertit Card. Turrecr. in *Capit. Ignorantia, num.2. diſt.* 18. & dici ſcientiâ eminenti pollere eum, qui ſcit ſubtiles quæſtiones diſcutere, definire, & ad objecta promptè reſpondere: dici mediocrem ſcientiam habere, qui ſcit aliquo modo examinare quæſtiones, eſtò neſciat ad omnia reſponſum dare; quique veritatem eorum, quæ ſcire tenetur, ſcit apud Doctores, ſeù in Libris Authorum quærere, & invenire; non tamèn ſcit de omnibus promptè diſponere; coactus propterea quandoque Doctores conſulere; dici demùm ſcientiam ſufficientem, ſeù competentem poſſidere illum, cui ſufficit ad agendum, quæ ſibi occurrunt. Subdimus, non in omnibus, & ſingulis requiri ſcientiam in triplici gradu conſideratam, ut eorum valeant exercere officium, ſed eam dumtaxàt, quæ ſufficiat ad illud rectè exercendum, juxtà menſuram eorum, ad quæ officium ſe extendit, ut ſcilicèt illi, qui directionem, & curam ſuſcipiunt Animarum, ut ſunt Confeſſarii, Parochi, & Epiſcopi, ſciant ea, quæ ad doctrinam fidei, & morum pertinent; & ea minimè abjiciant, quæ ad ſui muneris executionem ſpectant; aliàs ſubjicientur cenſuræ Simmachi Papæ, dicentis in *Capit. Viliſſimus, cauſa* 1. *qu.* 1. viliſſimum illum reputari, qui aliis prælationis honore eſt præſtantior, niſi ſit ſubditis ſcientiâ, & ſanctitate excellentior; quod etiam probat Textus in *Capit. Convenientibus, ead. cauſa, q.*7.

15 Nec itèm nos latet, ignorantiam, quæ eſt carentia ſcientiæ, dividi in ignorantiam juris, & facti, juxtà Gloſſ. in *Capit. Hac Conſtitutione, de offic. Delegi in 6. l.* 1. & *l. regula, ff. de jur. & fac. ignor.* & utramque dividi in ignorantiam

invin-

invincibilem, quæ dicitur probabilis, & inculpabilis; & vincibilem, quæ ſubdividitur in affectatam, craſſam, tenuem, & comitantem. Appellamus ignorantiam juris illam, quâ jus neſcitur; facti verò, quâ ignoratur factum. Ut clariùs res pateat, ſit exemplum: ignorantia, quâ quis neſcit percuſſionem Clerici ſub pœna excommunicationis prohiberi, dicitur juris, ſeù legis: ignorantia verò, quâ idem ignorat, Titium à ſe percuſſum eſſe Clericum, vocatur ignorantia facti; cum neſciat circumſtantiam Clericatus in Titio; eſtò aliàs ſciat, per Clerici percuſſionem, quæ eſt ſacrilega, induci excommunicationem. Ex quibus patet quomodo ſit intelligenda illa Regula -- Ignorantia facti non juris excuſat, quæ eſt 13. *de reg. jur. in 6.* quam propriè locum habere quoad forum externum, in quo juris ignorantia non præſumitur, probat Sanchez, aliis pleriſque allegatis, *lib. 9. de Matrim. diſp. 32. num.* 10. Plura de ignorantia omittimus, fusè producta in *Theolog. Bellic. tom. 1. lib. 4. diff. 32. num. 4. & ſeqq.* nec non alibi. Hìc tantummodò animadvertimus, pro minùs Eruditis, ignorantiam probabilem, ſeù invincibilem illam eſſe, quâ quiſpiam neſcit, quæ ſcire non tenetur, aùt ſi tenetur, nulla in eo præceſſit advertentia, cognitio, aùt dubitatio; quæque appellatur invincibilis, quia diligentiâ vinci non poteſt; inculpabilis, quia caret culpa; probabilis, quia probatur eſſe ſinè peccato; & etiam juſta, quia juſtum eſt, illâ laborantes non peccare. Mirum igitur non eſt, hac ignorantiâ laborantem excuſari non ſolùm à peccato, ſed etiam à cenſuris, & irregularitate ex delicto, & à pœnis privationis vocis activæ, & paſſivæ, & officiorum; cum hæc omnia ſint pœnæ, quæ ſemper ſupponunt culpam, ut tangit Tex. in *l. Sancimus, Cod. de pœnis*, & tradunt communitèr omnes Scribentes; ſiquidèm pœna eſt medicina culpæ, ut ſentit S. Aug. *lib. 1. Retract. cap. 9.* & ideò pœnam eſſe proportionandam culpæ, probat Tex. in *Capit. Non afferamus, cauſa 24. quæſt. 1.*

16 Docet Ariſt. 6. *Ethicor.* prudentiam ſtrictè ſumptam eſſe virtutem intellectivam circa agibilium negotia; & largè conſideratam accipi pro notitia Sacrarum Litterarum, quam debent hàbere Sacerdotes, ut vult Card. Turrecr. in *Capit. Oportet, num. 1. Diſt. 36.* juxtà illud *Prov. 9. Scientia Sanctorum prudentia.* Prudentiam eſſe rerum appetendarum,

&

& evitandarum rerum, ſcientiam, docent S. Aug. *lib. 1. de lib. arbitr. cap.* 13. D. Th. 2. 2. *qu.* 47. & alii, aſſerentes, prudentiam in quinque ſpecies diſtingui, videlicèt, in ſingularem, œconomicam, regitivam, politicam, & militarem; quas ſpecies eruditè explicat Turrecr. in *Capit. Jus militare*, *num.* 3. *diſt.* 1. Si verò quiſpiam cuperet majorem de prudentiâ notitiam habere, dignetur noſtrum Rom. Pontif. prepugnandum inſpicere, *Art.* 21. *num.* 15. ubi prudentiæ partes diviſionem, ſubjectum, ordinationem, originem, finem, uno verbo, quidditatem enucleatam exponimus. Hìc dumtaxàt innuere duco, tanquàm quid ad rem noſtram pertinens, intèr partes quaſi potentiales prudentiæ, quæ juxtà doctrinam D. Thomæ, 2. 2. *qu.* 51. ſunt tres, enumerari Eubuliam, quæ habitus quidam eſt bonum conſilium in rebus ambiguis, & perplexis inveniendi; nec non Syneſim, quæ eſt habitus rectè judicandi de conſultis. Ex quinque verò memoratis prudentiæ ſpeciebus, hìc ſolùm primam, quæ eſt ſingularis, ſeù particularis, uti intento noſtro faventem, obitèr tangimus; dicimuſque, aliquem ſingulari, ſivè particulari prudentiâ pollere, quando ſcit in factorum contingentiis ſe ipſum benè regere, & gubernare; ut etiam advertit Card. Turrecr. *loc. prox. cit.* & ideò prudentia, quâ hujuſmodi bona directio, & gubernatio efformatur, tria tempora, juxtà Senecam, ut notat Turrecr. in *Capit. Qui Epiſcopus*, *num.* 4. *diſt.* 23. reſpicit, nempè præteritum, præſens, & futurum; undè ab antiquis Philoſophis prudentia cum tribus oculis conſultò figurabatur. Qui igitur prudens eſt, præſentia ordinat, futura providet, præterita recordatur; quo in ſenſu dicit Apoſtolus, 1. *Tomot. cap.* 3. *verſ.* 2. *Oportet ergo Epiſcopum eſſe prudentem.*

17 Docent Theologi, aliqui ſaltèm, caſuum reſervationem in effectu eſſe retentionem quorundam caſuum factam à Superiore, liberam in cæteris tribuente Confeſſariis executionem poteſtatis; quod ſanè habetur ex Textu in *capit. Generalitèr*, §. *Ecce*, *cauſa* 16. *qu.* 1. *cum ſeqq.* ubi Presbyteris interdicitur agere, vel exequi ſine licentia ſuorum Epiſcoporum; & ſucceſſivè Clericis, tàm Sæcularibus, quàm Regularibus eſſe interdictam poteſtatis executionem, patet clariſſimè in Concilio Trid. *de reform. ſeſſ.* 23. *cap.* 15. quod paritèr probatur in *Capit. Si Epiſcopus, de pœnit. & remiſſ.*

in 6. ex quo deducitur, poſſe ab Ordinario illam generalem, quam Sacerdos in ordine ſuſcepit, poteſtatem, præpediri, ne pro libito in executionem deducatur. Id etiam tenet, & tradit Gloſs. in *Clement. Dudùm, v. conceſſa, de ſepult.* Ratio paritèr ſuadet; ſiquidèm in Reſervatis Epiſcopo, qui committit curam Animarum, curæque executionem, ut in *Capit.* 1. *de Capel. Monach. in 6.* Sacerdos non dicitur habere Ordinis executionem, *arg. Tex. in Capit. Adiicimus*, §. *Ecce*, *cauſa* 16. *qu.* 1. undè dicendum eſt, vinculo reſervationis factæ, ſivè ſcripto, ſivè verbo, ſivè per ſtatutum Synodale, vel Provinciale, ſivè per particularem conſtitutionem, itâ ligari Claves Confeſsariorum, ut omninò careant libertate illis utendi: Dixi reſervationis factæ, ſivè ſcripto, ſivè verbo; ſciens, minimè requiri, ſeù nihil referre, voluntatem Principis, verbis, aùt factis innoteſcere, ut ei à ſuis Subditis obedientia præſtetur, *l. De quibus*, *ff. de legib.* & tenet Sylv. *in ſum. v. jejunium*, *quæſt.* 1.

18 Caſuum reſervationem fore pro ſalute Animarum neceſsariam, aſserit Sancta Synodus Tridentina *Seſſ.* 14. *de Caſuum reſervat. cap.* 7. ubi dicit -- Magnoperè verò ad Chriſtiani
„ populi diſciplinam pertinere,
„ Sanctiſſimis Patribus noſtris
„ viſum eſt, ut atrociora quæ-
„ dam, & graviora crimina,
„ non à quibuſuis, ſed à ſum-
„ mis dumtaxàt Sacerdotibus
„ abſolverentur. Undè meritò
„ Pontifices Maximi pro ſupre-
„ ma poteſtate ſibi in Eccleſia
„ univerſa traditâ, cauſas aliquas
„ criminum graviores ſuo po-
„ tuerunt peculiari judicio reſer-
vare: Ibidem ſubdens, idem omnibus, & ſingulis Epiſcopis in ſua Diœceſi, in ædificationem tamèn, non in deſtructionem, competere. Idemque declarans, ad occurrendum Animarum perditioni, nullam eſſe reſervationem in articulo mortis; poſſeque propterea omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes à quibuſvis peccatis, & cenſuris abſolvere, ut in eadem Eccleſia Dei ſemper fuit cuſtoditum, & obſervatum.

19 Pro clariori intellectu, dum agitur de caſibus reſervatis, operæ pretium ducimus adnotare, caſum dici à cadendo, & ſignificare ruinam, ut memoratur in *l. Si ex plagis*, §. *In clivo*, *ff. ad leg. Aquil.* & per translationem ſignificare miſeriam, per quam quis à ſtatu ruit felicitatis. Caſum, apud Legiſtas, ſignificare quod inopinatò evenit, aùt contingit, probat Tex in §. *Theſauro*, *Inſtit.*

ſtit. de rer. diviſ. & etiam facti ſpeciem propoſitam, quodque in diſputationem incidit, habetur ex Julian. in *l. Neque leges, ff. de legibus*. Caſum, apud Theologos, ſignificare ruinam ſpiritualem, indubitatum eſt; & ideò frequentior Theologorum Sermo eſt de caſu, & ruina Angelorum, de lapſu primorum Parentum, eorumque filiorum. Apud vulgum, per caſum explicari, quod caſu fit, vel accidit, ideſt negligentiam, vult Cajus in *l. Qui ædes, ff. de incen. rui. & naufr.* Apud verò Moraliſtas, quod ad rem noſtram pertinet, caſum ſumi duplicitèr, certum eſt, nempè generalitèr pro omni controverſia circa mores exortà, reſpiciente ſivè juramenta, aùt vota diſpenſanda, ſeù irritanda, ſivè quaſcunque cenſuras, ſivè quodcunque aliud, juxtà Tex. in *Capit. quærenti, de verbor. ſignif.* & ſpecialitèr pro peccato, quo quis à rectitudine virtutis cadit. Et dicitur caſus reſervatus, quia adimitur, & minuitur abſolvendi poteſtas ei, qui illam actu, vel habitu habebat, quod probat Tex. in *Capit. Generalitèr*, §. *fin. cauſa* 16. *qu.* 1. Hinc ſequitur, Epiſcopo, vel alio Prælato abſolutionem concedente à caſibus reſervatis, nilque aliud exprimente, id eſſe intelligendum à peccatis tantùm, non à commutatione votorum, non ab excommunicatione exceptâ, non ab irregularitate, niſi intèr caſus reſervatos iſta enumerentur. Sunt enim hæc diverſa; & à diverſis non fit illatio, ut vult Textus in *l. Papinianus, ff. de Minor.* Sylv. *v. Confeſſio* 3. *num.* 7. Graff. *de Caſib. reſervat. cap.* 1. *num.* 7. & 8. ubi alios allegat.

20 Inſpectâ præmiſſorum diſpoſitione, facilè intelligitur, idoneitatem, quam in Approbandis ad Confeſſiones audiendas Concilium Tridentinum expoſcit, & Ordinarius noſcere debet, in pluribus, præcipuè verò in ſcientia, & prudentia, pro abſolutione à reſervatis, conſiſtere. Mens mea tamèn non eſt probare, neceſſariam eſſe Confeſſario ſcientiam ſummam, & eminentem modo explicato, ſciens vix poſſe aliquem inveniri, qui ſummam ſcientiam habeat ligandi, & ſolvendi; cum non pauca ſint in genere peccatorum, præſertim reſervatorum, adeò ſubtilia, & perplexa, ut nequeant à Viris etiam doctioribus, & magnæ exiſtimationis per plures diſputationes, & reflexiones enodari; multis adhuc poſt diſcuſſionem eorum remanentibus dubiis. Putamus igitùr, ſcientiam, quæ requiritur in Confeſſario, illam eſſe, quâ ſciat diſcernere peccata in communi,

ſcilicèt, quæ ſunt capitalia, & quæ mortalia communia, & quæ venialia ex genere ſuo, ut vult Albertus, quem producit Turrecr. in *Capit. Quem pœnitet*, *de pœnit. nu.* 37. *diſt.* 1. quâ ſciat, inquit D. Th. apud eumdem, ibid. diſtinguere intèr peccatum, & non peccatum, & peccatum mortale, & veniale; ſciatque, ſi in aliquo eſſet dubius, Diſcretiores conſulere.

21 Non tamèn eſt præſumendum, voluiſſe Authores productos excludere à ſcientia peccatorum in genere, & in particulari caſuum reſervationem, cujus paritèr notitiam eſſe Confeſſario neceſſariam, non ambigimus. Aſtruimus itàque, Confeſſarium, ut rectè ſuo fungatur munere, teneri ſcire, prætèr peccata, caſus reſervatos, tùm Summo Pontifici, tùm Ordinario Diœceſis, ubi degit; & Caſus Papales differre ab Epiſcopalibus per hoc, quòd nullus reperitur caſus Papæ reſervatus, cui non ſit aliqua cenſura annexa, ut notat Cajet. *v. Caſus*. Secùs verò Caſus Epiſcopales, ſeù Epiſcopo reſervati; non enim omnes habent excommunicationem adnexam; ex quo ſequitur, reſcriptum Papæ, quo conceditur facultas abſolvendi à Caſibus Papalibus, cenſeri concedere poteſtatem ab illis cenſuris adnexis abſolvendi, dummodò cenſura aliqua non ſit Papæ ſpecialitèr reſervata; quidquid dicat Novar. in *Manuali, cap.* 27. *num.* 261. cum in generali conceſſione minimè ea veniant, quæ quis in ſpecie veriſimilitèr non conceſſiſſet, *arg. Capit. In generali, de reg. jur. in* 6. *Capit. Quod translationem*, ubi Gloſſ. *de offic. Legati*; Tenèri item ſcire omnes caſus contentos in Bulla Cœnæ Domini; & prætèr eos, etiam ſex alios Caſus, per totam Italiam, extrà Urbem, Sedi Apoſtolicę reſervatos; Primum, violationem immunitatis Eccleſiaſticæ in terminis Conſtitutionis Gregorii XIV. incipientis: *Cum aliàs non nulli*. Secundum, violationem Clauſuræ Monialium ad malum finem. Tertium, provocationem, & pugnam in duello, juxtà decretum Synodi Tridentinæ, *ſeſſ.* 25. *de reform. cap.* 19. *Deteſtabilis duellorum uſus*; & Conſtitutionem Gregorii XIII. incipientem; *Ad tollendam*; Quartum, iniicientium violentas manus in Clericos, juxtà diſpoſitionem Canonis *Si quis ſuadente*, *cauſa* 17. *qu.* 4. Quintum, Simoniam realem ſcientèr contractam, nec non confidentiam beneficialem in termiuis Bullæ Pii IV. *Romanus*, & Pii V. *Intollerabilis*. Sextum, & ultimum, abſolutionem à Caſibus, quos Ordinarii locorum

ſibi

ſibi reſervarunt, & in poſterùm reſervabunt, ut notat Alex. Peregrinus in *Compendio Privilegiorum*, *ſub tit. Abſolutio quoad Sæculares*, §. 1. ubi in Scholio aſtruit, ità haberi in Decreto Clementis VIII. facto per Sacram Congregationem Epiſcoporum, & Regularium, publicato *die 9. menſis Januarii*, *anno* 1601. & declarato *die* 26. *Novembris*, 1602. Unâ tamen cum limitatione factâ, per Decretum emanatum *die* 13. *Maii*, *anno* 1711. quod incipit -- *Quoniam Sanctiſſimus Dominus Noſter* Clemens Undecimus, cujus vigore Romæ paritèr Papæ reſervantur caſus ſequentes, videlicèt, Publica violatio Clauſuræ Monialium ad malum, ſeù inhoneſtum finem. Presbytericidium publicum. Publica violatio immunitatis Eccleſiaſticæ in terminis Conſtitutionis Gregorii XIV. *Cùm aliàs nonnulli*; & etiam occulta, ſi fuerit ſequuta authoritate publicâ, ut conſtat in dicto Decreto, hìc per extenſum relato, pro commoditate Confeſſariorum, etiam Caſtrenſium.

DECRETUM

Super prohibitione factâ Confeſſariis Urbis abſolvendi à quibuſdam Cenſuris, & Caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis.

„ Quoniam Sanctiſſimus D.N. Clemens XI. pro Paſtorali in commiſſum ſibi Gregem zelo, & pro Eccleſiaſticæ diſciplinæ rectâ ratione conſervanda, deputavit Congregationem particularem Eminentiſsimorum DD. S.R.E. Cardinalium, Sancti Clementis, Paulutii, Majoris Pœnitentiarii, & Fabroni, nec non RR. PP. Corradini Sanctitatis Suæ Auditoris, mei infraſcripti, S. Congregationis Concilii, & hujus deputatæ Secretarii, ac RR. PP. Damaſceni Conſultoris Sancti Officii, & Alfari, Conſultoris Theologi Sacræ Pœnitentiariæ. Eadem Congregatio, conſideratâ reformatione facultatum Officii Sacræ Pœnitentiariæ à fel. record. Innocentio XII. in ejus Conſtit. editâ 3. Non. Septembris 1692. Cenſuit, ſi Sanctiſſimo placuerit, præcipiendum eſſe omnibus, & quibuſcumque Presbyteris tàm Sæcularibus, quàm Regularibus, in Urbe ad Confeſſiones audiendas deputatis, ne impoſterum etiam in Foro conſcientiæ abſolvant

extrà

,, extra Mortis articulum quo-
,, ſcumque Pœnitentes tàm In-
,, colas Urbis, quàm ad eam
,, confluentes ab infraſcriptis Ca-
,, ſibus, nempè à Caſu publico
,, violatæ Clauſuræ Monialium
,, ad malum, ſeù inhoneſtum fi-
,, nem, à Presbytericidio publi-
,, co, & à caſu publico violatæ
,, Immunitatis Eccleſiaſticæ in
,, terminis Conſtitutionis Gre-
,, gorii XIV. incipientis. *Cum*
,, *aliàs Nonnulli*, & etiam à ca-
,, ſu occulto dictæ violationis
,, Immmunitatis, ſi fuerit ſecuta
,, auctoritate publicâ, idque
,, omninò ſervari ab omnibus,
,, & quibuſcumque Confeſſariis
,, in Urbe degentibus cujuſcum-
,, que Religionis, Inſtituti, etiam
,, Societatis Jeſu, ac Congrega-
,, tionis, quacumque ſpeciali no-
,, tâ explicandis, prout explicati
,, latiùs fuere in Decreto Sacræ
,, Congrogationis Epiſcoporum,
,, & Regularium, die 9. Menſis
,, Januarii 1602. ſub fel. record.
,, Clemente VIII. ac illius confir-
,, matoriis, & innovatoriis ſub
,, fel. record. Paulo V. die 7. Ja-
,, nuarii 1617., & Urbano VIII.
,, die 17. Novembris 1628. edi-
,, tis. Ac ſub præſenti prohibi-
,, tione comprehendi etiam Pœ-
,, nitentiarios Baſilicarum Urbis,
,, & ab omnibus Confeſſariis
,, prædictis, eam obſervari ſub
,, iiſdem pœnis, & Cenſuris eo
,, ipſo, & abſque alia declaratio-
,, ne incurrendis, quæ continen-
,, tur in præfatis Decretis. No-
,, verintque Pœnitentes abſolu-
,, tionem, ſi quam impoſterùm
,, obtinuerint à præfatis Caſibus
,, in præſenti Decreto expreſ-
,, ſis, eſſe nullam, nulliuſque ro-
,, boris, & momenti, eaque om-
,, nia obſervari. Non obſtanti-
,, bus quibuſcumque Privilegiis
,, abſolvendi à prędictis Caſibus,
,, ſub quibuſcumque tenoribus
,, tàm ante, quàm poſt dicta De-
,, creta, tàm particularibus perſo-
,, nis, quàm ratione Religionis,
,, Societatis, vel Inſtituti, obten-
,, tis, & juxta latam derogationis
,, formam in iiſdem Decretis
,, contentam, quæ in præſenti
,, repetita cenſeatur, & non ob-
,, ſtantibus omnibus, quæ idem
,, Clemens VIII., Paulus V., &
,, Urbanus VIII. voluerunt non
,, obſtare. Rursùs declarando,
,, prout declaratum fuit in præ-
,, fatis Decretis, quòd circa alios
,, Caſus Sanctæ Sedi Apoſtolicæ
,, reſervatos, non expreſſos in
,, præſenti Decreto (exceptis il-
,, lis, qui continentur in Bulla
,, in die Cœnæ Domini legi con-
,, ſuetâ) ita intelligatur præſer-
,, vata facultas abſolvendi Con-
,, feſſariis Privilegiatis in Urbe
,, degentibus; quatenùs tamen
,, eam habeant ex legitimis Privi-
,, legiis non revocatis, & in uſu
,, exiſtentibus, ac juxta eorum
,, tenorem tantùm exequendis.
,, Aliis verò in Urbe Confeſsariis
,, Privilegia non habentibus nihil

de

„ de novo, ſicuti per præfata De-
„ creta, itâ per præſens cenſea-
„ tur conceſsum.
„ Factâ per me infraſcriptum,
„ hac die decimâ tertiâ Menſis
„ Maii 1711. relatione prædictæ
„ reſolutionis Sanctiſsimo D. N.
„ Sanctitas Sua eam, omniaque,
„ & ſingula in ea contenta, cum
„ omnibus Clauſulis derogatoriis
„ benignè probavit, ac inviola-
„ biliter impoſterùm ſervari præ-
„ cepit ab omnibus, ut ſupra ex-
„ preſsis, præſenſquè Decretum
„ in forma ſolita publicari juſsit,
„ atque mandavit.

Vincentius, Petra S. C. Concilii, & dictæ deput. Secretarius.

ROMÆ, Typis Rev. Cameræ Apoſtolicæ, 1711.

Demùm teneri ſcire, ſi non participat privilegia Mendicantium, pratèr dictos caſus Pontificios, & caſus Epiſcopales, & excommunicationes illis adnexas, etiam illas alias excommunicationes reſervatas in Jure, & in Eſtravagantibus, de quibus fit mentio diſtincta apud Filliuc. *tract.* 15. & 19. *in fin.* Hujuſmodi igitur ſcientiam requiri in Confeſſario, probat idem Filliuc. *tom.* 1. *quæſt.moral. cap.* 2. *art.* 5. §. *Scienda ſunt aliqua*, ubi dicit, Confeſſarium, debere ſaltèm confusè ſcire excommunicationes, à quibus poteſt abſolvere; & inſupèr habere intentionem generalem abſolvendi ab omnibus, à quibus poteſt: Eas verò, à quibus non poteſt abſolvere, debere ſcire diſtinctiùs, probat, pratèr Filluc. *loc. cit.* Thom. Tamburinus in *Meth. Confeſſ. lib.* 3. *cap.* 7. §. 4. *num.* 14. pluribus aliis, brevitatis causâ prætermiſſis.

22 Quod autèm arbitror, non teneri, ſaltèm diſtinctè, Confeſſarium ſcire, eſt, caſus reſervatos, alios eſſe à jure, & alios ab homine; Caſus Papæ reſervatos, alios eſſe de jure communi, præſertim poſt Gregor. XIII. ut teſtatur Navar. qui ejus fuit & pœnitentiæ Miniſter, & Conſultor: & hos eſſe varios, habetur ex *Capit. Si quis ſuadente, cauſa* 17. *qu.*4. *Capit. Quærenti, de offic. Delegat. in Extravag. Cum deteſtabile, de Sim. in Clem.* 1. *de privileg. in Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *Cap. Bonifacii*, & notat Graff. *p.*1. *deciſ. lib.*4. *cap.*18. ubi alios allegat; Alios eſſe in Bulla Cœnæ; & alios in variis Decretis Pontificiis, ut ſciunt Viri eruditi; Caſus Epiſcopales alios eſſe reſervatos ab homine, & illos eſſe, quos Epiſcopus, inhærendo diſpoſitioni Concilii Trid. *Seſſ.* 14. *de pœnit. cap.*7.

ad

ad libitum ſibi reſervat; & hos Reſervantem ſequi; ideòque illo mortuo, vel amoto deſinere eſſe reſervatos, & id probare Tex. in *Capit. A nobis*, il primo, *de ſent. excomm.* dummodò tamèn caſuum reſervatio non ſit facta per modum Statuti, ſeù perpetuæ Conſtitutionis: Et alios eſſe Ordinariis locorum reſervatos à jure canonico; de jis loquitur Gloſſ. in *Capit. Si Epiſcopus, de pœnit. & remiſſ. in 6.* Et horum reſervationem, etiam poſt mortem Reſervantium durare, cum lex ſempèr loquatur, atque obſervantiam expoſcat, *l. Arriani, Cod. de Hæret. & Manich.* hoſque non poſſe abſolvi, niſi à Succeſſore, vel à Capitulo, Sede vacante, in ejus juriſdictione ſuccedente, haberi ex *Tex. in capit. unic. de major. & obed. in 6.* Hæc inquam, & pleraque alia ſaltèm clarè, & diſtinctè ſcire non cenſetur Confeſſarius eſſe obſtrictus; cum illi ſolùm ſufficiat ſcire confusè, & in genere caſus eſſe reſervatos; atque reſervatas cenſuras illis annexas; nihil enim refert in ordine ad poteſtatem abſolvendi ſcire reſervationem eſſe ab homine, vel à jure.

23 Verùm quidèm eſt, quod ſpectat ad rem noſtram, Militum Confeſſarios, quibus vigore Brevis Pontificii facultas conceditur confeſſiones audiendi quarumcunque Exercitus utriuſque ſexus perſonarum, illaſque à quibuſvis exceſsibus, & delictis quantumcunque gravibus, & enormibus, ac etiam in caſibus Summo Pontifici, & Sedi Apoſtolicæ, ſpecialitèr reſervatis, ac etiam contentis in Literis die Cœnæ Domini ſingulis annis legi, & promulgari ſolitis, nec non à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis proptèr præmiſſa per eos quomodolibet incurſis, clarè, & diſtinctè ſcire teneri caſus in eodem Brevi exceptos, à quibus poteſtatem non habent abſolvendi; quique ſunt hæreſis, læſæ Majeſtatis, conſpirationis in Perſonam, vel ſtatum Romani Pontificis, Delationis Armorum, & aliorum prohibitorum ad Partes Infidelium, Falſificationis literarum, ſupplicationum Apoſtolicarum, Injectionis manuum violentarum in Clericos, ſeù Prælatos Eccleſiæ, Clauſuræ Monaſteriorum Sanctimonialium, ac juriſdictionis, ſeù libertatis Eccleſiæ violationis.

24 Animadvertendum tamèn eſt, Confeſſarium, ſivè Militum, ſivè aliorum à Militia alienorum, dubitantem, an id, quod ad ſuum accedit tribunal

ſit

ſit reſervatum, aùt immune à reſervatione, antequàm judicet eſſe, vel non eſſe reſervatum, concedat, vel neget abſolutionem, teneri conſulere, vel Doctores, ſi illorum copiam habet; vel libros de caſibus conſcientiæ tractantes; aliàs haud effugere peccatum ratione periculi, cui ſeſe exponit proximum trahendi in errorem, aùt ſcrupulum, aùt deſperationem, ei repræſentando ſuum peccatum, quod reſervatum non eſt, eſſe reſervatum, indigereque propterea pro abſolutione facultate Papali, aùt Epiſcopali, non de facili obtinendâ; vel eum abſolvendi, cui non poteſt abſolutionem impertiri ex defectu juriſdictionis, ſi judicat peccatum, Clavibus expoſitum, non eſſe reſervatum, quod reverâ ſecum reſervationem adfert. Nobis favet Navar. dicens in expoſitione Capituli *Si quis autèm*, *num.* 270. *de pœnit. Diſt.* 7. peccare Judicem, qui in dubio, dubietate, ſeù perplexitate animi minimè depoſitâ, ſuam fert ſententiam; valet enim in jure argumentum à ſimili, & ab æquiparatis, quando ſimilitudo, & æquiparatio eſt in puncto, ut in caſu noſtro, ut docent Abb. Imola, & alii, quos producit, & ſequitur Menochius *conſ.* 1014. *num.*27. Graff. in terminis, *de Caſib. reſerv. lib.* 1. *cap.* 4. *Regul.*17. *nnm.*62.

§. IV.

Actus autèm læthalitèr peccaminoſos merè internos, Eccleſiaſticæ reſervationi minimè ſubjici, ſcire quoque expedit Confeſſario, tùm Militum, tùm aliorum.

25 Peccata mortalia merè interna poſſe ab Eccleſiâ reſervari; id tamèn non eſſe in uſu, tradit Filliuc. *tom.* 1. *in Inſtruct. Brev. cap.* 1. *art.* 5. §. *Secundùm &c.* cum alienum ſit à prudenti gubernatione Eccleſiæ hujuſmodi peccata reſervari. Reſervationem itàque caſuum intelligi de actibus exterioribus cum effectu ſequuto, & non de interioribus

bus, tradit Palud. apud Sylv. in *v. Caſus, qu.* 3. cujus fundamentum videtur eſſe, quia Eccleſia non cognoſcit de actibus in ſolo intellectu, aùt voluntate exiſtentibus, cum ſolus Deus ſit cognitor cordium, *Capit. A nobis*, il ſecondo, *de ſenten. excomm. Capit. Erubeſcant, Diſt.* 32. *Capit. Placuit, cauſa* 6. *qu.*2. ideòque eos non punit, & docet S. Anton. in 3. *p. cap.*11. *tit.* 17. Sylv. *v. Caſus in fin.* Joannes Tabien. *v. Diſpenſatio*, §. *fin.* cum aliis, quos producit, & ſequitur Graff. *de reſervat. caſ. lib.* 1. *cap.* 4. *Regul.* 3. *num.* 6. & probat Tex. punctualis in *Capit. Cognitionis, de pœnit. diſt.* 1. ubi dicitur -- Cognitionis pœnam nemo patiatur: Hinc Graff. *loc. cit.* illativè concludit, non poſſe ab Eccleſia fieri reſervationem de peccatis merè interioribus; id eſt, de his, quæ in opus externum non exierunt per ſe, neque per accidens, ut loquuntur Theologi; cum hujuſmodi reſervatio nunquàm cedat in commodum Animarum; immò in earum damnum redundet ob dubia, quæ inde orirentur, reſolutionis fortè incapacia: Nobis tamèn magis placet ſenſus Filliuc. aſſerentis *loc. cit.* poſſe ſiquidèm gravia peccata merè interna ab Eccleſia reſervari, ſed non eſſe in uſu: & quod Eccleſia hucuſque non fecit, etiam in graviſſimo crimine merè interno, incongruum eſſe, modò fieri, tradit Sot. in 4. *ſent. diſt.* 18. *qu.* 2. *art.* 2. & 4. cum aliis communitèr benè ſentientibus.

26 Scire itàque debet Confeſſarius ab Ordinario approbatus, ſe nequaquàm juriſdictione carere illum abſolvendi Pœnitentem, qui ſe accuſat de conſenſu deliberato in percuſſionem Clerici, vel in delationem armorum ad Infideles, vel in quodcunque aliud crimen, ab homine, vel à jure reſervatum; dummodò ad aliquem actum externum nequaquàm devenerit; hujuſmodi enim Pœnitens quamvis quo ad Deum peccaverit, ſitque ligatus; non tamèn ligatus, reuſque cenſetur quoad Eccleſiam militantem, quæ non judicat de occultis, ut patet in *Capit. Sicut tuis, in fin. de Simon. Capit. A nobis*, il ſecondo, §. *fin. de ſent. excomm.* & probat clariſſimus Tex. in *Capit. Conſuluiſti, cauſa* 2. *q.* 5. ubi Stephanus Papa V. dicit -- „ Occulta verò, & incognita „ illi ſunt relinquenda, qui ſolus „ novit corda Filiorum hominum: Proteſtatur enim ibi Summus Pontifex, quòd in ſuo judicio ſervat ea, quæ ſunt probata in judicio, vel extrà, & quòd occulta ſervat Deo; cum ſecretorum ſolus Deus ſit cognitor,

gnitor, & Judex, juxtà Textus allegatos in *Capit. Placuit, cauſa 6. qu. 2. Capit. Erubeſcant, Diſt.* 32.

27 Me non latet, moleſtam ſatis; ſed celebrem eſſe intèr Scribentes tùm Theologos, tùm Canoniſtas, controverſiam; num hæreſis omninò occulta, & mentalis ſit Summo Pontifici reſervata. Scio plerosque affirmativè reſpondere, aſtruentes, Hæreticum purè mentalem incurrere excommunicationem; ac proindè caſum hæreſis eſſe reſervatum; quia ſcilicèt, hæreticus mentalis eſt perfectè hæreticus, cum hæreſis ſolâ mente conſummetur; & ſucceſſivè utpotè delictum perfectum, ſeù conſummatum, ſubjacet excommunicationi, & aliis pœnis, ut notat Felin. in *Capit.* 1. *num.* 7. *de præſumpt.* cum Bald. Anan. & aliis; & etiam amiſſioni bonorum, ut tradit Surd. *de aliment. lit. I. quſt.* 33. *num.* 7. *& Deciſ.* 247. *num.* 12. *par.* 1.

28 Contrarium tamèn, quod nobis placet, nempè hæreſim purè mentalem non ſubjacere judicio fori exterioris Eccleſiæ, & ſic non eſſe reſervatam, conſtans eſt, atque recepta Theologorum ſententia, de qua, aliis productis, teſtatur Simanc. *de Cathol. Inſtit. tit.* 42. *de occultis, num.* 10. *& ſeq.* & ſic hæreticum purè mentalem nullas incurrere pœnas, nec etiam excommunicationem, ſenſus eſt communiſſimus. innumerabilium Doctorum magnæ exiſtimationis, quos refert Paſqualigus *Tract. de approbat. Confeſſar. qu.* 7. *num.* 1411. præfato fundamento innixorum, videlicèt, quòd Eccleſia non judicat de omninò occultis, & mentalibus, juxtà Tex. in d. *Capit. Erubeſcant, Diſt.* 32. *& Capit. Chriſtiana, cauſa* 32. *qu.* 5. cum enim occulta, & purè mentalia non ſubſint cognitioni, & probationi, nec etiam ſubeſſe poſſunt diſpoſitioni Eccleſiæ: undè, tametſi crimen hæreſis perfectè conſummetur in mente; cum minimè ſubjaceat judicio fori exterioris, ſivè diſpoſitioni Eccleſiæ, ſequitur, nec etiam ſubeſſe pœnis ab ipſa impoſitis; & ſic nec eſſe reſervatum; & ideò poſſe cujuſcunque Confeſſarii abſolutione aboleri.

29 Authores ſententiæ aſtruentis, hæreſim purè mentalem, & cætera peccata interna, non ſubjacere judicio fori exterioris Eccleſiæ, fatentur, caſum hæreſis eſſe nunc Summo Pontifici reſervatum; ſed addunt hujuſmodi reſervationem eſſe interpretandam de internis erumpentibus in actum externum; & ſic hæreſim eſſe reſervatam ſub illa modificatione, quòd prorumpat in actum ex-

ternum; & ità, intèr alios, docet Card. Turrecr. in *Capit. Cogitatio, de pœnit. diſt.* 1. ubi dicit, voluntatem non puniri ab homine, ſeù non mereri pœnam, ſcilicèt civilem, vel Eccleſiaſticam, quoad hominem, ſi eſt contenta ſuis finibus; ibi ſubdens, voluntatem dici ſuis finibus contentari, dum non procedit ad aliquem actum exteriorem; & in hoc caſu intelligi, leges, & canones, aſſerentes, voluntatem non puniri, ſcilicèt ab homine: Secùs verò, ſi eos excedit, ad aliquem actum exteriorem procedendo, & in hoc caſu intelligi, leges, & canones, aſtruentes voluntati ab homine punitionem, ſeù pœnam imponi.

30 Quæ verò ſint ſigna, ſivè actus, quibus hæreſis mentalis, fiat externa ad effectum ſubjacendi reſervationi, & ſic excommunicationi, poſſunt inſpici Doctores allegati, præſertim Turrecr. *loc. cit.* Paſq. paritèr *loc. cit.* Nobis ſufficiat innuere, ut hæreſis interna fiat externa, requiri aliquod ſignum externum, quod valeat de ſe manifeſtare hæreſim occultam, & pro hoc ſigno externo hîc accipi quodcunque externum, quo poſſit animus declarari; & ſucceſſivè, manifeſtari internus actus intellectus, in quo hæreſis conſiſtit: quodcunque, inquam, externum, ſivè ſint verba, ſivè ſint facta, dummodò ſint hæreſis declarativa, ſivè apta ad hæreſim declarandam; ad quam ſanè declarationem poſſunt quandoque efficaciùs concurrere facta, quàm verba; ſiquidèm animus certiùs, & validiùs factis ipſis, quàm verbis, aperitur, ut probat Tex. in *l. Paulus, ff. de rem. rat. hab. &* *l. Pro hærede, ff. de acquir. hæred. l. Reprehendenda, Cod. de inſtit. & capit. Dilecti filii*, il ſecondo, *de appell.* & notat Rota, *deciſ.* 582. *num.* 7. *part.* 1. *Recent.* Macſard. *de probat. concluſ.* 1415. *num.* 34. Surd. *deciſ.* 194. *num.* 21. Scaccia, cum aliis.

31 Subdunt tamèn Sanchez *lib.* 2. *Sum. cap.* 8. *num.* 7. Suarez, *de fide, diſp.* 21. *ſect.* 2. *num.* 12. Sa, *v. Excommunicatio*; *de Bulla Cœn. num.* 3. Trullench. *lib.* 1. *in Decal. cap.* 2. *dub.* 3. *num.* 5. & alii, ut hæreſis interna fiat externa, requiri actionem peccaminoſam mortalitèr ſecundùm ſe, ad effectum contrahendi excommunicationem, hæreſi externæ impoſitam; cùm pœna excommunicationis non imponatur, niſi pro culpa gravi, ſeù mortali, ex quorum doctrina deducitur, quòd, quamvis hæreſis interna ſit ſecundùm ſe culpa mortalis, & per actionem venialitèr malam manifeſtetur, non eſt tamèn

tamèn culpa mortalis in eſſe manifeſto, ſeù externo, ſed tantùm venialis, & ſic minimè ſufficiens ad incurrendam excommunicationem. Hæc doctrina nobis non placet, ſcientibus, hæreſim quovis modo manifeſtatam, non eſſe purè mentalem; & hæreſim, quæ non ſit purè mentalis, non poſſe, ut volunt communitèr Theologi, à quolibet Confeſſario, cujuſcunque ſit Ordinis, & Inſtituti, abſolvi: Ex quo ſequitur, quod hæreſis manifeſtata per actionem venialitèr malam, adnexam videtur habere cenſuram.

32 Hîc non incongruum arbitramur animadvertere, hæreſim, quæ erumpens in actum externum, eſt Summo Pontifici reſervata, non poſſe ab Ordinariis reſervari; & id vigore Decreti S. Congregationis, emanati *die* 26. *Novembris*, *anno* 1602. de mandato Clem. VIII. quodque refertur à P. Quaranta *in Summ. Bullar. verb. Caſus reſervati*, §. *Cum autem*; hujuſmodi enim Decreto Locorum Ordinariis interdicitur poſſe ſibi reſervare Caſus Bullæ Cœnæ; aùt alios Apoſtolicæ Sedi ſpecialitèr reſervatos. Prætèrquamquod, dedecet inferiorem ſe ingerere in reſervatione illorum criminum, in quibus Summus Pontifex ad eum effectum manum appoſuit; manus enim inferioris in tali caſu eſſe ligatas, probat Textus in *Capit. Ut noſtrum, de appell. & Extrav. ad Romani Pontificis, de preben.* & tradit Dec. *conſ.* 191. *num.* 10. Alex. *conſ.* 130. *num.* 9. *col.* 4. Gonzalez *Gloſſ.* 52. *de men. nu.* 27. Tuſch. *lit. P. concluſ.* 61. *num.* 7. cum aliis.

§. V.

§. V.

Scire, Ignorantes invincibilitèr reſervationem criminum, vel cenſurarum, ab ea minimè ligari, quemvis decet Confeſſarium; præſertim Caſtrenſem.

33 Hic loquimur de Caſibus reſervatis tùm Summo Pontifici, qui ſunt omnes illi, qui ex decreto Clementis VIII. ex diſpoſitione juris Canonici, ex decretis Sacrorum Conciliorum, præcipuè univerſalium, factis pro bono regimine totius Eccleſiæ Catholicæ, ex Conſtitutionibus, & Bullis Summorum Pontificum, etiam in corpore juris minimè inſertis, ei reſervantur; tùm Locorum Ordinariis; & ſunt omnes illi, quos de jure communi, vel ex conſuetudine Eccleſiæ, vel ex uſu propriæ Diœceſis, Epiſcopi, ſeù Locorum Ordinarii ſibi reſervant. Horum itàque caſuum reſervationem probabilitèr ignorantes, ſeù habentes de ea ignorantiam probabilem, ideſt invincibilem, ab ea minimè ligari, ſaltèm probabilitèr ſecundùm plures Doctores, quos producit, & ſequitur P. Philippinus C. R. *de privileg. ignorantiæ*, *cap.* 4. *Privil.* 14. *nu.* 138. ſcire decet quemlibet Confeſſarium, præſertim Caſtrenſem, ne abſolutionem deneget, cui eſt impertienda, ne eam det, cui eſt deneganda. Hujuſmodi ignorantiam non ſolùm excuſare à peccato, & ſic ab ejus reſervatione, ſed etiam ab irregularitate ex delicto, à privatione vocis, & officiorum, à cenſuris, nempè excommunicatione, ſuſpenſione, & interdicto, peccato adnexis, eſtò ſint reſervatæ, probat Tex. in *Capit. fin.* & ibi omnes Scribentes, *de Conſtit. in 6. & capit. Apoſtolicæ, de Cler. excomm.* Felin. in *capit. Cæterum, de reſerv. num.* 19. Sotus *in* 4. *diſt. 6. quæſt.* 8. Sanchez *lib. 9. de Matrim. diſp.* 32. *num.* 28. 29. 36. Nald. *v. Ignorantia, num.* 7. Quidquid dicat P. Diana *p. 6. Tract. 6. Reſ.* 42. Ratio quoque ſuadet, quia hæc omnia

nia ſecùm ferunt gravamen pœnæ, quæ ſempèr ſupponit culpam, juxtà Text. in *l. Sancimus*, *Cod. de pœnis*. Hanc doctrinam procedere, ſivè cenſuræ ſint adjectæ legi Eccleſiaſticæ, ſivè Divinæ, ſivè naturali, non dubitamus, ſcientes, poſſe quempiam ignorare pœnam humanam adjunctam legi naturali; quamvis legem naturæ minimè ignoret; ut advertit Bord. *de hæreſ. c.9. n.35*. undè probabilitèr ignorans, ſeù habens de reſervatione ignorantiam invincibilem, eſtò peccaverit contra legem naturalem, vel aliam, cui peccatum opponitur, non tamen peccavit contra legem reſervantem, quam invincibilitèr ignorabat; ſiquidèm actus, ut me docet P. Philip. *loc.cit.* prout dicit qualitatem reſervationis, eſt involuntarius, cùm ſit ſecundùm hanc qualitatem ignoranter factus; ergò ſecundùm quod dicit reſervationem, nullum eſt peccatum, ac proindè nec reſervatus. Concluditur itaque, neſcientes reſervationem ſivè peccatorum, ſivè cenſurarum, illam non incurrere; nec alias pœnas, ut fusè probavi in mea *Theologia Bellica*; *tom. 1. lib. 4. diſſ.32. num. 14. & 18.* & alibi, ubi demonſtratur, ignorantiam vincibilem non excuſare ab excommunicatione latâ per Summum Pontificem; eſtò excuſet à cenſuris particularium Prælatorum; dummodò non ſit craſſa, & ſupina, & directè voluntaria, quæ certò non excuſat à peccato; nec à cenſuris peccato adnexis, ut ſentiunt communitèr Scribentes. Hæc igitùr cuncta ſcire debet Confeſſarius, ne abſolutionem deneget, ut ſuperiùs diximus, cui eſt impertienda, nec illam impertiatur, cui eſt deneganda.

§. VI.

§. VI.

Confeſſarium, præcipuè Caſtrenſem, ſcire teneri ſuę Juriſdictionis terminos omninò excedere, abſolutionem à caſibus ſivè Pontifici, ſivè Epiſcopo reſervatis, ſcientèr incurſis, non controvertitur.

34 Quemadmodùm ignorantia probabilis excuſat à caſibus reſervatis, & Confeſſarius ſcire tenetur, reſpectu probabilitèr ignorantium, nullam eſſe reſervationem: ità ſcire obſtringitur, caſus reſervatos ſcientèr incurſos abſolvere, ſuæ excedere terminos juriſdictionis; quod quippè Scribentium dubitat nemo.

35 Dubium verò eſt, quando quiſpiam caſum reſervatum ſcientèr, ſed coactus incurreret, nùm contraheret reſervationem; ut puta, ſi invaſus à Clerico armis munito, illum occideret, nequiens alio modo mortem effugere, ſeù vitam ſuam defendere, utrum incidat in Canonem *Si quis ſuadente*, *cauſa* 17. *quæſt*. 4. qui Summo Pontifici reſervatur.

36 Omiſſis rationibus affirmativæ ſententiæ, utpotè ſufficienti robore deſtitutis; reſpondetur negativè, & ità ſentire videntur Reginal. in *prax. lib.* 9. *cap.* 18. *num.* 300. Filliuc. *tom.* 1. *qq. moral. Tract.* 16. *num.* 140. Bonac. *de cenſur. Bull. Cœn. diſp.* 1. *q.* 8. *punct.* 2. Graff. *de Caſib. reſerv. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 25. & *lib. eod. cap.* 13. *num.* 33. &. probat Tex. *arg. in capit. Sacris, de his, quæ vi, metuſve cauſ. fiu. capit Presbyteros, Diſt.* 50. *capit. In primis, verſ. Epiſcopi verò, cauſa* 2. *qu.* 1. & aliis, ubi habetur, invitos, & coactos delinquentes, ne vitam, aùt bona notabilia amittant, eſſe leviùs puniendos; reſervationem verò, ſeù cenſuram adnexam occiſioni Clerici, Summo Pontifici reſervatam, eſſe punitionem non levem, ſed graviſſimam, probat Textus

tus in *l. Cum autèm*, §. *Excipitur*, *ff. de ædil. ediƈt.* ubi declaratur, quòd Conſtitutio puniens capitalitèr, ſeù graviſſimè homicidium, aùt aliud deliƈtum, debet intelligi, quando dolo patratur, non caſu, non errore, non metu juſto, non vi, etiamſi culpa intervenerit, ut tradit Joan: Andr. in *Capit. Pro poſſeſſore*, *col.2. de reg. jur. in 6.* Cy. Bal. Angel. & alii, quos producit Tiraq. *de pœn. temper. cauſa* 13. *num.* 1. Non alitèr arbitramur procedere Conſtitutiones Pontificias in puniendis deliƈtis; cum non ſit præſumendum, Eccleſiam, quæ pia Mater eſt, velle per eas punire pœnâ graviſſimâ, ut eſt cenſura reſervata, deliƈta filiorum ſuorum, quæ committuntur non dolo, ſed coaƈtè, juſto metu mortis ſtimulante. Nàm quotieſcunque metus excuſat ab obſervantia præcepti, cui annexa eſt cenſura, excuſat etiam à cenſura. Ratio quoque in jure fundata ſuadet; nàm unicuique licitum eſt ſe defendere; cum defenſio ſit de jure naturæ, *Capit. Jus naturale*, *Diſt.* 1. Prætereà hujuſmodi Occiſor intendit direƈtè, & per ſe propriæ favere vitæ, non inferre Clerico, ſe invadenti, mortem, quæ per accidens, & prætèr ſuam intentionem ſuccedit. Alia jura, aliæque rationes, quibus hæc veritas roboratur, inſpici poſſunt in mea Theologiâ Bellicâ *tom.* 2. *lib.* 5. *Diſſ.* 20. per totam; ubi hæc materia fusè traƈtatur, pluresque caſus reſervati referuntur, in quibus reſervatio locum non habet; quoſve ſciri à Confeſſariis, maximè Caſtrenſibus, eorum urget officium, reƈtè exercendum.

37 Dubium inſupèr eſt, quando quis incidit in caſum, cui annexa eſt cenſura reſervata, nullatenùs tamèn percipiens caſus, ſeù faƈti commiſſi ſubſtantiam. Id dubium explicatur exemplo legentium libros hæreticorum, vel cujuſvis Authoris ſcripta, proptèr hæreſim, vel falſi dogmatis ſuſpicionem, per Sedem Apoſtolicam, Sacroſque Canones damnata ſub pęna excommunicationis, Summo Pontifici reſervatæ, hujuſmodi ſcripta minimè intelligens, utpotè in lingua latina exarata, quam ipſe non intelligit. Dubitatur itàque, an hic legens, & non intelligens, incurrat excommunicationem Bullarem, & Canonicam reſervatam.

38 Non me latet ſententiam affirmantem, incurri ſcilicèt, cenſuram à Committente aƈtionem, ſeù faƈtum, cui eſt adnexa, cujuſve ſubſtantiam non percipit, & ſic à legente ſcripta damnata, quæ non intelligit, à gravibus Athoribus ſu-

N

ſuſtineri, & mordicùs defendi, Nald. *in ſum. v. Bulla Cœnæ, num.* 10. Bonac. *de cenſur. in partic. diſp.* 1. *qu.* 2. *pun.* 4. *num.* 13. Megal. *par.* 2. *Inſtit. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 145. & alii, hoc præcipuo fundamento freti, quia legere ſtare ſine intelligentia, vult Textus in *l.* 1. §. *Legi, ff. de his, quæ in teſtam. delen.* ibi -- Legi autèm ſic „ accipiendum eſt, non intelli„ gi, ſed oculis perſpici, quæ „ ſcripta ſunt. Et quemadmodùm Retinentes librum damnatum excommunicatione reſervatâ ligantur ex ſola retentione, ità eadem cenſurâ notantur eos Legentes, tametſi eos non intelligant.

39 Sententiæ oppoſitæ, quæ mihi verior apparet, libentèr adhæreo cum Sanchez *lib.* 2. *ſum. cap.* 10. *num.* 51. Ugolin. *de cenſur. Papæ reſer. par.* 2. *v. Ac eorundem libros*, §. 1. *ver. Quinta*, Duard. *in Bull. Cœn. lib.* 2. *can.* 1. *quæſt.* 47. *num.* 5. Suarez *de fide, diſp.* 20. *ſect.* 2. *num.* 18. Trullench. *lib.* 1. *in Decal. cap.* 3. *dub.* 9. §. 5. *nu.* 2. Facund. *in præcept. Decal. Præcept.* 1. *lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 30. Palaus, *p.* 1. *tract.* 4. *cap.* 2. *pun.* 10. §. 2. *num.* 2. & pluleres alii.

40 Horum Authorum ſenſui adhærere me movent Jura, *Capit. Ratio nulla, de Præben. l. Cum pater*, §. *Dulciſſimis, ff. de legat.* 2. ubi dicitur, verba legis, quamvis ſint generalia, eſſe tamèn reſtringenda, & intelligenda, juxtà limites ſuæ rationis, quæ dicitur legis anima: Fatemur utique, legem, quâ hæreticorum lectio interdicitur, eſſe generalem; ſed etiam fatendum eſt, rationem, ſeù cauſam finalem hujus legis interdicentis hujuſmodi lectionem, eſſe occurrere infectioni; atque adeò prohibere lectionem, quatenùs poteſt eſſe cauſa infectionis. Quænam infectio poteſt contingere ex lectione eorum, quæ minimè intelliguntur, cum legere, ſine intelligentia eorum, quæ leguntur, ſit tantùm legere materialitèr? Lectio autèm formalis, ſeù lectio cum intelligentia poteſt eſſe infectionis cauſa, non verò lectio materialis, ſeù ſine intelligentia: & ideò cenſendum eſt, rationem prohibitionis ſe extendere ad lectionem non materialem, ſed formalem, & hanc eſſe mentem Legiſlatoris: & quando apparet de mente legis, ſeù Legiſlatoris, ſtandum ei eſſe, etiam contra propriam verborum ſignificationem, probat Text. in *d. l. Cum pater*; & docet Sylv. in *Sum. v. Lex, n.* 16. Hinc eſſe recedendum à verbis, quando apparet de mente Diſponentis, admonet Tex. in *l. Non alitèr*, cum materia, *ff. de*

de legat. 3. & tenet Duard. in *Bull.Cœn. lib.2. can.1. qu.* 47. *num.*8. Quæ quippè doctrina apprimè militat in caſu noſtro; quia legere, & non intelligere eſt non legere, cum hujuſmodi legere non habeat effectum lectionis, qui eſt intelligere: Paria enim eſſe, non fieri, & non ſortiri effectum, vult Tex. in *l.*1. §. *Nihil*, *ff. de interrogat. act. & in l. Ex conſenſu*, §. 1. *ff. de appell.* Legere igitur, & non ſortiri effectum lectionis, qui eſt lecta intelligere, reputabitur pro non legere: Quod autem prohibet Summus Pontifex eſt legere, non autèm non legere.

41 Ex productis patet reſponſum ad Textum allegatum in contrarium, quia procedit de legere phyſico, ſeù materiali, non verò formali.

42 Ad rationem de retentione librorum: concedimus utique incurrere excommunicationem Pontificiam Retinentem hujuſmodi libros, ſcientes intentionem Eccleſiæ eſſe hoſce libros deſtruere; & ideò hos libros retinere eſt alia ſpecialis actio, quæ ſpecialitèr interdicitur ſub pœna excommunicationis reſervatæ, tanquàm intentioni Eccleſiæ directè, & apertè contraria.

43 Confeſſarius itaquè ſciens, has duas adeſſe opiniones, eſtò una ſit alterâ probabilior, poteſt in exercitio ſui muneris utramlibet ſequi, & ſic poteſt, vel abſolvere Pœnitentem, hos libros materialitèr tantùm, ſeù ſine intelligentia legentem, negativam ſequens opinionem; vel abſolutionem ei denegando, ſi affirmativam ſequatur.

44 Dubium demùm eſt à Confeſſariis minimè ignorandum, nùm impeditus adire Epiſcopum pro abſolutione à Caſibus ei reſervatis, poſſit abſolvi à Parocho, vel aliò Sacerdote inferiori.

45 Abſolvere à reſervatis Ordinario, vel in Bulla Cœnæ Domini implicitè, vel explicitè; & aliis caſibus Sanctæ Sedi reſervatis, nulli Regularium virtute privilegiorum, vel Sacerdotum ſæcularium vigore prætenſarum conceſſionum, niſi in mortis articulo, licere, declaravit Sac. Congregatio Epiſcoporum, & Regularium, de mandato Clementis VIII. *menſe Januarii*, & *Novembris* 1602. de mandato Pauli V. *menſe Januarii* 1617. de mandato Urbani VIII. *menſe Novembris*, 1628. & pluriès; declarando, audentes, vel præſumentes abſolutionis beneficium impendere à reſervatis abſque ſpeciali licentia Sanctæ Sedis, vel Ordinariorum, quoad caſus ab ipſis tantùm reſervatos reſpectivè, in ſcriptis impetratâ,

pœnæ ſubjacere excommunicationis, privationis officiorum, & dignitatum, aùt beneficiorum, atque inhabilitatis itèm audiendi confeſſiones &c. ipſo facto, abſque ulla alia declaratione, incurrendæ, & abſolutionem, ſi quam Pœnitentes obtinebunt, contra hujuſmodi prohibitionem, eſſe nullius roboris, vel momenti. Dubium itàque emergit, an habens caſus Epiſcopo reſervatos, & nequiens illum adire, poſſit à Parocho, aut ab alio Confeſſore inferiori beneficium abſolutionis recipere.

46 Alterius *de cenſur. tom.* 1. *diſp.* 6. *cap.* 6. *verſ. Si quis poſtulet*. Vaſq. *de pœnit. qu.* 91. *art.* 3. *dub.* 9. *num.* 4. Filliuc. *tom.* 1. *Tract.* 7. *cap.* 10. *qu.* 6. *num.* 289. putant, Parochum, & multò magis Confeſſorem inferiorem, in caſu expoſito, juriſdictione carere abſolvendi à Caſibus Epiſcopo reſervatis, inherentes Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. ubi dicitur, extrà articulum mortis, nullum inferiorem poſſe directè abſolvere à reſervatis, niſi, ſubdunt Scribentes, ex jure, vel privilegio conſtet ſe habere facultatem nullatenùs impeditam; dùm igitur excipitur à Tridentino articulus mortis, aſſerendum eſt, in aliis caſibus, Parochum, & alios Sacerdotes, quoad caſus Epiſcopo reſervatos, carere juriſdictione abſolvendi: quiſque enim ſcit, exceptionem firmare regulam in contrarium.

47 Huic ſenſui, qui plurimùm placet, libentèr adhærerem: Contrarium tamèn, quia Animarum ſaluti magis favet, mihi liceat cum debitis limitationibus promere; eumque Confeſſariis, in praxim deducendum, communicare. Sentio igitùr, urgente neceſſitate confitendi, aùt celebrandi ad ſcandalum evitandum, aùt ex alio capite, & præcluſo aditu ad Epiſcopum, poſſe Parochum, alioſque Sacerdotes inferiores in tali caſu abſolvere à reſervatis Epiſcopo. Mihi aſſiſtunt Sotus in 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 2. *art.* 5. Canus *Relect. de pœnit. par.* 3. §. *Secunda Concluſ.* Suarez *de pœnit. diſp.* 31. *ſect.* 3. & alii, loquentes generalitèr de omnibus reſervatis; & in terminis propriis, Palaus *p.* 4. *Oper. moral. tract.* 23. *diſp. unic. pun.* 15. *num.* 1. Henri. Henriq. *lib.* 6. *cap.* 15. *num.* 1. cum aliis: magis tamen aſſiſtit ratio in jure fundata, *Capit. Mulieres*, *capit. Noſcitur*, & *capit. De cætero*, *de ſent. excomm.* ex quibus, aliiſque juribus habetur regula, quòd legitimi impediti adire Summum Pontificem pro abſolutione à caſibus ei reſervatis, abſolvi poſſunt ab Ordinario. Cur non poterit legitimè impeditus adire Ordinarium,

rium, à Parocho, vel alio inferiori Confeſſario abſolvi à reſervatis Ordinario? Favet enim eadem Regula, cum militent eædem rationes. Nàm ad quid ſit reſervatio? ad detrimentum Animarum, an ad earumdem ſalutem? Ad ſalutem quippè, non ad detrimentum. Ergò quando tenderet in detrimentum, deſineret eſſe reſervatio; & ſucceſſivè præſumitur tunc fore conceſſam cuilibet Confeſſario approbato abſolvendi facultatem. Tum quia; certum eſt, Epiſcopum teneri in ſuis reſervationibus ſe Eccleſiæ conformare. Scimus autèm, Eccleſiam nullatenùs obligare ad moralitèr impoſſibile, juxtà regulam 6. *Nemo, de reg. jur. in 6.* ibi - Nemo poteſt ad impoſſibile obligari: ob quam rationem conceditur impeditis adire Sedem Apoſtolicam, abſolutionem à reſervatis petere ab Ordinario: ideò cenſendum non eſt, velle Epiſcopum in ſuis placitis, ſivè reſervationibus ſtrictiorem obligationem imponere. Inſupèr negari non poteſt, reſervationem Caſuum Epiſcopalem eſſe accipiendam ſecundùm jus commune, & ab ipſo fore recipiendam interpretationem; cum omnis diſpoſitio intelligatur juxtà jus commune, à quo ſuam interpretationem deſumit, ut tradunt Petr. Ancharan. *conſ.* 404. *nu.* 3. Roman. *conſ.* 359. *n.* 24. *verſ. Tertio*, Tiraq. Barboſ. Tuſch. & alii. Neminem autèm latet, reſervationem de jure communi non eſſe ità ſtrictam pro impeditis, ut non indulgeatur, poſſe ab inferioribus Confeſſariis abſolutionem recipere.

48 Ad locum allatum Trid. ubi dicitur, nemini inferiori, extrà articulum mortis, circa caſus reſervatos, competere juriſdictionem, reſpondemus cum Paſq. *loc. cit. num.* 1467. eſſe intelligendum de Juriſdictione per ſe, non autèm de juriſdictione per accidens ex præſumpta voluntate Reſervantis, & ratione tacitæ conditionis, quæ ineſt in reſervatione, videlicèt, quòd non comprehendit impeditos adire Superiorem, niſi quoad obligationem coram eo comparendi, ceſſante impedimento.

49 Ex traditis patet idoneitatem, quam Concilium Trid. reqirit in Approbandis ad confeſſiones ſivè Militum, ſivè non Militum audiendas, in ſcientia conſiſtere, præcipuè eorum, quæ frequentiùs contingunt, ut ſunt intèr cætera, præfata dubia, eorumdemque reſolutiones; aùt poſſunt quandoque contingere; ut ſunt caſus in Edicto S. Officii contenti, onus denunciationis ſecum ferentes, quippè quos ſcire expedit

expedit Confeſſariis, ut valeant pœnitentes obſtringere ad denunciandum Locorum Ordinariis, aùt Inquiſitoribus in illos Incidentes: Quod ſanè Edictum, tamctſi ſatis ubique notum; nihilominùs pro majori tùm Confeſſariorum, tùm Pœnitentium commoditate, atque directione, duximus per extenſum hùc adferre; ſcientes præcipuè in Exercitibus, ubi Libertini nunquam deſunt, non ſemel blaſphemias evomi; propoſitiones hæreticas proferri; actiones ſuperſtitioſas exerceri, libros hæreſim continentes legi, Ritus Infidelium laudari; Hæreticis favorem exhiberi, bigamiam contrahi; aliaque delicta denunciationi obnoxia perpetrari: Quibus cunctis adamuſſim perceptis, poſſunt Confeſſarii Caſtrenſes, & non Caſtrenſes propriis, & alienis conſcientiis crebrò, & durè agitatis, tranquillitatem adferre.

EDITTO DEL S. OFFIZIO

Nos Emanuel Theodoſius Epiſcopus Hoſtien. Bullionius, Nicolaus Epiſcopus Portuen. Acciajolus, Gaſpar Epiſcopus Sabinen. Carpineus, Cæſar Epiſcopus Albanen. d' Eſtrees, Fr. Vincentius Maria Archiepiſcopus, Epiſcopus Tuſculanus Urſinus, Franciſcus Tit. S. Matthæi in Merulana Nerlius, Galeatius Tit. Sanctæ Praxedis Mariſcottus, Fabritius Tit. Sancti Chryſogoni Spada, Bandinus Tit. Sancti Pancratii Panciaticus, Franciſcus Tit. Sanctæ Sabinæ Judice, Jacobus Antonius Tit. Sanctæ Cæciliæ Morigia, Fr. Thomas Maria Tit. Sancti Clementis, Fabritius Tit. SS. Joannis, & Pauli Paulutius, Sperellus Tit. Sancti Joannis ante Portam Latinam de Sperellis, Joannes Maria Tit. Sanctæ Pudentianæ Gabriellius Presbyteri, Franciſcus Maria Sanctæ Mariæ in Dominca Medices, Petrus SS. Laurentii, & Damaſi Otthobonus Diaconi miſeratione Divina S.R.E. Cardinales contra hæreticam pravitatem Generales Inquiſitores à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialitèr electi, & deputati.

„ Essendo à Noi per la continua eſperienza manifeſto, che molti per malitia, altri per inobedienza, & altri per ignoranza, non ſodisfanno all'obligo, che hanno di denuntiare al S. Offitio li delitti ſpettanti ad eſſo, e che perciò ſuccedono grandiſſimi inconvenienti, & errori, non ſola-

„ men-

„ mente contro i buoni, e Chri-
„ ſtiani coſtumi, mà ancora con-
„ tro la fede Cattolica. Noi per
„ tanto, à quali ſpecialmente de-
„ ve eſſere à cuore la gloria di
„ Dio, la conſervatione, & au-
„ gumento della Fede Cattolica,
„ e la ſalute dell' Anime; volen-
„ do proveder à tanto diſordi-
„ ne; con autorità Apoſtolica à
„ Noi commeſſa, commandia-
„ mo in virtù di ſanta obedienza,
„ e ſotto pena di ſcommunica di
„ lata ſentenza, oltre l'altre pe-
„ ne preſcritte da Sacri Canoni,
„ Decreti, Conſtitutioni, e Bol-
„ le de Sommi Pontefici, per te-
„ nore del preſente Editto à tut-
„ te, & à ciaſcuna perſona di
„ qualunque ſtato, grado, e con-
„ ditione, ò dignità, così Eccle-
„ ſiaſtica, come ſecolare, che frà
„ il termine di un meſe, dieci de'
„ quali per il primo, dieci per il
„ ſecono, e dieci per il terzo ter-
„ mine peremptorio, ſi debbano
„ rivelare, e giuridicamente no-
„ tificare al S. Offitio, overo à gli
„ Ordinarii, tutti, e ciaſcuno di
„ quelli, de' quali ſappino, ò hab-
„ biano havuto, ò haveranno no-
„ titia.

„ Che ſiano Eretici, ò ſoſpet-
„ ti, ò diffamati d'Ereſia, ò cre-
„ denti, ò fautori, ò ricettatori,
„ ò defenſori loro, ò habbiano
„ aderito, ò aderiſcono a' Riti
„ de Giudei, ò Maumettani, ò
„ de Gentili, ò habbiano apoſta-
„ tato dalla S. Fede Chriſtiana.

„ Che habbino fatti, ò faccino
„ atti, da quali ſi poſſa argomen-
„ tare patto eſpreſſo, ò tacito col
„ Demonio, eſſercitando incan-
„ ti, magie, ſortilegii, porgendo-
„ gli ſuffomigii, incenſi per tro-
„ var Teſori, & altri intenti,
„ chiedendo da lui riſpoſte, &
„ invocandolo, & à queſto effet-
„ to promettergli obedienza, e
„ conſacrargli pentaculi, libri,
„ ſpade, ſpecchi, ò altre coſe,
„ nelle quali intervenga il nome,
„ & opera ſua.

„ Che ſiano ingeriti, ò ingeri-
„ ſcono in far eſperimenti di Ne-
„ gromantia, ò di qualſiſia altra
„ ſorte di Magia, con entrare ne'
„ circoli, far l'eſperimento della
„ Caraffa, del Crivello per tro-
„ var i medeſimi Teſori, coſe na-
„ ſcoſte, rubbate, ò perdute, e
„ fare altre ſimili, e ſuperſtitio-
„ ſe attioni ad altri fini, maſſime
„ con abuſo de' Sacramenti, ò di
„ coſe ſacre, e benedette.

„ Che ſenza licenza dovuta
„ ritenghino ſcritti, che conten-
„ ghino Ereſie, ò libri Eretici,
„ che trattino ex profeſſo di Re-
„ ligione, ò che gli habbino let-
„ ti, ò tenuti, ò ſtampati, ò fatti
„ ſtampare, ò li leggano, tenga-
„ no, ſtampano, fanno ſtampare,
„ introducano, ò difendino, ſot-
„ to qualſivoglia preteſto, ò co-
„ lore.

„ Che habbino libri di Ne-
„ gromantia, Maggia, ò con-
„ tinenti incanteſimi, ſortilegii, e

„ ſimi-

,, ſimili ſuperſtitioni, maſſime ,, con abuſo di coſe ſacre.

,, Che contro il voto ſolenne ,, fatto nella Profeſſione in qual- ,, ſivoglia Religione approvata, ò ,, dopo haver preſo l' Ordine ſa- ,, cro habbia contratto, ò contra- ,, ha Matrimonio.

,, Che vivendo la prima mo- ,, glie pigli la ſeconda, ò vivendo ,, il primo marito pigli il ſecon- ,, do.

,, Che contro i Decreti, e ,, Conſtitutioni Apoſtoliche hab- ,, bino abuſato, & abuſino il ,, Sacramento della Peniten- ,, za, ſervendoſi della confeſ- ,, ſione, e confeſſionario à fini ,, diſoneſti, ſollecitando in eſſi i ,, Penitenti ad turpia, & havendo ,, con eſſi diſcorſi di coſe illecite, ,, e non convenienti al fine, per ,, il quale è ſtato inſtituito.

,, Che habbiano proferito, ò ,, proferiſcono beſtemmie ereti- ,, cali contra Dio, la Beatiſſima ,, Vergine, e Santi, ò procedino ,, à qualunqua atto di offeſa, ò ,, diſprezzo contra l' Imagini, ò ,, figure rappreſentanti il mede- ,, ſimo.

,, Che habbiano tenute, ò ten- ,, ghino occulte conventicole, ò ,, radunanze in pregiuditio, di- ,, ſprezzo, ò contra la Religio- ,, ne.

,, Che habbiano indotto qual- ,, che Chriſtiano ad abbracciare ,, il Giudaiſmo, ò altra Setta ,, contraria alla Fede Cattolica, ò ,, impedito i Giudei, ò Turchi à ,, battezzarſi.

,, Che non eſſendo ordinati ,, Sacerdoti, s' habbiano con ſa- ,, crilego ardire uſurpato, ò ſi ,, uſurpino di celebrar Meſſa, an- ,, corche non habbino proferito ,, le parole della Conſecratione, ò ,, habbiano preſonto di miniſtra- ,, re il Sacramento della Peniten- ,, za à Fedeli di Chriſto, ancor- ,, che non ſi ſia venuto all'atto ,, dell'aſſolutione.

,, In oltre ſi dichiara, che quel- ,, li, quali non denunciaranno; ,, come ſi ordina col preſente ,, Editto, non poſſino eſſere da ,, alcuni aſſoluti, ſe non dal S. ,, Offitio, dopo che haveranno ,, in eſſo giuridicamente rivelato ,, i delinquenti, che non poſſino ,, ſodisfare con bollettini, ò let- ,, tere, ſenza nome, e cogno- ,, me dell'Autore, ò altri modi ,, incerti, de' quali non ſi tiene ,, conto alcuno nel Santo Tribu- ,, nale.

,, Si dichiara anche con la ſu- ,, detta eſpreſſione de caſi di ſo- ,, pra da Noi ſpecificati, da rive- ,, larſi, non ſi eſcludono gli altri ,, caſi ſpettanti al S. Offitio, che ,, per altro ſono compreſi ne i ,, Sacri Canoni, Conſtitutioni, ,, e Bolle Pontificie; Nè meno ,, col preſente Editto s'intenda ,, derogato à l' altre proviſioni ,, Canoniche, Apoſtoliche, & à ,, gl'altri Editti degl'Ordinarii, & ,, Inquiſitori.

,, Et

„ Et à fine che del preſente „ Editto non ſi poſſa pretendere „ ignoranza, commandiamo, che „ ſia affiſſo per i luoghi ſoliti di „ Roma, e ſi notifichi alli Ve- „ ſcovi delle Città vicine à Ro- „ ma, nelle quali non ſono In- „ quiſitori, acciò lo publichino, „ & ordinino, che li Parochi del- „ le loro Dioceſi lo legghino „ ogn'anno la prima Domenica „ dell' Advento, e la prima Do- „ menica di Quareſima; „ il che parimente vogliamo, „ che ſi facci dalli Parochi, e „ Regolari di Romà nelle loro „ Chieſe in tempo, che troverà „ in eſſe congregato maggior „ numero di Popolo, e poi farne „ attaccare alle porte delle loro „ Chieſe, e Sacreſtie di eſſe un „ eſſemplare del medemo, per „ oſſervare quanto in eſſo ſi ordi- „ na. Dal Palazzo del S. Offitio, „ queſto dì 18. Marzo 1705.

Loco ✠ Sigilli.

Joſeph Bartolus S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Not.

Die 26. Martii 1705. ſupradictum Edictum affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Palatii S. Officii, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis, per me Franciſcum Perinum Sanctiſſimæ Inquiſitionis Curſorem.

ROMÆ, Typis Rev. Cameræ Apoſtolicæ, 1705.

§. VII.

Scientiæ Confeſſariorum prudentiam eſſe adſociandam in exercitio obtentę facultatis abſolvendi à reſervatis, diverſa exigit Pœnitentium conditio.

50 SCientiæ in Confeſſariis ſore adſociandam prudentiam pro recto ſui muneris exercitio, quoad caſus tàm reſervatos, quàm non reſervatos, incontrovertibilis eſt Doctorum ſenſus: Hinc Sancta Eccleſia ex recepta ab Apoſtolis traditione vult, graviora, & atrociora crimina Superioribus, nempè Pontificibus, Epiſcopis, & Prælatis majoribus, utpotè qui præſumuntur ſanctitate, doctrinâ, & prudentiâ cæteros præcellere, reſervari; *arg. Tex. in capit. Quod tranſlationem, de offic. Leg. v. Reſervata*; ubi Gloſ. utpotè, qui conſultiùs, & accuratiùs valent illas graves infirmitates mederi, quibus Oves Chriſti, ſibi ſpecialiùs commiſſæ, corrumpuntur: haſque à reincidentia, ſalubri injunctâ pœnitentiâ, præſervare, ut acriori metu correptæ, ab hujuſmodi criminibus arceantur, *arg.* Textus in *Capit. Factæ, Diſt.* 4. ubi Iſidor. dicit -- Factæ ſunt autèm leges, ut earum metu humana coerceatur audacia, tutaque ſit intèr improbos innocentia, & in ipſis improbis formidato ſupplicio refrænetur audacia, & nocendi facultas.

51 Prudentiam, quam dicimus Confeſſario decere pro recto ſui muneris exercitio, poſſe duplicitèr conſiderari, docet Filliu. *tom.* 1. *in Inſtruct. Brevi, cap.* 3. videlicèt, erga ſe ipſum, & erga pœnitentem. Erga ſe ipſum debet Confeſſarius indubitantèr in pluribus eſſe prudens, præcipuè in interrogationibus circa materiam Sexti Præcepti, Laym. *de pœnit. cap.* 13. *num.* 7. Navar. in *Manu. cap.* 5. *num.* 4. Lug. *de pœn. diſp.* 16. *num.* 595. Henriq. *lib.* 6. *cap.* 27. *num.* 1. ne ſe, vel Pœnitentem ad aliquam excitet tentationem, nonnullas incautè inquirendo circum-

ſtan-

ſtantias; atque modos minutos minimè neceſſarios inveſtigando, præſertim, quando agitur de caſibus reſervatis, varias circumſtantias, varioſque modos, ut plurimùm, ſecum adſerentibus. Hinc ad occurrendum periculo, quod poſſet in ſe, vel in Pœnitente contingere, poſſe quandoque aliquam interrogationem contemni, quamvis aliqua omitteretur circumſtantia, aliàs ad materialem integritatem confeſſionis requiſita, tradit Coninch. *de Sacram. diſp.* 8. *dub.* 17. *num.* 121. Caſtropal. *de Sacr. Pœnit. diſp. unic. pun.* 19. §.2. *num.*4.

52 Prudens eſſe debet Confeſſarius in forma examinandi Pœnitentem; ea tantummodò rogando, quæ veriſimilia ſecundùm cujuſque ſtatum exiſtimantur; ne ſimpliciores ea addiſcant peccata, quæ ignorabant: ea prætermittendo, quæ ad peccati explicationem noſcit minimè, aùt non neceſſariò, pertinere: v. g. ſi ſit virgo, vel monialis, vel domina, vel famula, niſi hujuſmodi notitiam, ſciendam ab ipſo, qualitas peccati expoſiti clavibus, expoſtularet.

53 Prudens eſſe debet in relinquendo Pœnitente in ſua bona fide: noſcens v. g. ejus matrimonium fuiſſe cum impedimento contractum, ſi putat ſuâ admonitione nihil ſe profuturum. Prudens in illum promptè admonendo, ſi ex ejus incauto loquendi modo prævideat eum declaraturum complicem patrati delicti ſine neceſſitate. Prudens in agendo modo rigidiori cum fœminis, earum ſuperfluas narrationes illicò reſecando; placidis earum verbis nunquàm aſſentando. Prudens in evitando mutuum aſpectum Pœnitentis, præſertim ſi juvenis ſit, vel fœmina, de culpis inverecundis ſe accuſantis, vel oculos ad terram humiliando, vel ſursùm aſpiciendo, vel linteolum præ manibus tenendo, ſi craticula, aùt tabula deeſſet mutui aſpectus præpeditiva. Prudens in conformando ſe opinioni practicè probabili ipſius Pœnitentis, arbitrantis ſuum peccatum non eſſe reſervatum, illum liberè abſolvendo; dummodò, juxtà ejuſdmodi opinionem ſit capax abſolutionis. Secùs verò, ſi conſilium petat, atque judicio Confeſſarii, contrariam opinionem habentis, ſe ſe ſpontè dirigendum committat. Prudens in cauſa Recidivorum peragendâ; eis abſolutionem differendo, quando probabilitèr dubitaret de neceſſario propoſito ſe in poſterum à peccato abſtinendi, aùt eos ſtatim abſolvendo, ſi clarè dignoſceret, vero dolore, & efficaci propoſito

eos nequaquam carere. Prudens denique in diſtinguendo occaſiones proximas à remotis, neceſſarias à liberis; obſtringendo Pœnitentem eas effugere, quæ ſunt proximæ, & liberæ; ſecùs verò, ſi ſunt neceſſariæ, & tunc ei pœnitententiam medicinalem, juxtà qualitatem perſonæ, imponendo.

54 Alia pleraque, in quibus debet Confeſſarius ergà ſe ipſum prudentèr ſe gerere, omittimus, facillimè apud Authores de caſibus conſcientiæ tractantes, & etiam in tot Inſtructionibus Confeſſariorum iſpicienda, ad alia forsàn utiliora progreſſuri.

55 Non minori ſanè prudentiâ debet Confeſſarius pollere erga Pœnitentem, quàm erga ſeipſum exercendâ, præcipuè quando agitur de pœnitentiis imponendis pro peccatis, & quidèm reſervatis, cum debeat Pœnitentis perpendere qualitates, nempè vires, ætatem, ſanitatem, infirmitatem, ſtatum, conditionem, ſi ſunt viri; ſi fœminæ, ſi juvenes, ſi ſenes, ſi domini, ſi famuli, ſi docti, ſi idotæ, ſi Milites, ſi Officiales, ſi Eccleſiaſtici, ſi Sæculares, ſi Principes, ſi Plebani, &c. Debet enim Confeſſarius media applicare Pœnitenti accommodata, ut valeat ea executioni demandare; & intèr ea, pœnitentiam, quæ debet eſſe accommodata peccatis, peccatori, & fini impoſitionis, Filliuc. *loc. cit.*

56 Hìc admonere ducimus Confeſſarium, nè nimio rigore procedat in Pœnitentem, ampliùs non eſſe in uſu, attentâ virium diminutione in humana natura, quoſdam Canones, quibus antiquitùs ab Eccleſia gravia Pœnitentium crimina plectebantur ut *Capit. Innotuit de Maled.* ubi verba proferenti in depreſſionem officii, & dignitatis Summi Pontificis, talis pœna imponebatur, ut valeret aliis terrorem incutere, *Capit. fin. eod. tit.* ubi blaſphemia in Deum, vel in aliquem Sanctorum ſuorum, & maximè Beatam Virginem, variis, & graviſſimis pœnis mulctabatur, *Capit. Præjudicium, cauſa* 22. *qu.* 1. ubi perjurium in lege, in Prophetis, in Evangelio prohibitum, pœnitentiæ ſeptem annorum ſubjacebat, *Capit. Si quis homicidium*, & *Capit. Seq. Diſt.* 50. ubi homicida debebat per ſeptem annos pœnitentiam agere, ſi Laicus, aùt Clericus; tres ex his in pane, & aqua; ſi Diaconus, per decem annos; ſi Presbyter, per duodecim, & ex eis tres in pane, & aqua; ſi Epiſcopus, per quindecim; dein deponebatur, cunctoſque quoque dies vitæ ſuæ peregrinando finiebat. Si verò homicidium erat non voluntate,

te, ſed caſu, datâ tamen operâ rei illicitæ, aùt debitâ diligentiâ minimè adhibitâ poſt moderationem perpetratum, per quinquennium à communione debebat abſtinere, *Capit. Presbyter*, *Diſt.*81. ubi fornicatione maculatus debebat per ſpatium ſeptem annorum jejunare, exceptis Dominicis diebus, partim in pane, & aqua, partim in modico vino, & piſciculis, atque leguminibus.

57 His, aliiſque omiſſis canonibus, duriſſimas pœnas gravitati criminum præſcribentibus; cum ji ampliùs non ſint regulæ præciſæ pœnitentiarium peccatoribus imponendarum, re totâ ab Eccleſia arbitrio Confeſſariorum relictâ; nihilominùs non omittimus animadvertere, aliquam eſſe regulam in materia tanti momenti adhibendam, ità Animarum ſalute poſtulante, nàm, quamvis pœnitentiæ determinatio arbitrio Confeſſariorum relinquatur, arbitrium tamèn eſse à ratione dirigendum, admonet Sot. in 4. *Diſt.* 20. *qu.* 2. *art.* 3. *concluſ.* 1. cum Confeſſarius ſit quidèm judex, ſed ſubordinatus, & adminiſtrator juſtitiæ in hoc Sacroſancto Tribunali, non dominus juſtitiæ, cujus ſolus Deus eſt Dominus Deus judicii. Hinc graviſſimè peccare Confeſſarium non dubitamus, qui levibus pœnis gravia Pœnitentium crimina, abſque juſta cauſa, animadvertit; cum id directè, & ex diametro Sanctæ Tridentinæ Synodo adverſetur, dicenti *Seſſ.* 14. *de ſatisfac. cap.* 8. -- Nè, ſi fortè „ peccatis conniveant, & in dul„ gentiùs cum Pœnitentibus „ agant, leviſſima quædam ope„ ra pro graviſſimis delictis in„ jungendo, alienorum peccato„ torum participes efficiantur &c. Debent ergò Judices ſpirituales, Sacerdotes Dei, Eccleſiæ Confeſſarii, quantùm ſpiritus, „ & prudentia ſuggeſſerit, pro „ qualitate criminum, & pœni„ tentium facultate, ſalutares, & „ convenientes ſatisfactiones in„ jungere, ibid. Trid. Quod etiam vult Conc. Carth. IV. *c.* 74. Conc. Cab. III. *c.* 34. & 38. -- Accedit ad hæc, *eod. cap.* Trid. quòd dum „ ſatisfaciendo patimur pro pec„ catis, Chriſto Jeſu, qui pro pec„ catis noſtris ſatisfecit, ex quo „ omnis noſtra ſufficientia eſt, „ conformes efficimur: certiſſi„ mam quoque inde arrham ha„ bentes, quòd ſi compatimur, „ & conglorificabimur.

58 Videamus nunc quo modo Confeſſarius, habens facultatem abſolvendi à Caſibus reſervatis ſivè Epiſcopo, ſivè Summo Pontifici, debeat ſuam exercere prudentiam circa pœnitentiam pro eis imponendam. Advertimus, nos non loqui de pœnitentiâ quatenùs im-

importat opera ſatisfactoria; hæc enim diximus, arbitrio Confeſſariorum ratione dirigendo, relinqui; ſed quatenùs dicit operationes à Confeſſario Pœnitentibus præſcribendas pro abſolutione à reſervatis recipiendâ.

59 Pro clariori rei intellectu, ſumamus aliquot ex caſibus reſervatis Epiſcopo, & aliquot Summo Pontifici reſervatos; nam omnes caſus reſervatos, aùt à jure, aùt ab homine, referre, prolixiùs eſſet, pratèr morem noſtrum, præſentem paragraphum protrahere.

60 Sumamus in primis homicidium voluntarium, quod ferè ab omnibus Ordinariis reſervatur, & quidèm jure optimo, quia non ſolùm eſt peccatum mortale, ſed eſt horribilius, & terribilius omni peccato, ut docet Dom. Sot. *de juſt. & jur. lib.*5. *qu.*10. *art.*3. D. Th. 2. 2. *qu.* 73. *art.*3. & à Textu in *Capit. Miror, Diſt.*50. vocatur immane flagitium, & à Textu in *Capit. fin. de tempor. ordin.* intèr majora crimina collocatur; & rectè, cum ex eo ſequatur vitæ ademptio; & plerùmque Animæ damnatio, ſi homo, pretioſiſſimo ſanguine Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti redemptus, in mortali exiſtens, ſi Divinâ non præveniente gratiâ, ſpiritualibus armis præmunitus non ſit, ut dicitur in Conſtit. s. m. Innocentii XII. in principio, occidatur. Alia, quibus gravitas hujus delicti demonſtratur, capita omittuntur, utpotè nuperrimè diſtinctè, & eruditè enunciata à D. Dominico Urſaya, in Curia Romana laudatiſſimo Advocato, in ſuis *Inſtit. criminal. lib.*2. *tit.*5. *de homicid. à nu.* 2. Confeſſarius itàque, ut prudentèr ſe gerat, debet homicidam obſtringere ad cuncta damna reſarcienda, quæ ex ejuſmodi homicidio per ſe, vel per alios perpetrato, parentibus contigerunt, eique renuenti id agere, ſi habet poſſibilitatem, abſolutionem denegare. Eodemque modo ſe gerere debet cum Incendiario, potiſſimùm quando incendium eſt voluntarium, & doloſum; procedens ſcilicèt ex dolo malo, juxtà *l. Qui ædes*, ibi, *ſi modo ſciens*, *ff. de incen.* quando nempè ignis appoſitus eſt ſcientèr, ſivè datâ operâ ex odio, aùt vindictâ, animo nocendi, ut explicat Bal. in *l. quæ fortiùs*, *in* 3. *col. Cod. de pignor. act.* & tunc hoc crimen incendii vocatur à Tex. in *Capit. Peſſimam*, *cauſa* 23. *qu.* 8. peſſima, horrendaque malitia. Quâ ſanè malitiâ notantur Milites, quando abſque Ducis mandato, ſolo dolo malo, ſivè odio, vindictâ permoti, ignem domibus, vineis, aùt ſylvis apponunt. Ab hoc igitùr,

tùr, aliiſque caſibus Epiſcopo reſervatis, ſatisfactionem partis exigentibus, non eſſe Pœnitentes per Confeſſarium abſolvendos, niſi impoſitâ obligatione damna reſarciendi, ſi poſſunt, non dubitamus: ità mandante juſtitiâ, juxtà juris Interpretes: ità exigente prudentiâ, juxtà præmiſſorum diſpoſitionem: ità aſtruentibus omnibus Scribentibus, juxtà ſana eorum principia.

61 Sumamus nunc aliquot ex caſibus Summo Pontifici reſervatis, ut eſt, intèr cæteros, lectio, & retentio librorum Hæreticorum, continentium hæreſim, vel de Religione tractantium, ſub pœna excommunicationis, Sedi Apoſtolicæ reſervatæ, in Bulla Cœnæ interdicta. Certum eſt, Confeſſarium, qui habet poteſtatem à Caſibus Papalibus abſolvendi, non poſſe Pœnitenti de lectione, & retentione horum librorum ſe accuſanti, abſolutionem impendere, niſi ſuam adhibeat prudentiam, ei mandando hujuſmodi libros Sancto Officio, ſivè Inquiſitoribus tradere, ut diſponit Pius IV. in ſua Bulla, incip. -- *Locum pro munere, editâ anno* 1564. & Julius III. in ſua Bulla, quæ incipit -- *Cum meditatio*, apud Pegnam, in *ult. part. Direct.* & docent Sanchez, *lib.* 2. *moral. cap.* 10. *num.* 56. & alii innumeri, quos probat Tho. Del Bene, *de S. Off. tom.* 1. *Dub.* 40. *Petit.* 3. *num.* 18. Quidquid dicant alii apud eumdem Del Bene, *loc. cit. Petit.* 9. aſſerentes, dictos Libros propriâ authoritate comburentem, vel jis tradentem, qui eos legere, nec non retinere poſſunt, rationabili causâ interveniente, omninò à cenſuris, & quacunque culpâ excuſari; quorum opinio mihi non placet. Ut eſt ordinatio, vel publicatio ſtatutorum, ordinationum, vel pragmaticarum, vel quorumvis aliorum decretorum in genere, vel in ſpecie contra libertatem, vel immunitatem Eccleſiaſticam ex quavis cauſa, & quovis quæſito colore, etiam prætextu cujuſvis conſuetudinis, aùt privilegii. Certum eſt, hujuſmodi ſtatuentes, vel mandantes, vel publicantes ſtatuta, quibus Eccleſiaſtica libertas tollitur, ſeù in aliquo læditur, aùt minuitur, vel deprimitur, vel aliàs quovis modo reſtringitur; quibus Clerici, vel Eccleſiæ, aùt res Eccleſiaſticæ efficiuntur deterioris conditionis, aùt Bona Eccleſiæ Romanæ uſurpantur, & occupantur, incidere in Bullam Cœnæ Domini, ejuſque excommunicationis vinculo, Summo Pontifici reſervatæ, innodari. Confeſſarius igitur, cui caſuum Papalium abſolutio fuit delega-

ta,

ta, ſeù ſpecialitèr commiſſa, obſtrictus prudentèr, imò prudentiùs in hàc materia ſe gerere; non debet hos delinquentes, ad Claves, quas habet, accedentes, abſolvere, niſi priùs deleant ſtatuta cum juramento amplius illa non edendi; etiàm pœnâ appoſitâ, *arg. extrà*, *de præſumpt. capit. Literas*: quod eſt ſpecialitèr notandum; quia licet timere, nè in poſterum ſimilia contingant, juxtà *Tex. in capit. Mandata, de præſumpt.* ubi -- Quas non loco tribui-
„ mus, ſed perſonæ, quia ex
„ tranſacta in te vita didicimus,
„ quid de ſubſequenti converſa-
„ tione tua præſumamus; & *Capit. Scribam, eod. tit.* ubi -- Scri-
„ bam eis multiplices leges meas:
„ Ex priùs datis, & neglectis ap-
„ paret, quòd has negligent: ideò-
que prudentiam decet exigere cautionem in futurum, facit Tex. in *Capit. Peſſima*, *cauſa* 23. *qu.* 8. *Capit. De viro*, *cauſa* 12. *qu.* 2. *Capit. Cum aliquis, cauſa* 11. *qu.* 3. & nolenti hujuſmodi cautionem præſtare, abſolutionem fore denegandam, colligitur ex Concilio Tridentino *loc. cit.* dicente -- Habeant autem præ ocu-
lis, ut ſatisfactio, quam impo-
„ nunt, non ſit tantùm ad novæ
„ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis
„ medicamentum, ſed etiam ad
„ præteritorum peccatorum vin-
„ dictam, & caſtigationem. Nam
„ claves Sacerdotibus, non ad
„ ſolvendum dumtaxàt, ſed &
„ ad ligandum conceſſas, etiam
„ antiqui Patres & credunt, &
„ docent.

§. VIII.

Deducta ex traditis ſub præſenti Capite, uti ſcitu neceſſaria, exhibentur.

62 DEducitur primò, Confeſſarium ſcire teneri regulas communes, quibus poteſt quis excuſari à præcepto, & à peccato mortali, ut eſt ignorantia probabilis, inadvertentia, impotentia, levitas materiæ, metus gravis infamiæ, vel mortis, vel damni notabilis, & alia, quæ excuſant à quibuſdam præceptis, præſertim de jure poſitivo humano: nec non remedia opportuna, cuivis peccato adhibenda. Quod etiam docet Filliuc. cum aliis, *tom.* 1. *Inſt. brev. cap.* 2. *art.* 5. §. 2.

63 Deducitur ſecundò, Ordinarios

narios locorum piè, & prudentèr ſe gerere per totam ſuam Diœceſim, & præſertim in locis à Civitate, & Cathedrali ſede magis remotis, conſtituentes Pœnitentiarios, alioſque Sacerdotes delegantes cum facultate abſolvendi à caſibus ſibi reſervatis, ſi opus ſit, etiam vivâ voce, præcipuè in ſolemnioribus anni Feſtivitatibus, ut peccatores id ſcientes, ad peragendam pœnitentiam alliciantur. Idem paritèr inſinuante Graff. *de Caſib. reſerv. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 5. §. *Vltimò moneantur Ordinarii*, ibi dicente, hæc omnia haberi per literas Sac. Congregationis.

64 Deducitur tertiò; Habentibus licentiam legendi libros prohibitos, licere committere aliis non intelligentibus, quod legunt, ob imperitiam linguæ, ſivè materiæ, onus ſibi hujuſmodi libros legendi. Concordat Paſqu. *de lect. lib. prohib. quæſt.* 1. *in addit. num.* 1492. *in fin.*

65 Deducitur quartò, Epiſcopos, alioſque Prælatos, & Superiores Religionum debere ſibi reſervare crimina graviora, & atrociora, etiam reſpectu Parochorum. Quod etiam tenet Gloſſ. in *Clem. Dudùm*, *v. Conceſſa*, *de Sepult.* & Gloſſ. in *Capit.* 2. *de pœnit. & remiſſ. in* 6. & Graff. *loc. cit. cap.* 2. *ſub num.* 5. dicens ibi, Poteſtatem ordinariam Parochorum, eis à jure communi conceſſam, poſſe per Epiſcopum arctari, & reſtringi. Hinc hæreticum eſſe dicere, Prælatos non poſſe, vel non debere crimina atrociora ſibi reſervare, tradit idem Graff. *loc. cit. num.* 3. & colligitur ex Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. & *can.* 11.

66 Deducitur quintò obitèr, licere Confeſſario in bello, in naufragio, tempore peſtis, quando non poteſt integram confeſſionem audire, audito uno peccato; vel auditis omnibus peccatis in genere, abſolvere pœnitentem; & eſt communis Doctorum ſenſus, cui tamèn adverſatur Navar. in *Conſil.* 13. *de pœnit. & remiſſ.* Hancque communem doctrinam fuiſſe in praxim deductam in Bello Granatenſi in Hiſpania, teſtatur Paſq. *de approb. Confeſſ. q.* 10. *num.* 1451. Animadvertimus, ut confitens unum dumtaxàt peccatum, aut omnia peccata in genere, poſſit abſolvi, talem requiri neceſſitatem, ut, moralitèr loquendo, non ſit poſſibilis alia confeſſio magis particularis, & magis determinata; concordat Paſq. *loc. cit. num.* 1454.

67 Deducitur ſextò, Confeſſarium in caſibus Epiſcopo reſervatis, quando illi ſunt ambigui, debere ſe conformare in qualibet Diœceſi conſuetndini,

ſeù ſtatuto illius Eccleſiæ; ſcimus enim à conſuetudine dari, & tolli juriſdictionem in hujuſmodi caſibus: & ità quoque docet Cajet. *v. Caſus*.

68 Deducitur ſeptimò. Sacrilegè cognoſcentes Monialem poſſe quidem à Confeſſario privilegiato abſolvi; ſed eſſe eos gravi pœnitentiâ plectendos; cum hoc crimen ſit graviſſimum, ut inquit Decius in *conſ.*338. *num.*1. *&* *conſ.*611. *num.* 3. & horrendum, ut ait Archidiac. in *Capit. Impudicus*, *cauſa* 27. *qu.* 1. & ſic gravem mereri pœnitentiam, exprimitur in *Capit. Si qua Monachorum*, *&* *Capit. Si quis Epiſcopus*, *ead. cauſ.* *&* *qu.* At in foro externo Laicali hoc crimine maculatum puniri pœnâ ultimi ſupplicii, tradunt legum Interpretes, cum bonorum adjudicatione Monaſterio, in quo corrupta Monialis morabatur, ſubdit Graff. *de reſerv. caſ. lib.*2. *cap.*14. *num.*10.

69 Deducitur octavò, Confeſſarios privilegiatos, qui ſunt Mendicantes, & in eorum privilegiis Communicantes, extrà Italiam, & in Urbe Romæ degentes, poſſe abſolvere ab omnibus caſibus Pontificiis, ſatiſfactâ tamen parte. Concordat Rodr. in *Comp. reſ.*3. *v. Abſolutio quoad Sæculares à n.* 34. Excipiuntur caſus Bullæ Cœn. à quibus eos non poſſe abſolvere, habetur ex Sanch. in *Decal. l.*4. *cap.*54. *num.* 27. Excipiuntur quoque caſus ſuperiùs notati, nempè publica violatio Clauſuræ Monialium ad malum finem; publica violatio immunitatis Eccleſiaſticæ, & etiam occulta, ſi fuerit ſequuta authoritate publicâ; & publicum Presbytericidium &c. Poſſe paritèr abſolvere in foro interno Excommunicatos generalitèr ab homine, docet Joan. La Crux in *Compend. privil. l.*1. *cap.*7. *dub.* 1. Excluduntur tamèn Confeſſarii Soc. Jeſu, qui hujuſmodi Excommunicatos non poſſunt abſolvere ſine ſpeciali licentia ſuorum Superiorum, ut exprimitur in *Comp. privileg. ejuſd. Soc.* §. 1. *v. Abſolutio*; cum id eis limitetur à ſuo P. Generali, qui poteſt vigore ſuorum privilegiorum limitare, ut in *præfat. ejuſdem Comp. privil. Soc. Jeſ.* & tenet Thomas Tamb. in *Meth. Confeſſ. lib.*3. *cap.* 7. §. 3. *num.*11. ubi notat, Excommunicatos nominatim per ſententiam prolatam ab homine non poſſe abſolvi, niſi ab illo, qui tulit, vel ab ejus Succeſſore in officio, vel Superiore, vel ab alio de ejus facultate, & eſt communis Doctorum ſenſus, Palud. Sylv. Navar. Suarez, quos producit, & ſequitur Filliuc. *tom.* 1. *Tract.*11. *de cenſur. cap.*9. *n.*297. Thom. Tamb. *loc. cit. num.*12.

ubi

ubi obſervat, ab eiſdem Mendicantibus, eorumque privilegia participantibus, intrà Italiam, & extra Urbem, vigore Decreti Clementis VIII. relati à Ludovico Lacruce, *de expoſit. Bullæ Cru. diſp.* 1. *cap.* 3. *dub.* 5. poſſe abſolutionem impendi à cæteris caſibus; exceptis tamèn ſequentibus, videlicèt, caſibus Bullæ Cœn. ſex caſibus Pontificiis, poſitis apud eumd. ibid. in moderatione ejuſdem Decreti Clem. VIII. & ſuperiùs per nos productis, & caſibus, quos ſibi Ordinarii locorum reſervant.

70 Deducitur nonò, graviſſimè peccare Confeſſarios non habentes facultatem abſolvendi à reſervatis, ſi ab eis abſolvant extra articulum mortis; extendunt enim manum ad ea, quæ non poſſunt, *Capit. Adiicimus,* §. *Ecce*, *cauſa* 16. *qu.* 1. & eorum abſolutionem eſſe omninò nullam, irritam, invalidam, atque mortiferam, probat Tex. in *Capit. Poſtoralis*, *v. Nullam*, & ibi Gloſſ. *de offic. ordin.* & Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. *in fin.* ubi Patres admonent hujuſmodi Sacerdotes pœnitentibus perſuadere, ut ad Superiores, & legitimos Judices pro beneficio abſolutionis accedant: mortiferam dixi ex parte Confeſſariorum, non ex parte Pœnitentium, qui, attentâ eorum bonâ fide, & probabili credulitate, excuſantur, arg. Gloſſ. in *Capit. Dudum*, il ſecondo, *de Elect. v. Deceptæ.*

71 Deducitur decimò, incidentèr, Excommunicatos ob violentam manuum injectionem in Clericum; quamvis injuria ſit enormis, *Capit. Excommunicatis*, *Capit. Quod translationem, de off. leg.* poſſe abſolvi ab habentibus facultatem à Legatis à latere Summi Pontificis, qui ex uſu Romanæ Curiæ, dicuntur ſoli Cardinales, ab ipſo Summo Pontifice ex Urbe, & Curiâ Romanâ miſſi ad certam Provinciam adminiſtrandam, vel ad negotia cùm Regibus, & Principibus, aùt aliquâ Republicâ tractanda: dicunturque Legati à Latere, quia quaſi à Latere Pontificis, cui aſſiſtunt in Conſiliis, & rebus arduis, & veluti ex ejus Senatu, mitti ſolent, ut exprimit optimus Tex. in *Cap. Volentes*, *de off. leg.* Cardinales enim cenſentur pars corporis Papæ, ut oſtendimus in noſtro *Rom. Pontif. Propug. art.* 45. *num.* 12. *&* 13.

72 Deducitur undecimò, Epiſcopum, vel Prælatum, qui de jure, vel ex privilegio facultatem habet ſibi eligendi Confeſſarium, juxtà Tex. in *Capit. fin. de pœnit. & remiſſ.* poſſe eidem delegare poteſtatem ſe ipſum abſolvendi à caſibus de jure ſibi reſervatis, quam poteſtatem eo ipſo concedit,

cedit, cum alteri confitetur, ut dixit Aſtenſ. *lib. de quibuſdam &c. tit.* 15. *quæſt.* 8. Tradunt etiam Archiep. Florent. 3. *p. tit.* 17. *cap.* 12. §. 2. Angel. *v. Confeſſio* 3. §. 7. Syl. *v. Confeſſor* 1. §. 9. Armilla *v. Abſolutio*, §. 14. & alii plures. Et ratio ſuadet, quia Conſtitutio in d. *Capit. fin.* eſt grarioſa; ideoque non videtur reſtringenda, ſed potiùs amplianda; præterquàmquòd, Electus in tali caſu cenſetur abſolvere authoritate Epiſcopi: Quidquid dicat Panorm. in *Capit. Significaſti*, *num.* 11. *de for. compet.* qui tamèn videtur loqui de illis Prælatis, qui alios habent Prælatos ſuperiores ſe in loco, ubi morantur.

73 Deducitur duodecimò, Sacerdotes electos ad audiendas confeſſiones, vel delegatos, vel ſubdelegatos ad abſolvendum à caſibus reſervatis, ad diſpenſandum in votis, & in aliis ſpiritualibus contingentiis non levitèr peccare, ſi acceptant hujuſmodi officia, noſcentes ſe non habere ſcientiam, & prudentiam competentem, vel ſufficientem ad hujuſmodi officia exercenda: ità paritèr ſentit Card. Turrecr in *Capit. Tales*, §. *ad tertiam*, *num.* 5. *Diſt.* 23. *&* *Capit. Ignorantia*, *num.* 3. *Diſt.* 38. & hos Sacedotes eſſe ab Officiis amovendos, ſeù à ſuo honore arcendos, vult Tex. *in Capit. fin. de ætat. & qualit. ordin. & Capit. Si quis Abbas*, *cauſa* 18. *qu.* 2. Et Epiſcopum promovendo ad ordines, & ad hujuſmodi officia inſufficientes, ſeù indignos, peccare mortalitèr, probat Tex. in *Capit. Si qui Epiſcopi*, *cauſa* 1. *qu.* 1. & facit Tex. in d. *Capit. Tales*, *diſt.* 23. ubi Clemens Papa vult tales ad miniſterium eligi Clericos, qui dignè valeant Dominica Sacramenta tractare, aſſerens, meliùs eſſe Eccleſiam Dei paucos habere Miniſtros, qui poſſint dignè opus Dei exercere, quàm multos inutiles, qui onus grave Ordinatori adducant. Hinc D. Th. in 4. *diſt.* 25. obſervans, à Domino deſcribi fidelem ſervum, qui eſt conſtitutus ſupèr familiam, ut det illi in tempore trici menſuram, aſtruit, infidelitatis reum eſſe, qui alicui ſuper menſuram ejus divina tribuit; & hoc facere eum, qui inſufficientem, & indignum promovet; queamodùm infidelis eſſet terreno domino, qui in ejus officiis aliquos inutiles collocaret; & ſucceſſivè mortale crimen eum committere, quaſi ſummo Domino infidelem; præſertim cum id in detrimentum vergat Eccleſiæ, & Honoris divini, qui per ſufficientes, & dignos miniſtros promovetur

tur

tur; Neque eum excuſat à culpa læthali doctrina ejuſdem Doctoris Angelici, dicentis, 2. 2. *qu.* 185. *art.* 3. *in corp.* quòd qui tenetur aliquem in Epiſcopum eligere, vel de eo providere, non tenetur aſſumere meliorem ſimplicitèr; nam S. Doctor reprobat ibi præfatam inſufficientium electionem, dum dicit, quòd ille, qui aſſumit aliquem in Epiſcopum, talem tenetur eligere, qui fidelitèr divina Myſteria diſpenſet; quæ quidèm diſpenſari debent ad utilitatem Eccleſiæ, ſecundùm illud, 1. *Cor. cap.* 14. *verſ.* 12. *Ad ædificationem Eccleſiæ quærite, ut abundetis*. Non autèm divina Myſteria hominibus committuntur proptèr eorum remunerationem, quam expectare debent in futuro: & ideò ille, qui debet aliquem eligere in Epiſcopum, vel de eo providere, non tenetur aſſumere meliorem ſimplicitèr, quod eſt ſecundùm charitatem, ſed meliorem quoad regimen Eccleſiæ, qui ſcilicèt poſſit Eccleſiam, & inſtruere, & pacificè gubernare. Quomodo autèm poteſt fidelitèr divina Myſteria hominibus diſpenſare ad utilitatem Eccleſiæ, ſeù ad ſalutem Animarum, qui non habet ſufficientem ſcientiam, & ſufficientem prudentiam, qui eam, quam Tridentinum requirit, non habet idoneitatem? Concludendum eſt igitur, juxtà poſteriorem deductionis partem, non poſſe à peccato mortali excuſari Epiſcopum, qui ad præfata officia eum promovet, cui ſufficiens ſcientia, ſufficiens prudentia deeſt.

74 Deducitur decimotertiò, Sacerdotem, audientem ſine approbatione Ordinarii Militum confeſſiones, aùt aliorum, peccare mortalitèr, & ejus abſolutionem eſſe nullam; ejuſque delictum fore puniendum pœnâ poſitivæ inhabilitatis, quæ obſtet approbationi in poſterum, itaùt per poſitivam determinationem fiat inhabilis, ut admitti poſſit ad audiendas confeſſiones. Prætereà, hujuſmodi Delinquentem poſſe etiam deponi à Gradu Sacerdotali, putat Paſq. *Tract. de approb. Confeſſ. qu.* 8. *n.* 1446. *ex Capit. Placui, de pœnit. diſt.* 6. necnon aliâ pœnâ arbitrariâ puniri, tradit Rodriq. *tom.* 2. *quæſt. Regul. qu.* 28. *art.* 1. *&* 2. Bellet. *in Diſquiſ. Cler. p.* 2. *tit. de pœn. Cler.* §. 30. *num.* 1. ubi notat, id non eſse delictum pertinens ad Sacrum Inquiſitionis Tribunal.

75 Deducitur decimoquartò; tempore belli, & peſtis, alioque caſu neceſſitatis contingente, debere Ordinarios ad viam inconvenientibus, & ſcru-

ſcrupulis præcludendam, omnes ſuos caſus, omnemque ſuam authoritatem cunctis Confeſsariis à ſe approbatis, præconcedere; inſupèr pro ſe, aliiſque confeſsariis obtinere à S. Sede Apoſtolica facultatem abſolvendi à caſibus, & cenſuris Summo Pontifici reſervatis, ut peccatores id ſcientes, faciliùs reducantur ad pœnitentiam. Quod etiam innuimus in *Theol.Bell. tom.*1 *.lib.*4. *Diſſ.*36. *num.*20.

76 Deducitur ultimò, ut Pœnitens, qui unum tantùm peccatum confitetur, aùt ſolùm in genere dicit ſe eſſe peccatorem, poſſit licitè, & validè abſolvi, talem requiri neceſſitatem, ut, moralitèr loquendo, non ſit poſſibilis alia confeſſio magis determinata: Scimus enim, integritatem materialem confeſſionis eſſe ex natura Sacramenti neceſſariam, quatenùs hoc Sacramentum exercetur per modum judicii; Ex quo ſequitur, non poſſe illam relaxari, niſi fiat moralitèr impoſſibilis. Animadvertendum tamèn eſt, moralem impoſſibilitatem non eſſe ſtrictè accipiendam, ſed cum debita latitudine, dùm agitur de favor Animæ, & de evitando periculo abſque abſolutione moriendi, unde ſat eſt, quòd integritas materialis ſit notabilitèr difficilis. Haberi enim pro impoſſibili, quod eſt tale, probat Textus in *l. Continuus*, §. *Cum quis* 137. *ff. de verb.oblig.* Hinc qui peccavit mortalitèr, & in mente non habet ſpeciem peccati poſt adhibitam moralem diligentiam, tenetur tantùm in genere ſe accuſare, dicendo, fuiſſe à ſe commiſſum peccatum mortale, de quo tamèn memoriam non habet. Nùm ad obtinendam abſolutionem in articulo mortis ſufficiat confeſſio in genere, vide Paſqualig. *de approb. Confeſſ. qu.* 10. *num.*1453. ubi pro parte affirmativa innumeros congerit Doctores, & aſſerit, eorum opinionem eſſe communiſsimam, & tutam in praxi; prætermiſſis Authoribus contrariæ ſententiæ; quos paucos non eſſe, nos minimè latet.

CAPUT V.

FACTI SPECIES.

Confeſsarii cujuſdam Exercitus fuerunt abſolutè approbati ab Ordinario Diœceſis, in qua militabat. Eodem Exercitu ad aliud Territorium tranſlato, ibi bellaturo, Capellanus Major dicti Exercitus prætendit, hiſce Confeſſariis fas eſſe Militum confeſſiones, abſque alia approbatione Ordinarii, novi Territorii audire; ſequens opinionem Doctorum dicentium, Approbatum in una Diœceſi poſse ubique confeſſiones audire. Ordinarius dicti novi Territorii adhærens contrariæ opinioni, aſtruenti, Confeſſarios in ſingulis Diœceſibus à ſingulis Ordinariis fore approbandos, ſe opponens, citat hujuſmodi Confeſsarios ad ſe examini præſentandum pro Confeſſionibus Militum in ſua Diœceſi audiendis. Controvertitur quid juris?

§. I.

Præmittenda, quibus controverſia decidenda diſcutitur, diſtinctè enunciantur.

1 PRÆMITTIMUS primò, tanquam quid incontrovertibile, Confeſſarios cunctos ſivè Seculares, Presbyteros, ſivè Regulares per Epiſcopos, vel eorum Vicarios generales eſſe approbandos, niſi ſint Parochi, Trid. *ſeſſ.* 23. *de reform. cap.* 15. Concil. Mogunt. IV. *cap.* 25. Concil. Mediol. I. *p.* 2. *Tit. Quæ pertinent ad Sac. Pœnit. adminiſtr.* Et ità declaravit Sac. Congregatio Concilii in *Mazarien. facultatis approbandi Confeſſarios*. Propoſito enim dubio, an approbatio Confeſſariorum pro Sacramentalibus Militum confeſſionibus audiendis

diendis pertineat ad Capellanum Regium, vel ad Ordinarium Loci, *Die 22. Martii*, 1687. *Reſpondit, pertinere ad Ordinarium Loci*.

2 Præmittimus ſecundò, Confeſſariis, ut eorum munus validè, & licitè explere valeant, prætèr ſcientiam, & idoneitatem, competere juriſdictionem, vel ordinariam, ſi ſunt Epiſcopi, vel Parochi; vel delegatam ab Epiſcopo, aùt Papa, qui eſt Epiſcopus univerſalis, *Capit. Omnis utriuſque, de pœnit. & remiſſ. Capit. Si Epiſcopus, eod. tit. in 6.* Trid. *Seſſ.* 14. *cap.* 7. aliàs nullam fore abſolutionem, quod habetur ex Trid. ibidem, ubi dicitur -- Quoniam „ igitùr natura, & ratio judicii „ illud expoſcit, ut ſententia in „ ſubditos dumtaxàt feratur, per- „ ſuaſum ſempèr in Eccleſia Dei „ fuit; & veriſſimum eſſe Sy- „ nodus hæc confirmat, nullius „ momenti abſolutionem eam „ eſſe debere, quam Sacerdos in „ eum profert, in quem ordina- „ riam, aùt ſubdelegatam non „ habet juriſdictionem. Et ex Concil. Florentino ſub Eugen. celebrato, §. 4. ubi hæc habentur -- Miniſter hujus Sacra- „ menti eſt Sacerdos habens au- „ thoritatem abſolvendi ordina- „ riam, vel ex commiſſione Superioris. Vide Navar. in *Capit. Placuit, num.* 5. *& ſeq. de pœnit. Diſt.* 6.

3 Præmittimus tertiò, duo à Concilio Trid. *Seſſ.* 23. *cap.* 15. *de reform.* requiri, ut quis ſit idoneus pro audiendis confeſſionibus, videlicèt, judicium idoneitatis, & approbationem factam in virtute hujuſmodi judicii, vel vigore examinis, vel alio modo; & ideò tali judicio non interveniente, approbationem nullam eſſe, uti debito fundamento deſtitutam, probat Tex. in *l. Nam origo, ff. quod vi, aut clam, l. Egi tecum, ff. de excep. rei jud.* & docent Reginal. *lib.* 1. *prax. fori pœnit. num.* 197. Suarez *de pœnit. diſp.* 28. *ſect.* 7. *verſ. Et fortaſſe*, Bonac. *de Sacram. diſp.* 5. *qu.* 7. *punct.* 3. §. 1. *n.* 29. & alii, quos producit, & ſequitur Paſq. *de approbat. Confeſſ. qu.* 9. *n.* 1450. ubi addit, Epiſcopo aliquem approbante ex aliquo humano reſpectu, & illum idoneum non judicante, nullam fore approbationem, & ſic Approbato nefas eſſe audire confeſſiones.

4 Præmittimus quartò, Epiſcopis onus incumbere ſuppeditandi non ſolùm Eccleſiis Cathedralibus, aliiſque Eccleſiis, ſed etiam Exercitibus, in eorum Diœceſibus militantibus, Viros probos, & idoneos pro audiendis confeſſionibus, cæteriſque Sacramentis miniſtrandis: quod habetur ex *Capit. Intèr cætera, de offic. Ordin.*

§. II.

§. II.

Confeſſarios,approbatos ab Ordinario pro militibus in ejus Diœceſi bellantibus,non poſſe confeſsiones eorumdem militum in alieno Territorio degentium, ſivè bellantium , abſque illius Ordinarii approbatione, audire, demonſtratur.

5 SCio, hanc propoſitæ controverſiæ deciſionem, minimè placere Henriq. *lib. 6. ſum. cap. 6. num. 7. & lib. 7. cap. 12. num. 4. in Com. lit. O.* Gomez *in Bull. Cruc. clauſ. 10. num.* 8. Cordub. *in ſum. qu.* 14. *Compend. privileg. Mendicant. v. Abſolutio* , Reginal. *lib. 1. prax. ſor. pœnit. num.* 181. Petro Ledeſma, *de Sacr. pœnit. cap.* 12. *nu.* 7. Coninch. *diſp.* 8. *de Sacram. pœnit. dub.* 7. *n.* 53. *& ſeqq.* ſuum dictum ſic limitanti, nempè, ſuppoſito, quòd non adſit ſpecialis Ordinarii prohibitio, Vega *p. 1. ſum. cap.* 62. *caſu* 41. & aliis, quos refert Molf. in *Sum. p. 1. Tract. 7. de pœnit. cap.* 16. *num.* 22. arbitrantibus, approbationem unius Epiſcopi ſufficere in omni loco, & pro quocunque Pœnitente, ſcilicèt, ſemel approbatum, ſemper, & ubique locorum, & reſpectu quarumcunque perſonarum eſſe approbatum; huic innixis fundamento, quod finis Concilii Trid. *Seſſ.* 23. *cap.* 15. *de reform.* requirentis approbationem Ordinarii, eſt, nè Inhabiles, ſcù ignorantes dirigant aliorum conſcientias, ſivè audiant aliorum confeſſiones; qui ſanè finis cenſetur obtentus eo ipſo, quòd Confeſſarii ſunt ab uno Ordinario approbati.

6 Pace tamèn tantorum Virorum, quos ſummoperè veneror, contrarium conſtantèr ſuſtineo cum Quaranta, *v. Confeſſio, pag. mihi* 195. Molf. *loc. cit.* Paſq. *de approb. Confeſſariorum, quæſt.* 5. *num.* 1404. & aliis; undè ab expoſitâ no-

ſtrâ deciſione nequaquam recedimus.

7 Moveor primò juribus, in *l. fin. ff. de jurid.om. jud.* ubi ſic -
„ Extrà territorium jus dicenti
„ impunè non paretur, idem eſt,
„ & ſi ſupra juriſdictionem ſuam
„ velit jus dicere: & ibi Gloſſ. *v. Non paretur — ſivè dicat, intèr non ſuos ſubditos, ſivè intèr ſuos ſubditos*. Et facit Textus, & quidèm clariùs in *l. Papinianus, ff. de Minoribus*; ubi habetur, ex diverſis non fieri illationem, quando termini ſunt diverſi; quo jure probatur, approbationem unius Epiſcopi non extendi ad aliud Territorium; cum Territoria ſint termini diverſi. Quod quidèm confirmatur Brevi Innocentii X. *in cauſa Augilopolitana juriſdictionis*, in Indiis Occidentalibus novæ Hiſpaniæ, impreſſo Romæ, anno 1648. in quo Pontifex, ut notat Diana *p.10. Tract.14. Reſ. 23. §.Sed noviſſimè*, ad novum dubium reſpondit, *Regulares in una Diœceſi approbatos, nequaquàm poſſe in alia Diœceſi confeſſiones audire ſine approbatione Epiſcopi Diœceſani*. Confirmatur paritèr Conſtitutione Clementis X. *Superna*, quæ eſt ſeptima, *edita anno 1670. §. 4.* ubi Sanctitas Sua dicit — *Ad hæc Religioſos ab Epiſcopo ad confeſſiones Sæcularium in ſua Diœceſi audiendas approbatos, non poſſe in alia Diœceſi eas, abſque Epiſcopi Diœceſani approbatione audire, quamvis pœnitentes ſubditi ſint ejus Epiſcopi, à quo ipſi Religioſi jàm fuerant approbati &c.*

8 Movemur ſecundò rationibus. Diſputant tùm Theologi, tùm Canoniſtæ, nùm Confeſſarii abſolutè approbati ab Ordinario, poſſint ab ejus Succeſſore iterùm examinari; præſertim ſi ſunt Regulares? Utraque opinio, ſcilicèt tàm affirmativa, quàm negativa plures habet Authores, quos producit Paſq. *loc.cit. quæſt. 1. n. 1391. & num. 1392.* Verùm, Sacra Congregatio Concilii ad tollendum Doctorum diſſidia, ità declaravit his verbis, quæ refert idem Paſq. *loc.cit. n.1394.* & Paſſer. *tom. 3. de hom. ſtat. qu. 189. num.971.* *Congregatio Concilii cenſuit, Regulares ad audiendas in Civitate, et Diœceſi Sæcularium confeſſiones, ſemel ab Epiſcopo prævio examine approbatos, iterùm ab eodem Epiſcopo non eſſe iterùm examinandos*. Intelligo, nullâ rationabili causâ adveniente. *Ceterùm, à Succeſſore poſſe utique examinari, juxtà Conſtitutionem felicis record. Sancti Pii V. Datam Romæ, Id. Aug. & Pontificatus illius, anno 6.* & hujuſmodi Conſtitutionem non eſſe revocatam per reductionem privilegiorum Regularium ad ter-

terminos Concilii Trid. notat Quaranta, *v. Confeſſor,pag. mihi* 235. Ex quo liquidò conſtat, Sedem Apoſtolicam nolle Juriſdictionem novi Epiſcopi præjudicium pati per alterius Epiſcopi factum; præſertim, quando diverſum eſt Territorium, ut in caſu noſtro. Cùm igitùr valeat argumentum à fortiori, ut omnes concedunt; & ab identitate rationis, juxtà *l. Illud*, in princ. *ff.ad leg.Aquiliam*, & *l. A Titio*, in princ. *ff. de verbor. obligat.* dicendum eſt, Confeſſario, approbato ab Ordinario in una Diœceſi, obtentæ juriſdictionis exercitium interdici in aliena Diœceſi, abſque illius Ordinarii approbatione: cum nullus Epiſcopus habeat jus dicendi in alieno Territorio, & ſucceſſivè nec approbandi Confeſſarios pro alienis Ovibus: Diximus enim in primo motu, juriſdictiones terminari territorio, & jus dicenti extra territorium impunè non pareri.

9 Prætereà juriſdictio, quæ eſt diſtincta à poteſtate, ſeù clavi potentiæ, quæ accipitur in Ordinatione, ſecundùm opinionem magis communem, & conformiorem Sacris Conciliis, præcipuè Florentino in *Literis* Eugenii, ubi determinatur, Miniſtrum hujus Sacramenti eſſe Sacerdotem, habentem authoritatem abſolvendi aùt ordinariam, aùt delegatam; necnon Tridentino, *Seſſ.* 14. *cap.* 7. datur ad menſuram approbationis. Ergo non poteſt ſe extendere ultrà terminos præſcriptos ab Approbante. Ratio deſumitur à communi doctrina Scribentium in *Rubr. ff. de offic. ejus, cui mandata eſt juriſdictio*; & *in l. Imperium, ff. de juriſd.om. jud.* aſſerente, quòd juriſdictio intrinſecè, & eſſentialitèr eſt in ordine ad ſubditos tantùm, & circumſcribitur territorio; atqui ſubditos Ordinarii dici non poſſe, niſi eos, qui actu ſunt ſubditi ejus, conſideranti patet, & conſequentèr, hos dumtaxàt ſubditos reſpicit illius Ordinarii juriſdictio. Tum quia, ſumus in materia odioſa, in qua ſtricta facienda eſt interpretatio, juxtà alibi adducta.

10 Ulteriùs ſcimus, approbationem, quæ cum non ſit nuda declaratio idoneitatis, ſed declaratio authoritativa, eſſe actum authoritativum, & juriſdictionis. Quis autèm neſciat, actus authoritativos, & juriſdictionis non ſe extendere ultrà limites, ſivè ſphæram authoritatis, & juriſdictionis, atque adeò nec excedere limites Diœceſeos? Ex quo ſequitur, eos extrà ipſam vi carere, niſi rati habeantur, ut contingit in Doctoratu.

11 Accedit Declaratio Sac.Congre-

gregationis Concilii, quam refert Megala, *p.*1. *Inſtit. Confeſſ. lib.*1. *cap.*15. *num.* 2. & etiam Molſ. in *Sum. p.* 1. *Tract.* 7. *cap.*14. *num.* 67. cui propoſito dubio, *nùm Confeſſarius approbatus ab aliquo Ordinario, quàm à Valentino Epiſcopo, cenſeatur approbatus in Valentina Diœceſi*. Reſponſum Sac. Congregationis fuit negativum, videlicèt, Confeſſarium approbatum ab alio Epiſcopo, quàm à Valentino, nullatenùs cenſeri in Diœceſi Valentina approbatum; & quidèm jure, quià dùm Diœceſes ſunt diſtinctæ, & diverſæ, etiam diſtinctæ, & diverſæ debent eſſe approbationes; & conſequentèr approbatus in una Diœceſi; non cenſetur approbatus in altera.

12 Additur praxis, ſivè conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres, *l. Minimè*, *ff. de legib. l. ſi de interpretatione*, *ff. eod. tit.* & quæ parem vim habet cum lege, *l. de quibus*, *ff. de legib.* §. *Ex non ſcripto*, *Inſtit. de jur.nat. gen.Capit.Conſuetudo*, *Diſt.*1. quæque æquipollet veritati, *l.* 1. *ff. de ſervit.* & *aquæ*: praxis, inquam, ſeù conſuetudo, quæ ſervatur, ut notat Paſq. *loc.cit.nu.*1406. præſertìm à Regularibus, qui præ cæteris, cum frequentior illis contingat occaſio, in ſingulis Diœceſibus à ſingulis Ordinariis petunt approbari: ſcientes, approbationem eſſe ſuperadditam de jure novo præſentationi, quæ ſola de jure antiquo quoad Regulares ſufficiebat: & ſicut de jure antiquo requirebatur præſentatio reſpectu cujuſcunque Ordinarii, ità benè deducunt, etiam nunc requiri approbationem cujuſcunque Ordinarii tanquàm ſuperadditam præſentationi.

13 Ad authoritatem Doctorum allegatorum, nobis adverſantium, reſpondemus, loqui contrà veram, & receptam ſententiam, ut advertit Molſ. *loc.cit. cap.*16. *num.*22.

14 Concludendum eſt itàque, Confeſſarios approbatos pro Exercitu, qui eſt in Diœceſi Epiſcopi approbantis, non poſſe ſuum exereere munus, ſeù Militum confeſſiones audire in alieno Territorio, ſivè Diœceſi, abſque illius Ordinarii approbatione, & licentiâ.

15 Non tamèn negamus, conveniens videri, ut Sedes Apoſtolica quandoque, juſtis exiſtentibus cauſis, Delegatum, & ejus Subdelegatos ab obligatione hujuſmodi approbationem, & licentiam ab Ordinariis, tempore expeditionis, petendi, diſpenſet; nam Exercitus tali tempore ſunt quaſi ſemper in motu; & raro in eodem diù permanent loco: undè Confeſſarii Caſtrenſes grave

grave paterentur incommodum, ſi forent obſtricti à quolibet Ordinario præfatam petere approbationem, & licentiam: quod ſanè incommodum juſtiſſima videtur eſſe cauſa Pontificiæ diſpenſationis; quam olim fuiſſe conceſsam pro Exercitibus Regis Galliarum; & poſtmodùm pro Militantibus in Germania ſub vexillis Cæſareæ Majeſtatis Ferdinandi Rom. Regis, & Imperatoris Electi, conſtat ex quodam Decreto fel. rec. Innoc. X. in Congregatione S. Officii emanato, *die* 14. *Decembris*, *anno* 1647. quo Archiepiſcopo Capuen. Nuntio Apoſtolico in Germania, poteſtas conceditur communicandi facultates Superiori Societatis Jeſu, & Religioſis ei ſubditis, ac aliis Sacerdotibus idoneis, ſivè Sæcularibus, ſivè Regularibus, in ſpiritualibus inſervientibus, ad tempus beneviſum præfato Nuntio, dummodò non ultra ſeptennium; eaſque ſuſpendendi, vel revocandi totiès, quotiès opus fuerit, &c.

16 Operæ pretium puto admonere, in noſtra deciſione, ſeù concluſione minimè comprehendi caſum, in quo Confeſſarii eſſent à Summo Pontifice ubiq;Locorum approbati:Tunc enim aliam approbationem nequaquàm requiri, ratio evincit; Siquidèm, Summus Pontifex eſt Epiſcopus univerſalis, habetque pro ſua Diœceſi, ſivè Territorio totum terrarum Orbem, ut oſtendimus in *Rom. Pontif. Propug. Art.* 35. §. 3. *num.* 13. & ideò Confeſſarii Ordinis Clericorum Regularium noſtræ Religionis, aliorumque Ordinum, qui eiſdem gaudent privilegiis, in Urbe approbati, prævio examine, ab EminentiſſimoVicario Summi Pontificis ad audiendas Chriſtifidelium confeſſiones, volentes hujuſmodi munus charitatis extra Urbem exercere, non tenentur, imò non debent Locorum Ordinariorum examini ſe exponere, ſed ſufficere tantùm licentias Romæ obtentas eiſdem Ordinariis exhibere, ab ipſiſque licentiam petere confeſſiones audiendi, habetur ex conceſſione Sixti V. quam refert de verbo ad verbum Stephanus Quaranta, Theologus noſtræ Congregationis in *ſua Summa Bullarii*, *ſub tit. Confeſſor*, §. *Decet Romanum Pontificem*; *ſub data Nonarum Septembris*, *anno* 1586. ubi paritèr refert Declarationem Sac. Congregationis Concilii pro obſervantia ejuſdem Conceſſionis, quæ memoratur per P. D. Alexandrum Peregrinum noſtri Ordinis in *Compend. noſtrorum Privilegiorum*, *tit. Abſolutio quoad Sæculares*, §. 9. & per

P. D.

P. D. Andream Molfeſium paritèr ex noſtra Religione, *loc. cit. cap.* 16. *num.* 25. *in fin.* Hæc dicta ſint obitèr in gratiam Confeſſariorum.

§. III.

Deductorum ex traditis ſub hoc Capite diſtincta exhibitio.

17 DEducitur primò, confeſſiones Militum ſcientèr factas Confeſſariis non approbatis pro Exercitu in alieno territorio bellante, ſeù degente, eſſe nullas, atque ſacrilegas, & conſequentèr iterandas: atque ſi hi Milites fuere à reſervatis abſoluti, eorumdem abſolutionem fore iterùm petendam ab Habente juriſdictionem ſivè ordinariam, ſivè delegatam ab illis abſolvendi.

18 Deducitur ſecundò, Epiſcopos, qui non ſunt Cardinales, non poſſe ſibi extrà Diœceſim eligere Confeſſarium non approbatum à proprio Ordinario: Et hæc deductio roboratur authoritate innumerabilium Doctorum, & quidèm magnæ exiſtimationis, & intèr eos, Suarez 3. *p. tom.* 4. *diſp.* 28. *ſec.* 4. *num.* 8. ubi teſtatur, ità haberi in declaratione Cardinalium 1158. & 1160. Graff. *tom.* 2. *lib.* 5. *conſil.* 4. *de pœnit. & remiſſ. num.* 3. Azor. *Inſtit. moral. p.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *qu.* 16. Molf. *in Sum. tom.* 1. *Tract.* 7. *cap.* 25. *num.* 34. Diana *p.* 3. *Tract.* 2. *Reſol.* 3. *verſ. Secunda Sententia*, Barboſ. *tom.* 2. *Collect. lib.* 5. *tit.* 38. *cap.* 16. *num.* 4. *&c.* roboratur paritèr ratione; nàm quamvis Concilium Trid. *Seſſ.* 23. *cap.* 15. *de reform.* non deroget privilegio ex *Capit. Ne pro dilatione, de pœnit. & remiſſ.* cum ſit privilegium in corpore juris inſertum, cui per clauſulam generalem, qualis eſt illa expoſita à Concilio Trid. *Non obſtantibus privilegiis, &c.* non derogatur, ut eſt regula Canoniſtarum, quam producit Felin. in *Capit.* 1. *num.* 12. *& in Capit. Nonnulli, num.* 9. *&* 26. *de Reſcript.* Nihilominùs, quia in hoc privilegio conceditur facultas eligendi Sacerdotem, non qualemcunque, ſed idoneum; & ut ſit idoneus, Synodus Trid. vult, & requirit tanquàm conditionem neceſſariam, quod ſit à pro-

proprio Ordinario approbatus: Hinc ſequitur, Epiſcopum, qui non eſt Cardinalatus dignitate inſignitus, non poſſe ſibi eligere Confeſsarium extrà propriam Diœceſim, niſi approbatum ab Ordinario Loci, ubi moratur, aùt per quem tranſit. Et à fortiori idem eſse dicendum de Prælato inferiore Epiſcopis, qui juriſdictionem non habet Epiſcopalem, notat Suarez *loc.cit.* ſubdens, Summum Pontificem Gregorium XIII. de hac re conſultum, reſpondiſse — *In re dubia tutiùs eſt adhærere Decreto Concilii Tridentini.*

19 Deducitur tertiò, Epiſcopum injuſtè agere, & non levitèr peccare reprobando ex paſsione, vel aliquo reſpectu humano, quos evidentèr cognoſcit, & abſolutè judicat idoneos ratione morum, & doctrinæ, addito præſertim experimento in Confeſsionibus excipiendis; aùt eos approbando eodem modo, quo approbat minùs idoneos, videlicèt ad certum, tempus determinatum; ipſis enim gravem injuriam, necnon notabile gravamem infert; cum habeant jus ad obtinendam approbationem, juxtà judicium formatum de idoneitate; quod ſanè judicium Epiſcopus tenetur ſequi, aliàs injuſtè judicat; & ſic idoneos reprobando, injuſtitiâ juſtè notatur. Id quoque notat Pa. Jordan. Epiſcop. Tragurien. *tom.* 1. *variar. Elucubrat. lib.*3. *tit.* 4. *de pœnit. n.*122.

20 Deducitur quartò. Idoneum, ſivè habilem reprobatum in examine poſse appellare à gravamine Examinatorum, & petere iterùm examinari; cum ex novo examine per Viros non ſuſpectos poſſit optimè conſtare, an ſit paſſus gravamen, juxtà ea, quæ notantur à Sac. Rota *Deciſ.*8. *de probat. in Novis*, *&* *Deciſ.* 18 *num.* 4. *de Conceſs. præbendar.* paritèr in *Novis*, & in *Calaguritana de Munilla, die* 15. *Jun* 1612. *coram Coccin.* & ſucceſſivè, eum ſe novo offerentem examini, eſſe admittendum; quod etiam tradit Paſq. *de approb. Confeſs. qu.*3. *num.*1400. ubi ſubdit, id ſimilitèr locum habere, quando Reprobatus ex timore, aùt ex alia animi perturbatione, in reſponſionibus ad Examinatorum interrogationes defeciſſet.

21 Deducitur quintò incidentèr pro contingentiis, idoneitati, quam Concilium Trid. exigit in Approbandis ad audiendas confeſſiones, adverſari abjurationem de vehementi, & conſequentèr, eum, qui abjuravit de vehemeti, non poſſe ampliùs admitti ad exercendum munus Confeſſarii; cum cenſeatur gravitèr infamatus, ut

ut per Tex. in *Capit. Ad Abolendum*; ibi Scribentes, *de hæret.* & poſt abjurationem, remanet infamia facti, cum fuerit condemnatus ex cauſa criminis publici, ex quo oritur infamia, *Capit. Infamiæ*, §. *Porrò*, *cauſa 3. qu. 6.* Crimen vero hæreſis eſſe graviſſimum, eo cæteris pejus, quo latiùs ſe diffundit, acutiùs penetrat, tenaciùs adhæret, difficiliùs curatur, & ſic ſubjacere publicæ condemnationi, probat Simanc. *de Catholic. Inſtit. Tit. 30. de hæreſi*, *num. 7.* & facit Tex. in *Capit. Jus publicum*, *diſt. 1.* Præterquamquod, hujuſmodi abjurationem vim obtinere publicæ pœnitentiæ, ſenſus eſt communis omnium Scribentium in *Capit. Accuſatus*, §. 1. *de hæret. in 6.* quæ inducit irregularitatem, & ſucceſſivè inhabilitatem ad audiendas confeſſiones Chriſtifidelium, *Capit. Ex pœnitentibus*, *Capit. Illud*, & *Capit. Placuit*, *Diſt. 52.* Quòd irregularitas contrahatur ex publica pœnitentia, quæ imponitur pro crimine, habetur in d. *Capit. Placuit*, & docet Arch. in *Capit. In capite*, *Diſt. 30.* Alex. *De Nævo*, *conſ. 69. num. 6.* Alciat. *conſ. 17.* Accedit Declaratio S. Officii, relata à Locat. in fin. *Oper. Judicial.* quod qui abjurarunt de vehementi non poſſunt admitti ad audiendas confeſſiones Sæcularium; & id paritèr tradit Riccius *p. 2. deciſ. 218.* Alphonſ. de Leone, *de Offic. Confeſſ. p. 2. reſol. 1. num. 211.*

22 Deducitur ſextò, Confeſſario approbato ab Ordinario ad audiendas confeſſiones Virorum tantùm, nullatenùs competere vigore talis approbationis facultatem audiendi confeſsiones mulierum; & ità etiam docet Guttier. in ſuis *Canonicis quæſt. lib. 1. cap. 27. num. 18.* & *ſeqq.* Rodriq. *in Sum. p. 1. cap. 60.* Molſ. *loc. cit. cap. 14. num. 85.* & alii, ſubdentes, id patere ex terminis; inferuntque, Confeſſarium peccare mortalitèr ſi mulierum confeſsiones excipiat, & nullas eſſe hujuſmodi confeſsiones factas à mulieribus id ſcientibus.

23 Deducitur ſeptimò, nulli Sacerdotum ſivè Sæcularium, ſivè Regularium, ante debitam approbationem, competere juriſdictionem actualem ad excipiendas confeſsiones Sacramentales extrà articulum mortis; eſtò ei competat ratione ordinis juriſdictio habitualis, ex Textu in *Clement. Attendentes*, *de ſtatu Regular.* & tenet Balb. *conſ. 23. num. 6.* Alban. *conſ. 90. num. 4.* Merend. *conſ. 63. num. 5.* & *9.* & ſucceſsivè, gravitèr delinquere, ſi eam, quam non habet, exer-

exerceat juriſdictionem, & incurrere pœnam, quam puto eſſe deſumendam ex Tex. in *Capit. Placuit, de pœnit. diſt. 6.* ubi cautum eſt, totalitèr Delinquentes eſse ſuſpendendos, ſaltèm à poteſtate, gradu, & juriſdictione habituali, quam in Sacerdotio recepit, cum perpetua inhabilitate, ad recipiendam actualem juriſdictionem, ſeù ad confeſsiones audiendas, ut ſuperiùs innuimus. Hujuſmodi pœnæ Rodriq. *qu. 26. lib. 2. art. 1.* putat aliam eſſe addendam. Vide illum.

24 Deducitur octavò obitèr, Sacerdotio minimè Initiatum, ſi audeat confeſsiones Sacramentales audire, etiam cum facultate Ordinarii, fraudulentèr obtentâ, eſſe Judicibus S. Officii, vel Locorum Ordinariis denunciandum, & ab eis tanquàm miſericordiâ indignum eſse à foro Eccleſiaſtico abiiciendum, & præmiſsâ degradatione ab Ordinibus Sacris, ſi quos haberet, fore Curiæ Sæculari tradendum: quemadmodùm non Promotum ad Sacrum Presbyteratus Ordinem, ſi auderet Miſsam celebrare, decrevit Clem. VIII. in ſuâ Conſtit. editâ *ſub die 1. Decembris, anno 1602.* quæ incipit: *Et ſi aliàs, fel. record.* prout etiam priùs ſtatuerat Paulus IV. *anno* 1557. *die 20. Maii, & anno* 1559. *die 17. Febr.* Et poſteà Urbanus VIII. s. m. in ſuâ Bullâ, quæ incipit -- *Apoſtolatus Officium, editâ anno 1627.* ampliavit Conſtitutionem Clem. VIII. contra non Promotos ad Presbyterâtum Sacramentales confeſsiones audientes, aùt Miſsam celebrantes, etiam minores viginti quinque annis; dummodò in ipſis vigeſimus ætatis annus fuerit completus.

25 Deducitur nonò, approbationem Confeſsariorum pro audiendis confeſsionibus eſse intelligendam relativè ad Sæculares, non autèm ad Regulares: nàm Concilium Trid. *Seſs. 23. cap. 15.* à nobis allegatum, ſtatuens, eſse neceſsariam approbationem Ordinariorum, expreſsè loquitur de confeſsionibus Sæcularium; & quoad confeſsiones Regularium nihil innovavit: ex quo infertur, ſtandum eſse juri communi; ut tradunt communitèr Scribenets, præcipuè Navar. in *Manual. cap. 4. n. 7.* Vaſq. *de pœnit. qu. 93. art. 3. dub. 3. num. 5.* noſter Molſ. in *Sum. p. 1. Tract. 7. cap. 14.* Suarez *de pœnit. diſp. 28. ſect. 1. num. 4.* & alii plures: & ratio videtur eſse, quia Regulares non pertinent ad Ordinariorum curam; undè non pertinet ad ipſos Ordinarios Miniſtros recognoſcere, à quibus

Sacramentum Pœnitentiæ recipiunt. Secùs verò Sæculares, qui ſunt Ordinariorum regimini, ſivè curæ commiſſi; de quibus Ordinarii ſunt rationem reddituri; & ideò debent Miniſtros, quos habent Coadjutores in paſcendis propriis Ovibus, recognoſcere.

26 Deducitur decimò, Confeſſarios abſolutè, & ſimplicitèr approbatos non debere repugnare mandato Succeſſoris Epiſcopi, à quo fuerunt approbati, volentis illos examinare, eſtò ſint Regulares. Idemque docent Sà, *v. Confeſſio, num.*7. Reginal. *lib.*1. *prax. for. pœnit. cap.*16. *num.* 201. Coninch. *de Sacram. diſp.*8. *dub.*7. *num.*57. Ugolin. *de poteſt. Epiſc. cap.*20. *num.*3. Quaranta *in Sum. Bullar. v. Confeſſor*, & alii plures, quorum fundamentum eſt, quia Succeſſor Ordinarii defuncti, vel ad aliam Eccleſiam translati, vocando Regulares ad examen non intendit revocare approbationem, ſed tantùm recognoſcere, an fuerit juſtè data. Nec eſt ambigendum, poſſe Succeſſorem recognoſcere approbationem, cum ſit Paſtor Ovium ſuæ Diœceſeos, de quibus tenetur reddere rationem. Propterea ratione ſui muneris ei competit jus recognoſcendi idoneitatem Miniſtrorum, quos habet Adjutores in exercitio ſui officii Paſtoralis, ſeù in paſcendis Ovibus ſibi commiſſis. Quidquid dicat Sotus in 4. *diſt.* 18. *quæſt.*4. *art.*3. Ledeſm. in *Sum. p.*1. *cap.*13. *poſt dub.*10. Henriq. *lib.* 6. *Sum. num.* 6. Vaſq. *de pœnit. qu.* 93. *art.* 3. *dub.* 5. & plurimi alii, aſſerentes, approbationem Regularium in ordine ad Confeſſiones eſſe perpetuam, & irrevocabilem, loquendo de approbatione formalitèr ſumptâ, ſeù quatenùs approbatio eſt, & quâ quis approbatur ſimplicitèr, & abſolutè, huic innixi fundamento, quòd approbatio non eſt aliud, quàm declaratio idoneitatis fundata in judicio de idoneitate; ſubdentes: id deſumi ex Concilio Trid. *Seſſ.* 23. *cap.*15. *de reform.* illis verbis -- Niſi
» ab Epiſcopis per examen, ſi
» illis videbitur eſſe neceſſarium;
» aùt aliàs idoneus judicetur, &
» approbationem, quæ gratis de-
» tur, obtineat.

27 Deducitur undecimò, poſſe Epiſcopum rursùm examinare Confeſſarios regulares à ſuo Vicario Generali examine approbatos ad confeſſiones Sæcularium audiendas; & ità decrevit Sac. Congregatio Concilii; cujus Decretum refert Paſſer. *tom.* 3. *de hom. ſtat. qu.* 189. *de profeſſ. Art.* 10. *Inſp.*10. *num.*971.

28 Deducitur duodecimò, licere Epiſcopo, qui Regulares

ad

ad confeſſiones perſonarum Sæcularium audiendas approbavit, eoſdem ex novâ juſtâ cauſâ ab iiſdem confeſſionibus audiendis ſuſpendere, aùt licentias illis conceſſas revocare; non obſtantibus quibuſcunque privilegiis in favórem quarumcumque perſonarum, atque Ordinum. Et ità Sacra Congregatio negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, cenſuit; cujus Decretum refert Paſſer. *loc. prox. cit.* ubi innuit, qualis hujuſmodi cauſa eſſe debeat: ibidemque producit ejuſdem Sacræ Congregationis Reſponſum ad Dubium -- An Regulares approbati prævio examine ab Ordinario ad tempus ad audiendas confeſſiones, poſſint, elapſo tempore, tanquàm ſemel approbati, deindè, invito Ordinario, audire confeſſiones, nempe -- cenſuit non poſſe. Ibidem aliud producit Decretum ejuſdem Sac. Congregationis Concilii ad dubium: An Epiſcopus volens ex nova cauſa Regulares ſemel ad Confeſſiones audiendas approbatos examinare, teneatur eam patefacere Superioribus regularibus; & an de hujuſmodi cauſa conſtare debeat, vel ſit credendum Epiſcopo, atteſtanti, hujuſmodi cauſam ſubeſſe: ad quod Sacra Congregatio reſpondens -- cenſuit poſſe Epi-
„ ſcopum ex nova cauſa, etiamſi
„ de ea non conſtet in Actis,
„ rursùm examinare, ac minùs
„ repertum idoneum reprobare
„ regularem, ſemèl ad audiendas
„ confeſſiones approbatum; id-
„ que ejus arbitrio, quod tamen
„ eſſe debebit moderatum, atque
„ diſcretum; itaùt eo non abu-
„ tatur. Verùm ubi hoc facere
„ voluerit, debere id Superiori-
„ bus regularibus ſignificare; non
„ quidèm cum individuâ expreſ-
„ ſione cauſæ; ſed tantùm expri-
„ mendo, ſe velle ob novam,
„ quæ ſupervenerit, cauſam, ad
„ hujuſmodi examen procedere.

CAPUT. VI.

FACTI SPECIES.

Tempore belli nonnulla ſequuta ſunt Militum, in Præſidiis degentium, Matrimonia, aſſiſtente Capellano Majori Exercitus, vigore generalis conceſſionis in Brevi Pontificio ei tributæ, adminiſtrandi videlicèt Militibus Sacramenta. Quidam ex dictis Contrahentibus inſtat coram Ordinario pro nullitate ſui Matrimonii, vel ſaltèm divortii, adducens cauſam, nempè defuiſſe in Capellano Majori licentiam ſpecialem, & expreſſam ſuo Matrimonio aſſiſtendi, & generalem conceſſionem Brevis Pontificii haud fuiſſe ſufficientem pro validitate hujuſmodi Matrimonii. Controvertitur quid juris?

§. I.

Nonnulla, ſcitu neceſſaria, breviter diſcuſsa, ad propoſitæ controverſiæ reſolutionem tendentia, præmittuntur.

1 PRÆMITTIMUS igitùr primò, duplicem eſſe licentiam, tacitam videlicèt, & ſpecialem, atque expreſſam; tacitam inquam, quæ per ratihabitionem habetur, undè dicitur ratihabitio, quæ poteſt eſſe tàm de futuro, quàm de præterito, & præſenti. De futuro quidèm, quando ſcilicèt creditur, Ordinarium, cum ſciverit, ratum Sacramentum habiturum. De præſenti verò, vel præterito, quando videlicèt ante miniſtrationem Sacramenti, vel tempore, quo miniſtratur, adeſt conſenſus tacitus, & interpretativus Ordinarii

narii

narii, ſeù Parochi, aliquo ſigno externo manifeſtatus; ut, v. g. ſi in præſentia Ordinarii contrahat matrimonium, & Ordinarius videt, & tacet; cum facilè impedire poſſet, ità communitèr Theologi, & Canoniſtæ: Expreſſam verò, & ſpecialem, quando ex vi verborum continetur, ut docet Flamin. *de reſignat.Benef.lib.6. quæſt.2. num.*55. Joſeph Seſſe Aragon. *Deciſ.*65. *num.*29. & *Deciſ.* 113. *num.* 170. & alii, quos producit, & ſequitur Barboſ. *Tract. var. Axi.* 89. *num.*8. ideòque nihil refert, an aliquid expreſſis, vel æquipollentibus verbis exprimatur, ubi verba illud ſignificant, *l. Qui totam, ff. ad Trebell. l. fin. Cod. ad leg. Falcid.* & ità docent Pariſ. *Conſil.*21. *num.* 35. *num.*3. Menoch. *conſ.* 374. *num.* 4. & alii. Hinc expreſſum dicimus non ſolùm id, quod in ſpecie exprimitur, & manifeſtis verbis declaratur, v. g. Do tibi licentiam aſſiſtendi matrimonio, ſed etiam id, quod licèt ſpecificè non exprimatur, at ſub generali verborum ſignificatione comprehenditur; ſic Gloſſ. *l. Lucius, verb. Non ad matrim. ff. de vulg. & l. Precibus, Cod. de impuber,* Menoch. *de præſumption. lib.* 4. *Præſumpt.* 34. *num.* 32. Sanchez *de Matrim. lib.*3. *diſp.*35. *num.*2. ubi alios refert. Vocamus paritèr expreſſum, quod ex natura verborum inducitur, Bart. in *l. fidejuſſor, §. meminiſſe, ff. de legat.*1. Ruin. *conſ.* 148. *ſub num.* 6. *vol.* 3. Pariſ. *conſ.*97. *num.* 107. *vol.* 1. cum aliis.

2 Præmittimus ſecundò, licentiam ſpecialem poſſe duplicitèr ſumi, 1. ut diſtinguitur contrà generalem; & tunc intelligimus licentiam ſpecialem adeſſe aſſiſtendi matrimonio, quando ſpecificè exprimitur matrimonium: 2. quando ſpecialis ſumitur pro expreſſa; & tunc noſcimus, licentiam eſſe ſpecialem aſſiſtendi matrimonio, quando, licèt illud non exprimatur in ſpecie, comprehenditur tamèn ſub generali verborum ſignificatione; ut puta, ſi detur alicui licentia ad omnia exercendum, ad curam Animarum pertinentia.

3 Præmittimus tertiò, appellatione Sacramentorum, quæ à Parochis conferuntur, venire Viaticum, Oleum Sanctum, Pœnitentiam, & Matrimonium. An hæc Sacramenta poſſint à Capellano Majori Exercitus, vel ejus Subdelegatis miniſtrari; procedendo generalitèr in caſibus, in quibus non adeſt Breve Pontificium, reſpondet Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus D. Vincentius Petra, Archiep. Damaſcenus, Sac. Congr. Concilii Secretarius, in ſuis ubique

ubique laudatis Commentariis ad *Conſtitutiones Apoſtolicas*, *tom.2. ad Conſtit.XII. Innoc.III. ſect.1. num.* 13. approbationem Confeſſariorum pro exercitu, & adminiſtrationem aliorum Sacramentorum ſpectare ad Ordinarios; & quatenùs adſit Breve, fore inſpiciendùm, an fuerit perſonale conceſſum alicui Regi, vel limitatum pro aliquo Regno, cùm nequeat extendi, ut patet ex dubio propoſito in Sac. Congr. Concilii, in una Mazarienſ. facultatis approbandi Confeſſarios: An approbatio Confeſſariorum pro Sacramentalibus Militum Confeſſionibus audiendis pertineat ad Capellanum Regium, vel ad Ordinarium Loci? *Die* 22. *Martii* 1687. Sac. Congr. reſpondit, pertinere ad Ordinarium Loci, quia verè aderat Breve reſpectu Regis Catholici, ad Regna extra Hiſpaniam minimè extendibile; aliiſque exiſtentibus circumſtantiis, quibus indultum Apoſtolicum extendibile non apparebat.

4 His præmiſsis; ad controverſiam propoſitam in facti ſpecie circa matrimonium contractum cum aſsiſtentia Capellani Majoris Exercitus, vigore generalis Conceſsionis, videtur reſpondendum cum Card. de Luca *de Matrim. Diſc.* 4. *num.* 14. citante pro ſe Fagnan. in *Capit. Quod nobis*, *de clandeſt. deſponſat. num.* 27. Barboſ. *de Epiſc. alleg.* 32. *num.* 127. & alios, eſſe validum ex diſpoſitione Brevium Pontificiorum, quibus ampla facultas Capellano Majori conceditur per ſe, vel alium, vel alios, omnem, & quamcunque juriſdictionem Eccleſiaſticam in eos, qui ibi, nempè in exercitu pro Sacramentis Eccleſiaſticis Militibus miniſtrandis reperiuntur, exercendi: ex quibus verbis conſtat, Capellanum Majorem Exercitus ſubrogari in locum Ordinariorum, & ſucceſsivè aſſumere omnimodam naturam ejus, cui ſubrogatur, juxtà Tex. in *l. Si eum*, §. *Qui injuriarum*, ubi Bart. Bald. Angel. & alii, *ff. Si quis caut.* & docet Gratian. *Diſcept.* 624. *num.* 2. & *ſeqq.* ubi *num.* 10. id ampliat, etiam in ſubrogatione tacitâ; & *Diſcept.* 706. *num.* 67. & *Diſcept.* 719. *num.* 9. & 10. etiam in materia ſtricta. Et hanc regulam procedere, quando is, qui ſubrogatur, æqualis eſt conditionibus, moribus, & ſcientiâ cum eo, cui ſubrogatus eſt, tradit Menoch. *Conſ.* 784. *num.* 12. quem producit Barboſ. *de axiomatib. jur. Axiom.* 213. ubi de hac materia prolixè agit.

5 Prætereà, quia regularitèr diſpoſitionem, & conceſsionem generalem eſſe generalitèr in-

intelligendas, probat Tex. in *Capit. Si Romanorum, Dict. 29. & l. De pretio, ff. de Publiciana, in rem actio.* & ideò illam licentiam generalem exercendi in Exercitu curam Animarum, ſeù adminiſtrandi Sacramenta Militibus, eſſe intelligendam generalitèr, & includere cum aliis Sacramentis, etiam matrimonium, docet Navar. *lib. 4. Conſil.* in prima Edit. *tit. de ſponſal. conſ. 27.* per totum, *in 2. tit. de Clandeſt. deſponſ.* tot. conſil. 13. Rota *in Noviſſimis*, dicens ſic decidiſſe Cardinales *Deciſ. 750. num. 2.* cum aliis, quos refert Sanchez *loc. cit. num. 7.*

6 Fateor, hanc opinionem ſpeculativè conſideratam, aliquam oſtendere probabilitatem. Verùm, quia, ſi ad praxim reducatur, plura pareret inconvenientia, conſcientiarum turbativa, & Curiæ Romanæ inquietativa; ideò contrariam, quæ tutior, & probabilior tùm ſpeculativè, tùm practicè videtur, arbitror eſſe abſolutè ſuſtinendam. Sentio igitùr ad validitatem matrimonii nequaquàm ſufficere illam conceſſionem generalem in Brevi Apoſtolico adminiſtrandi Sacramenta Militibus, ſed requiri vel verba univerſalia, nempè, dictionem *omnia* Sacramenta, vel omnia jura Parochialia; ut tradunt Gonzalez *Capit. Quod ſupèr, de conſanguinitate, & affin.* Perez *de Matrim. Diſp. 41. ſect. 1. num. 8. verſ. Undè colligo*, Pontius, *eod. tit. lib. 5. cap. 29. §. 1.* ubi refert Declarationem Sac. Cong. Concilii requirentis, vel Commiſsionem generalem adminiſtrandi omnia Sacramenta, vel licentiam ſpecialem; & faciunt aſſerta Sac. Rotæ, *Deciſ. 308. num. 8. coram Dunozet. ſeniore*: & tenet noviſsimè Illuſtriſsimus, & Reverendiſsimus Petra *loc. cit. ſub num. 14.*

7 Moveor primò juribus in *l. Nonnunquam, ff. de condit. & demonſtrat. l. Expreſſa nocent*, ubi Dec. *num. 5. ff. de reg. jur. l. Precibus, Cod. de impub.* ubi habetur, expreſſum eſſe magis attendendum, cum habeat majorem vim, quàm tacitum, & *l. Julianus, & l. Teſtatorem* in princ. *ff. de leg. 3.* necnon *l. hoc articulo, ff. de hæred. inſtituen.* & aliis, ubi colligitur, dictionem *omnia* eſſe univerſalem, & omnia comprehendere, idemque operari, ac ſi de ſingulis eſſet facta ſpecialis expreſſio. Deficiente igitùr in conceſſione Apoſtolicâ, Sacramenta Militibus miniſtranda concernente, hujuſmodi dictione, dicendum eſt, talem Conceſſionem ea tantùm Sacramenta comprehendere, quæ neceſſaria ſunt pro Animarum ſalute, vel in articulo mortis, vel in

vita,

vita, & ſecundum chriſtianam pietatem recipienda, pro quibus ſufficit in Brevi Apoſtolico adeſſe eorum mentionem, ut valeant miniſtrari. Facit etiam Textus in *l. Cum quidem, ff. de liber. & poſth. & in Capit. Renovantes, diſt. 22. & cap. Odia, de reg. jur. in 6.* ubi habetur, materiam eſſe reſtrigendam, quando eſt odioſa. Quis neſciat, materiam, de qua agitur, odioſam eſſe Ordinariis, ad quos ſpectat Sacramentorum adminiſtratio? Undè dùm Conceſſio Pontificis loquitur de Sacramentis Militibus miniſtrandis, reſtringenda eſt ad Sacramenta neceſſaria pro ſalute Animarum, non amplianda ad Matrimonium, eò quòd non ſit tantæ neceſſitatis.

8 Moveor ſecundò rationibus in jure fundatis. Communis eſt Doctorum ſenſus, & habetur ex *Clemen. Dudum*, §. *Verum ne Parochiales*, *de Sepult.* & Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 13. *de reform.* licentiam Parochi, ut alienus Sacerdos interſit matrimonio, debere neceſſariò præcedere, ut validum ſit, quod probat Menoch. *conſ.* 188. *n.* 7. Salzedo, *pract. cap.* 73. *verſ.* 13. cum aliis: & ratio ſuadet, quia quotiès ad actus valorem deſideratur licentia, debet ea neceſſariò præcedere, *Auth. Licentia*, *Cod. de Epiſc. & Cler. l. Si quis mihi bona*, §. *Juſsum*, *de acqu. hæred.* & debet eſſe expreſſa, & ſpecialis, non tacita ex ratihabitione de futuro, quod probat Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. diſp.* 33. *num.* 17. ubi dicit, hanc concluſionem eſſe certiſſimam. Ergo à fortiori, vel ſaltèm ob identitatem rationis, ut Capellanus Exercitus poſſit aſſiſtere Militum matrimonio, ad ejus validitatem non ſufficit rathihabitio de futuro, ſed requiritur vel commiſsio generalis adminiſtrandi omnia Sacramenta, vel licentia expreſſa, & ſpecialis; eſtò quòd in caſu Parochi ſufficiat licentia tacita, quæ habetur ex ratihabitione de præſenti, ut alienus Sacerdos poſſit intereſſe matrimonio, ut quando alienus Sacerdos, vidente, & ſciente, ac tacenti Ordinario, aùt Parocho, potentique contradicere, aſſiſtit; quod ſanè præſumi non poteſt de Summo Pontifice, indultum quoad Sacramentorum adminiſtrationem concedente, ut conſideranti patet.

9 Tum quia, poteſtatem delegatam non eſſe extendendam de caſu expreſſo ad non expreſſum, colligitur ex *Capit. P. & G. de offic. deleg.* in fine, ibi: *cum hujuſmodi delegata juriſdictio ad alias perſonas nequeat prorogari*; nam poteſtas delegata cum deroget ordinariæ, odioſa eſt, ità docentibus Gloſſ. in *Cap.* 1. *v. Proceſſus*, *de Reſcrip.*

in

in 6. Angel. v. Delegatus, nu. 5. Tabien. *v. Delegare, qu.* 4. & aliis. Ergò cum licentia Brevis Pontificii Sacramenta in Exercitu miniſtrandi, ſit poteſtas delegata, non eſt extendenda ad aliud Sacramentum, nempè ad Matrimonium; quod eſt caſus non expreſſus. Siquidèm licentia ſpecialis, ideſt expreſſa intelligitur in hoc ſenſu, quòd ſaltèm ſub verbis generalibus licentiæ comprehendatur manifeſtè matrimonium; & matrimonium minimè compiehendi in Brevi Apoſtolico, ubi fit mentio de Sacramentis, ſuperiùs probavimus, & infrà ex dicendis patebit.

10 Præterea, in fundamento controverſiæ oſtendi, Summum Pontificem, Concilio Tridentino inhærentem, ſemper ſatagere juriſdictionem Ordinariorum defendere, & illæſam ſervare; hinc conceſſiones Sedis Apoſtolicæ, ſivè Summi Pontificis cenſeri debere factas cum minori præjudicio poſſibili Ordinariorum, alibi probavi adducens Textum in *Capit. Cum venerabilis, verſ. Qui igitùr, de Relig. dom.* & tenet Anchar. in *Capit. Poſtulaſti, num. 45. verſ. Quidquid, de for. compet.* Rota *deciſ.* 321. *num. 5. coram Burato, & deciſ. 340. num. 9. coram Priolo*; & in terminis conceſſionis, ſivè licentiæ adminiſtrandi Sacramenta, fore intelligendum de neceſſatiis, ut minùs præjudicetur Ordinariis, qui ſunt Sacramentorum Miniſtratores, tradit Rota *Deciſ. 643. in fine, par. 1. div. & deciſ. 308. coram Dunozet. ſen.* Ergo cum ex hoc principio ſit præſumendum, Summum Pontificem voluiſſe in ſua Conceſſione minùs poſſibile præjudicium inferre Ordinariis, concludendum eſt, voluiſſe à ſuo Indulto, Sacramentorum adminiſtrationem concernente, matrimonium excludere.

11 Demùm, Regula eſt communitèr excepta, & probat Textus in *l. Si fuerit, §. ult. ff. de reb. dub. Capit. Juvenis, de Sponſal. Capit. Ad audientiam, de homicid.* & docet Navar. in *Man. cap. 27. num.* 152. cum aliis, quos producit, & ſequitur Barboſ. *de axiomat. jur. freq. Axiom.* 78. in dubiis tutiorem partem eſſe eligendam, præcipuè quando agitur de ſalute Animarum, de validitate contractuum. Certum eſt autem, quòd in caſu, de quo loquimur, ſi non adeſt certitudo, ſaltèm dubium adeſt, cum voluntas Papæ, quæ debet eſſe clara, & perſpicua, ſit ambigua, & obſcura, ut ex traditis conſtat, & conſideranti patet. Eſtò igitùr ſententia nobis contraria aliquem haberet ſpeculativæ probabilitatis gradum; nihilominùs

minùs dum ſumus in dubiis, & obſcuris, in quibus inſpici ſolet, quod eſt veriſimilius, juxtà *l. in obſcuris*, *ff. de reg. jur.* atque Scribentium doctrinam, Roman. *conſ.* 355. *num.* 5. Card. Tuſch. *tom.* 5. *lit.O. concluſ.* 55. *num.* 4. & ſucceſſivè, quod eſt tutius; debemus fateri, Matrimonium, cui Cappellanus Major Exercitus abſque expreſſa, ſivè ſpeciali licentia, ſivè Ordinarii, ſivè Sedis Apoſtolicæ, aſſiſtit, fore illicitum, & invalidum. Rectè igitùr fuit ab Innocentio Papa XI. illa propoſitio, quæ eſt prima in ordine, proſcripta, nempè: *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore; niſi id vetet lex, conventio, aùt periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantùm utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aùt Epiſcopalis.*

12 Moveor tertiò pluribus Decretis generalibus, in hac materia à Sacris Congregationibus Concilii, & S. Officii circa adminiſtrationem Sacramentorum in Exercitu emanatis, quæque hic pro commoditate Tribunalium, præſertim extra Italiam exiſtentium, innuere duxi.

13 Propoſito itàque dubio in Sacra Congregatione Concilii ſub *die* 11. *Novembris*, *anno* 1677. *in Mediolanen. Matrimonii* circa validitatem cujuſdam Militis: Eadem S. Congregatio reſpondit -- Matrimonia
„ Militum contrahenda coram
„ Capellanis Exercituum in quo-
„ cunque loco exiſtentium, fore
„ nulla, niſi doceant de ſufficien-
„ ti facultate, vel privilegio: &
„ quoad matrimonia contracta,
„ particularitèr, videatur, &
„ communicetur Decretum Emi-
„ nentiſſimo Archiepiſcopo, qui
„ aliis participet.

14 In contingentia Brevis directi Archiepiſcopo Mechlinienſi, per me ſuperiùs innuti: ponderatis verbis, Sac. Congregatio in una Belgii Matrimoniorum, ſub *die* 29. *Maii*, *anno* 1683. ad infraſcripta dubia, ſic reſpondit.

Primò -- an vigore præfatæ
„ delegationis Apoſtolicæ, ipſe
„ Delegatus Apoſtolicus, ut talis,
„ ejuſque Vicarius, & Capellani
„ Exercitus facultatem habeant
„ aſſiſtendi Matrimoniis Mili-
„ tum, dùm hi reperiuntur in
„ actuali expeditione? Reſpon-
„ dit affirmativè.

Secundò -- an dictam facul-
„ tatem habeant privativè quoad
„ Contrahentium Parochos? Re-
„ ſpondit negativè.

Tertiò -- an eandèm faculta-
„ tem habeant, dum Milites, ma-
„ trimonium contracturi, in hy-
„ ber-

„ bernis, vel æſtivis Caſtris commorantur? Reſpondit negativè.

Quartò -- an eandem facultatem habeant dum Milites „ ſunt in Præſidiis? Reſpondit „ negativè.

15 Ad fundamenta oppoſitæ ſententiæ non reſpondetur; nàm hiſce inſpectis, & perpenſis Decretis, quæ ſunt authentica, quibuſque propterea nefas eſt contradicere, tota ejus probabilitas, ſi quæ eſt, evaneſcit; & conſequentèr illam tanquàm omninò improbabilem explodendam eſſe exiſtimamus. Tantummodò ad primum ſubdimus pro Eruditis, quòd ſubrogatio tunc importat ſimilitudinem in omnibus, cum ſit ſubrogatio legis; ſecùs hominis, Tuſch. & alii, quos producit Barboſ. *Axiom. cit. n.2.*

16 Nec obſtat quòd, tributâ Delegato facultate omnes cognoſcendì cauſas, vel ei impertitâ ſuperioritate in Foro Eccleſiaſtico, ſequatur, eum poſſe hac authoritate uti in Matrimoniis; ſiquidèm ex hac facultate jus dumtaxàt inducitur judicandi, vel abſolvendi à cenſuris, caſibus reſervatis, & hujuſmodi; non autèm facultas aſſiſtendi matrimoniis, ut optimè obſervat laudatus Prælatus *loc. cit. ſub num.* 15. §. *Nec ex eo*. Oſtendimus enim in hujuſmodi matrimoniis pro eorum validitate requiri ſpecialem licentiam, vel univerſalem in ſuo genere Sacramentorum, quæ æquipolleat ſpeciali, & expreſsæ, ſivè Sedis Apoſtolicæ, ſivè Ordinarii, ut patet non ſolùm ex Reſponſo reſolutivo Sac. Congr. Concilii ſuprà relato ad propoſitum dubium in Mediolanen. Matrimonii ſupèr validitate Matrimonii cujuſdam Militis; ſed etiam ex aliis Decretis Generalibus, quæ poſtmodùm in hujuſmodi materia ab eadem Sac. Cong. Concilii exierunt ſub *die 6. Martii*, *anno* 1694. in dubio reſolutionis Capellanorum Exercituum, occaſione Militum, qui è variis Germaniæ Provinciis in Italiam irruperunt, remiſsâ cognitione à Sacra Congregatione Sancti Officii, ab illa fuerunt propoſita, & reſoluta ſequentia dubia.

Primum -- an Capellani cu- „ juſvis Exercitus, ſivè regula- „ res, ſivè ſæculares Catholici „ poſſint adminiſtrare Militibus „ in Præſidiis degentibus Sacra- „ menta Pœnitentiæ, Euchari- „ ſtiæ, & Extremæ Unctionis „ ſine ſpeciali facultate Sedis „ Apoſtolicæ, vel licentiâ, & „ approbatione Ordinarii, in cu- „ jus Diœceſi extare contigerit?

Secundum -- an aſſiſtere Ma- „ trimoniis Militum cujuſcun- „ que Nationis degentium in

„ Præſidiis cum Militaribus fœminis ſine dicta facultate Apoſtolica, & præcedente probatione ſtatus liberi, ejuſque recognitione coram Ordinario Loci, & licentia Parochi, ſub cujus Parochia mancant?

Tertium -- an idem cum Militibus degentibus in Caſtris, & Stationibus hybernis, vel æſtivis.

Quartum -- an idem cum Militibus in actuali expeditione poſitis.

Quintum -- an idem cum Militibus nubere volentibus cum fœminis non militaribus, ſeù Italis originariis loci, ſivè Diœceſis, in qua reperiuntur?

Sextum -- an Milites Achatholici, cum Achotolicis mulieribus contrahentes, teneantur ſervare formam præſcriptam in Concilio Trid.

Septimum -- an eò magis Achatolici contrahentes cum Catholicis mulieribus militaribus, & non militaribus, in Præſidiis, Caſtris, in Expeditione manentes.

Octavum -- an Capellani Achatolici aſſiſtere poſſint Matrimoniis Achatolicorum cum Achatolicis, & reſpectivè Catholicis, etiam intrà fines Italiæ; & quatenùs negativè, in omnibus prætèr ſextum, & ſeptimum.

Nonum -- an, & quid pro ſanatione geſtorum in præteritum, & faciendorum in futurum ſupèr prædictis omnibus pro certa regula, Sanctiſſimum conſulendum, & ſtatuendum ſit?

Die 6. Martii, 1694. Sacra Congregatio Concilii reſpondit, ad 1. 2. 3. 4. 5. 8. negativè. Ad 6. affirmativè in locis, ubi publicatum fuit Concilium, juxtà Decretum Sac. Congr. 26. Septembris, 1602. ad 3. dubium, approbante ſan. me. Clementis VIII.

Ad ſeptimum, affirmativè, ſed ulteriùs indigere diſpenſatione, ut præfata matrimonia licitè contrahantur.

Ad Nonum, in præteritùm, non eſſe inquietandas conſcientias quoad Sacramentum Pœnitentiæ. Quo verò ad matrimonia inita ſine ſpeciali facultate Apoſtolica, vel ſine licentia Ordinarii Loci, vel Parochi, non ſervatâ formâ Sacri Concilii Tridentini *in cap.* 1. *ſeſſ.* 24. *de reform. Matrim.* pro ſanatione, ſi Sanctiſſimo Domino noſtro placuerit: revocato tamen conſenſu, etiam coram Confeſſario approbato; qui teneatur tradere teſtimonium renovationis dicti conſenſus Parocho illius Loci, in quo fieri contingat hujuſmodi renovatio.

17 Proviſio in futurum differatur in prima proxima Congregatione; in qua conſulendum erit,

„ erit; ac deliberandum. *Sub die* 20. *Martii ejuſdem anni, nem-* „ *pè*, 1694. ſuper proviſione „ Congregatio dixit, Secretario „ cum Sanctiſſimo pro tali pro- „ viſione, & ſanatione.

18 Sacram Congregationem hujuſmodi Decreta edidiſſe zelo Apoſtolico permotam, & ſanandi præterita Militum matrimonia controverſa, & occurrendi difficultatibus, quæ ſolent in cauſis matrimonialibus frequentiùs contingere, non ambigo. Eidem propterea ſamulaturus; necnon Ordinariis, atque Delegatis, ſpecialem facultatem aſſiſtendi Militum matrimoniis habentibus, operæ pretium duxi, eas, quæ poſſunt frequentiùs in hac materia accidere, difficultates in ſequentibus Paragraphis diſcuſſas exhibere, ut hi, nempè Ordinarii, & Delegati faciliùs queant, tutiùſque in cauſis matrimonialibus ſuum proferre judicium.

§. II.

Cauſas matrimoniales Militum controvertibiles, necnon circumſpectionem ab Ordinario, & Delegato, debitam facultatem habente Militum matrimoniis aſsiſtendi, adhibendam innui, Difficultas materiæ depoſcit, ut controverſia rectè, & clara diſcuſsa exhibeatur.

19 Pluribus de matrimonio prætermiſſis, ejus nomen, etymologiam, materiam, formam, ſignificatum, cauſam, finem, & alia pleraque concernentibus, quia apud innumeros Scribentes; & præ cæteris Thomam Sanchez in ſuo prægrandi, & celeberrimo volumine expoſitis; quæque in noſtra Theologia Bellica non parcè produximus, ponderavimus, & reſolvimus, ſtatim cauſas matrimoniales Militum innuimus, eas præcipuè, quæ præ cæteris difficiliores re-

reputantur ratione tot impedimentorum majorum, & minorum, quæ hiſce carminibus explicantur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen.
Cultus, diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas,
Si ſis affinis; ſi forte coire nequibis.
Hæc facienda vetant, connubia facta retractant.

quæque eruditiſſimè exponit noſter Molfeſius *in ſua celebri ſumma, tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 10. Minorum verò, quæ quinque ſunt, videlicèt, interdictum Eccleſiæ, votum ſimplex, ſponſalia, Catechiſmus, ac crimen, quæ non dirimunt, ſed impediunt matrimonium; quæque paritèr mirè explicantur ab eodem Molfeſio *loc. cit. cap.* 11. Ratione quoque cæremoniarum, quæ debent intervenire, juxtà determinationem Eccleſiæ, tàm ante matrimonium, quàm in ipſo, & poſt ipſum, ut habetur in Trid. *ſeſſ.* 24. præcipuè *cap.* 1. *de reform. Matr.* in Catechiſ. *hoc tit. num.* 27. & *ſeqq.* & poſt alios, Sanchez *tot. tit. de matrim.* Et ratione quoque Perſonarum, quibus optimo jure interdicitur, vel conceditur matrimonium contrahere, ut infra explicabitur, ideòque cauſas matrimoniales Militum, quæ ſunt controvertibiles, innuere duximus, ut quævis in hac controverſia rectè, & clarè diſcuſſa exhibeatur.

20 Cauſa matrimonialis, quæ intèr cæteras gravi non caret difficultate, fundatur in dubio circa validitatem, videlicèt num quando verba contrahentium ſint dubia, validum, aùt invalidum ſit judicandum matrimonium in Tribunali habente juriſdictionem ordinariam, vel delegatam? Ut difficultas clariùs noſcatur, adnotandum eſt, matrimonium propriè effici ex mutuo conſenſu viri, & mulieris, quod habetur ex *l. Nuptias, ff. de regul. jur. Capit. Cùm locum, & Capit. Tuæ Fraternitati, de Sponſ. & Capit. Mairimonium, cauſa* 27. *qu.* 2. & ratio ſuadet, quia nemini licet dominium, ſivè poteſtatem habere in eo, quod alteri liberè competit, niſi per ejus conſenſum: per matrimonium autem ab utroque conjugum dominium, & poteſtatem in corpus alterius accipi, habetur 1. *ad Cor. cap.* 7. *verſ.* 4. ubi dicitnr: *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: ſimilitèr autèm, & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.* Ergo mutuus conſenſus Contrahentium cenſetur cauſa efficiens matrimonii. Additur, majorem libertatem eſſe in pactione conjugali, quàm in pactione ſer-

vitutis

vitutis: Scimus autem, poſſe quempiam ſolo conſenſu ſe facere ſervum; ergò fateri debemus, ſolo conſenſu poſſe quempiam fieri alterius conjugem: Judex igitur in hujuſmodi dubii contingentia non debet ad judicium proferendum incautè procedere, ſed debet animadvertere, quòd licèt verba dubia declarentur juxtà intentionem Contrahentium, hoc procedit, quando conſtat de voluntate expreſsa, *Capit. Intelligentia*, *de verbor. ſignif.* ſecùs verò, ſi non conſtat expreſsè de voluntate contraria; tunc enim verba eſſe accipienda eo in ſenſu, quem communitèr ſolent rectè intelligentibus generare, non videtur ambigendum: ideòque ſi verba illa communitèr ſignificant conſenſum, utique pro validitate matrimonii formandum eſſe judicium, admonet Tex. in *Capit. Ex litteris*, il primo, *de Sponſ. & Matrim.* Et quidèm in utroque foro: propterea ſi quis dubitet de conſenſu, compellendus eſt in utroque foro matrimonium contrahere, cum in dubio præſumatur præſtitiſſe conſenſum, ut advertit Molfeſ. *tom.* 1. *ſum. Tract.* 4. *cap.* 9. *num.* 10. ubi ſubdit, tolerabilius eſſe, aliquos etiam contra ſtatuta hominum dimittere copulatos, quàm conjunctos legitimè contra ſtatuta Domini ſeparare, *Capit. Licet*, *de teſtib.* quodque probat Sanch. *lib.* 1. *de Matrim. diſp.* 28. *num.* 6. *& ſeqq.* Reginal. *in Prax. lib.* 31. *num.* 46. & eſt ſententia communis. Rationem hujuſmodi tolerabilioritatis videtur ſuggerere finis matrimonii, qui eſt multiplex. Primus nempè, propagatio legitimæ prolis per legitimum conjugium, quod etiam intendit natura, cum intendat ſe ipſam conſervare per individuorum multiplicationem: & ideò matrimonium eſt conforme juri naturali. Secundus eſt ſuſceptæ prolis bona & chriſtiana educatio; cum teneantur Parentes filios ſuſceptos ſecundùm decentem modum nutrire & educare alimentis corporalibus, & ſpiritualibus; ſpiritualibus, inquam, nempè illos bonos mores, & timorem Dei edocere, quod habetur in Sacra Scriptura, præſertim ad *Tit. cap.* 2. Tertius vitatio fornicationis, aliorumque peccatorum carnalium, juxtà conſilium Apoſtoli dicentis 1. *Cor. cap.* 7. *verſ.* 9. *Quod ſi non ſe continent, nubant; meliùs eſt enim nubere, quàm uri.* Quartus eſt cumulus commodorum, quæ intèr matrimonio junctos ex mutua ſocietate & communione ad invicem conſequuntur; ut notat Sanchez *lib.* 9. *de matrim. diſp.* 8. Reginal. in

Prax.

Prax. lib. 31. *num.* 336. Buſæu. *verb. ſtatus matrimonii, cap.*2. *&* 3. cum aliis. Quæque cuncta explicantur in Catechiſ. hìc, *num.*13. *&* 14.

21 Ubi verò deeſſet conſenſus utriuſque Conjugis, vel unius tantùm, inſpectâ qualitate perſonarum Contrahentium, tunc matrimonium eſſe abſque ulla hæſitatione judicandum invalidum, ſatis perſpicuum eſt; nàm extra controverſiam eſt, materiam remotam Matrimonii eſſe mutuam traditionem corporum Conjugum; & materiam proximam eſſe eorumdem internum conſenſum; & formam eſſe eorumdem Conjugum conſenſum ut expreſſum, ſeù potiùs eſſe illa verba conſenſum internum exprimentia omnia, quæ habentur in Catechiſ. hìc, *num.* 3. *& ſeqq.* & explicat Sanchez *lib.*2. *de matrim. diſp.* 5. *& ſeqq.* Reginal. *in ſuo prax. lib.* 31. *num.*11. *& ſeqq.* Molſ. *in ſum. tract.*4. *cap.*6. *num.*19. *& ſeqq.* Deficiente igitùr utriuſque, vel unius tantùm Conjugis conſenſu, qui matrimonium facit, & non concubitus, cum deficiat materia vera, & valida formâ, invalidum judicandum eſt matrimonium. Dixi invaliditate matrimonium notari, etiàm ex defectu unius Conjugis; cum ad validitatem matrimonii unius Conjugis conſenſus nequaquàm ſufficiat, ut patet ex terminis, & habetur in *Capit. Dilectus, de Sponſal.* & alibi. Dixi, inſpectâ qualitate perſonarum contrahentium, exorto dubio, judicium de invaliditate matrimonii eſſe abſque hæſitatione formandum, ut ſi Contrahentes eſſent minores, furioſi, ebrii, conſanguinei; & ſic de aliis. Minores, inquam; nàm quamvis jus naturale nullam præſcribat ætatem ad contrahendum matrimonium, & ſufficiat Contrahentibus uſus rationis, nihilominùs per Sacros Canones hæc ætas determinatur; volunt enim Sacri Canones, quod Maſculi ante 14. annum completum, & Fœminæ ante duodecimum annum paritèr completum, non poſſint matrimonium contrahere, declarando, peccatum mortale eſſe huic determinationi non obedire, ut colligitur ex Tex. *in capit.* 2. *de deſponſat. Impub.* & ex aliis pluribus; & probat Sanchez *lib.* 1. *de matrim. diſp.*17. Reginal. *in prax. lib.*31. *num.* 25. *&* 26. undè inſurgente dubio circa validitatem matrimonii contracti, judicandum eſt, nullum eſſe, *Capit. fin. de deſponſ. impub.* Nùm Summus Pontifex valeat in hoc impedimento diſpenſare, vide Molſ. in *ſum. tract.* 4. *cap.* 7. *num.*42. De furioſis idem eſt ratiocinium, videlicèt, ab eis

non

non poſſe matrimonium contrahi, cum in eis deficiat conſenſus, ac uſus rationis; ſupponuntur enim, ut talitèr furore laborantes nullum habere conſenſum, *Capit. Dilectus*, *de Sponſal.* cum aliis pluribus, productis per Ricc. *in ſua Praxi Matrimoniali*, *deciſ.* 251. Qui quidèm furor multifariam probatur, publicâ voce, & famâ, quamvis teſtes eſſent ſingulares: ſic paritèr ex actibus, & ſignis exterioribus inordinatis, furorem denotantibus. Probatur paritèr ex datione Curatoris dati alicui tanquàm fatuo à patre, *l. Si furioſo*, *ff. de Curat. furioſ. dan.* undè ſi dubitatur de eorum conſenſu in matrimonium, firmandum eſt judicium, invalidè illud contraxiſſe. Idem dicendum eſt de ebriis, & aliis pluribus, de quorum vero conſenſu dubitatur. Vide Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. diſp.* 8. *n.* 19. *&* *lib* 2. pluribus in locis.

22 Alia hìc ſuboritur cauſa matrimonialis, quę magnam patitur difficultatem, ideòque à Judice, ſivè Ordinario, ſivè delegato, cautiùs antequàm ipſe ſuam proferat ſententiam, perpendenda, & eſt, quando agitur de ſeparatione matrimonii proptèr impedimentum dirimens.

23 Celebris eſt controverſia intèr Canoniſtas, & Legiſtas, an ſententia lata in cauſa matrimonii ad ejus ſeparationem, proptèr impedimentum dirimens, tranſeat in rem judicatam. Partem negativam ſuſtinent communitèr Doctores, infrà, ſaltèm aliqui, allegandi; ad quorum intelligentiam, notandum eſt, ſententiam non tranſire in rem judicatam, idem eſſe, ac rem, ſeù cauſam non reddi ità judicatam, & deciſam, ut iterùm agi non poſſit, novo petito judicii proceſſu ad reintegrationem matrimonii, ſeù, ut iterata cognitio, & deciſio peti non poſſit à Partibus, allegantibus propriam turpitudinem, & inconſtantiam, videlicèt confitentibus, quod jam negaverunt. Docent itaque innumeri Doctores, quos producit Sanchez, *lib.* 7. *de matrim. diſp.* 100. *num.* 1. favore matrimonii fuiſſe introductum, ſententiam in cauſa matrimoniali prolatam nequaquàm tranſire in rem judicatam, & ſucceſſivè, conſtito de errore, ſempèr dari locum tractationi, ſivè per viam appellationis, ſivè per viam querelæ, & ſic per officium judicis, ut tradit, poſt alios, Molfeſ. in *Sum. p.* 1. *tract.* 4. *cap.* 16. *num.* 2. Laym. *in Capit. Lator*, *num.* 1. *&* *Capit. Conſanguinei*, *num.* 4. *de ſent. & re judic.* Tex. eſt punctualis in d. *Capit. Lator*; ubi Alexander III. ait – Nolentes igitùr ma-
„ trimonia canonicè contracta,
„ levitate quàdam diſſolvi, man-

„ damus, quatenùs ſi vobis conſtiterit, eos per judicium Eccleſiæ non fuiſſe legitimè ſeparatos, Eccleſiamque deceptam, ipſos faciatis, ſicut virum, & uxorem inſimul permanere. Conſonat Textus in *Capit. Fraternitatis*, ubi Butr. & alii omnes Scribentes, *de Frigid. & Meleficiat.* ubi Innocentius III. eumdem ſenſum Epiſcopo Altiſſiodoren. apertiſſimè oſtendit. Ratio ad evidentiam convincit; ſiquidèm, ſi ſententia prolata in matrimonium tranſiret in rem judicatam, ſeù eſſet irretractabilis, foveret peccatum, vel ſeparando eos, qui vero matrimonio conjuncti ſunt veri conjuges; vel uniendo illos, quibus jure convenit ſeparatio, conjugeſque eſſe nequeunt. Sed quis unquam dixerit, per aliquam Poteſtatem hoc fieri poſſe, ut per Judices, qui vices Dei gerunt in terris, actus firmetur, ex quo conſurgit peccatum, quod Deo directè repugnat? Quippè non ignoremus, poſſe Judicem ratione ſui muneris, etiam parte reluctante, procedere ad retractandam ſententiam contra matrimonium prolatam, ubi certior factus ſit de errore, quia ſua intereſt offenſam Dei, ſeù peccatum præpedire, ut habetur ex Textu in *Capit. Porrò*, circa fin. *de divort.*

24 Hac itâque propoſitæ controverſiæ reſolutione, manifeſtè probatur, plures, & graves in cauſis matrimonialibus adeſſe difficultates, dùm poſſunt iterato judicio ſubjacere: excepto tantummodò caſu appellationis infrà legitima tempora; undè advertendum eſt, quòd ordinariè loquendo, ſi contrà ſententiam non fuerit intrà decennium interpoſita appellatio, illa cauſa judicata, deciſa, & irretractabilis manet, partim propter juris, & Judicis authoritatem; partim proptèr Partis appellationem contemnentis, expreſſum, vel tacitum conſenſum, & renunciationem; Nobis, poſt alios, conſonat Laym. *loc. cit. num.* 2. Molf. *loc.* paritèr *cit.* Dixi conſenſum tacitum; intellige, ſi matrimonium prætendatur nullum ex defectu talis conſenſus, qui tamen poterat ſuppleri per conſenſum tacitum, uti contractum per metum, aliquâ vi impellente, aût errore in perſona interveniente, in quod lata eſſet ſententia, à qua intrà decem dies appellatum non fuit, tunc ſententia tranſit in rem judicatam; quia appellatione minimè interpoſitâ, Pars, adminùs tacitè, matrimonium ratificat, ut advertit Gloſſ. in d. *Capit. Lator*, in fin. ubi Butr. *num.* 8. Bald. & alii communitèr, quos producit, & ſequitur Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. diſp.* 100.

100. *num.* 13. Quidquid dicat Laym. *loc.cit. num.*3. pro ſe allegans Innoc. in *Capit. Tenor, de ſent. & re judic.* aſſerens, eſſe aliquas cauſas, in quibus etiam non interpoſitâ appellatione infra decennium, nova Judicis inſtantia poſtulari poteſt, ſaltèm probabili allegatâ cauſâ, quod eſt aſſerere, ſententiam non tranſire in rem judicatam, ideſt rem, ſeù cauſam non reddi ità judicatam, & deciſam, ut iterata cognitio, & deciſio peti non poſſit. Nos remedio appellationis omninò adhærentes, contrarium ſentimus, videlicèt, interpoſitâ debito tempore appellatione, ſententiam in quavis cauſa matrimoniali, etiam reſpectu ſponſalium de futuro, etiam reſpectu divortii, & ſic de aliis, non tranſire in rem judicatam: videtur enim omni juri repugnare, virum & mulierem carnalitèr conjungi, matrimonio haud legitimè contracto, ſubſiſtente impedimento ejus dirimente, & novâ cognitione judicii præpeditâ, cum agatur de periculo Animæ; & ideò optima regula eſt, quæ traditur apud Abb. in d. *Capit. Lator*; v.g. quòd ſententia, peccati nutritiva, nunquàm tranſit in rem judicatam; quemadmodùm ſcimus, omni juri, & rationi repugnare, matrimonii, legitimè contracti; fieri ſeparationem, aùt Judicis authoritate; aùt partium conſenſu, ſeù renovatione, cùm nullatenùs ſit intèr limites arbitrii humani illud diſſolvere, quod Deus conjuxit; ſeù, ut clariùs loquar, cum homini jure divino interdicatur ſeparare, quod Deus univit.

25 Animadvertat Ordinarius, aut Delegatus, cupiens in ſuis judiciis cautè ſe gerere, in dubio præſumendum eſſe pro ſententia, ac pro juſtitia proceſſus, donec apertè conſtiterit de contrario; quâ cautelâ uti obſtringitur Ordinarius, aùt Delegatus in cauſa matrimoniali, ut valeat rectè ſuam proferre ſententiam; propterea alleganti injuſtitiam ſententiæ onus incumbere probandi, tradit Innoc. in *Capit. Bonæ*, il primo, *num.* 8. *de elect.* Archid. Covar. cum aliis pluribus; quos refert, & probat Sanchez *de matr. lib.*7. *diſp.*100. *num.*5. *& ſeqq.* ſubdens cum eiſdem, tunc requiri novam petitionem, & novum libellum ſupplicem, in quo producatur aliqua cauſa veriſimilis injuſtitiæ, ut ex arbitrio Judicis ſufficiens judicetur ad cauſam prædictam reaſſumendam, & diſcutiendam: quod ſanè eſſet expediens ad viam præcludendam non paucis inconvenientibus, præſertim recurſui in infinitum Partis contravenientis, perturbationi Partis quieſcentis, Judicis ſen-

tentiantis ; atque pacis communis; quodque patet ex terminis.

26 Animadvertat paritèr, in his, quæ reſpiciunt odium nocentis, & favorem innocentis, ſententiam latam ſemper tranſire in rem judicatam; ſecùs verò in odium innocentis; ſeù in odium innocentis ſententiam non tranſire; & ideò, Conjugem innocentem, petentem reconciliari cum adultero, ſemper audiri, neve adultero ſuffragari exceptionem rei judicatæ, communis eſt ſenſus; cùm exceptio rei judicatæ, nequeat ſuffragari ei, in quem prolatum eſt judicium; hoc enim fore iniquum probat Tex. in *l. Evidentèr*, *ff. de except. rei judic.* & docent Hoſt. Joan. And. Sanchez, & alii, quos producit Molſ. *loc. cit. num.7.*

27 Animadvertat inſupèr, non eſſe reintegrandum matrimonium ad dictum unius, vel utriuſque conjugis, fatentis, nullum in ipſo intercedere impedimentum; ſi anteà, juxtà allegata, & probata, videlicèt rationabili, & legitimo Eccleſiæ judicio fuit ſeparatum; neque eſſe ſeparandum, ſi unus, aut uterque conjux atteſtetur, adeſſe impedimentum; ſi anteà, approbante Eccleſia, fuit contractum; ſic admonet Textus punctualis in *Capit. Supèr eo*, & ibi Gloſſ. *de eo, qui cognovit*.

28 Animadvertat deniquè, in materia divortii, judicium ex falsâ causâ prolatum, cognitâ cauſæ falſitate, eſſe ob rationes ſuperiùs allatas, retractandum, quamvis eſſent tres, vel plures ſententiæ conformes, etiam ſequutâ intèr conjuges thori ſeparatione; ut probat Sanchez *lib.10. de matrim. diſp. 9. n. 7. & ſeqq.* etiam ſequutâ conjugis innocentis ſtatus mutatione, ut puta, ſi profeſſionem in aliqua Religione approbatâ emiſiſſet; tunc enim cognito errore, ſeù detectâ falſitate cauſæ, innocens Profeſſus eſſet reſtituendus alteri conjugi petenti, cui debitum reddere teneretur, eſtò ab eo non poſset exigere; & ratio ſuadet, quia votum illud caſtitatis emiſſum in profeſſione obligavit illum prout ſe obligare potuit, & ſic ut non petat; atqui non obligavit in præjudicium alterius conjugis. Ita D. Thom. *in 4. diſt.35. qu.unic. artic. 5. ad 3.* Aſtenſ. Sylv. Graff. & alii plures, quos refert, & ſequitur Sanch. *d. diſp. 9. num. 9.* ſubdentes, idem eſſe dicendum, ſi Ordinem Sacrum aſſumpſiſſet, vel votum caſtitatis ſimplex emiſiſſet, cum ſit eadem ratio. Excipitur tamèn caſus, in quo ab utroque conjuge Profeſſio fuiſſet ſcientèr emiſſa; videlicèt, quando unus ſciret ingreſſum alterius; quia cognito ab

ab utroque alterius ingreſſu, præſumitur ex ipſo facto ingreſſus, & profeſſionis ſequutæ, licentia ad invicem ſibi conceſſa.

§. III.

Præfatis nonnullę alię adnectuntur cauſę matrimoniales, forſitàn intèr Milites ſæpiùs contingentes, quæ non minorem Judicis cautelam requirunt, eſtò minorem contineant difficultatem.

29 Sit prima illa, in qua prætenditur de nullitate matrimonii tanquàm contracti abſque ſolemnitatibus præſcriptis in Concilio Lateran. ſub Innoc. III. ut in *Capit. fin. de Clandeſt. Deſponſ.* & in Trid. *de Sacram. Matrim. ſeſſ.* 22. *c.* 1.

30 Pro intellectu, notandum eſt, clandeſtina matrimonia libero Contrahentium conſenſu facta ante Concilium Tridennum, rata, & vera fuiſſe matrimonia; & proindè jure damnari à d. Concilio *ſeſſ.* 24. *de Sacramento Matrimonio, cap.* 1. illos, qui ea vera, & rata eſſe negant, quique falsò affirmant, conjugia à filiisfamilias ſine parentum conſenſu contracta, irrita eſſe, & parentes ea rata, vel irrita facere poſſe.

31 Notandum eſt paritèr, Contrahentes clandeſtinè peccare mortalitèr, proùt etiam peccabant antè Concilium Tridentinum, ut tradit Navar. *lib.* 4. *de Sponſal. conſil.* 9. Ledeſm. Rodriq. cum aliis, quos probat Sanchez, *lib.* 3. *de matrim. diſp.* 18. *num.* 1. & ideò Sancta Dei Eccleſia ex juſtiſſimis cauſis illa ſempèr deteſtata eſt; & Sancta Synodus Tridentina animadvertens ex eiſdem clandeſtinis conjugiis gravia peccata exoriri; & cupiens ea præpedire, d. Sacri Lateranenſis Concilii, ſub Innocentio III. celebrati, veſtigiis inhærendo, præcepit, ut in poſterùm, antequàm matrimonium contrahatur, tèr à proprio Contrahentium Parocho, tribus continuis diebus feſtivis in Eccleſia intèr Miſſarum ſolemnia publicè denuncietur, declarans, attentantes alitèr matrimonium contrahere, quàm præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, ſeù Ordinarii licen-

centiâ, & duobus, vel tribus teſtibus, eos reddi inhabiles ad contrahendum, ut alio modo non poſſint contrahere, decernenſque hujuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe. Trid. *loc. cit.* Subdunt etiam Scribentes, ad validitatem Matrimonii non ſolùm requiri Parochum, ſed debere eſſe Parochum mulieris, vel ſaltèm viri, aliàs matrimonium fore nullum, tanquàm clandeſtinum. Num matrimonia clandeſtina, ſeù facta ſine præcedentibus Denunciationibus ſint cuncta irrita, vide Tondut. *vol. 2. qu. & reſol. p. 3. cap.* 145. *num.* 14. Vincentium Dejuſtis, *de Diſpenſat. Matrim. lib.* 1. *cap.* 6. *à n.* 446.

32 His præhabitis ſufficientèr inſtructus Ordinarius, ſivè Delegatus, facilè percipiet, cautelam, ſivè diligentiam, quam aſtringitur adhibere in causâ matrimoniali, in qua prætenditur de nullitate matrimonii defectu ſolemnitatum requiſitarum, nè decipiatur in ſuo proferendo judicio, totam conſiſtere in perpendendis temporum, & Locorum circumſtantiis.

33 Validum eſſe matrimonium contractum abſque debitis ſolemnitatibus in locis, ubi non eſt receptum Tridentinum, Sac. Congegatio Concilii, ut notat Molſ. *in ſum. p.* 1. *tract.* 4. *c.* 9. *num.* 18. pluriès cenſuit; & ratio ſuadet, quia ipſummet Tridentinum decernit hujuſmodi Decretum ſuum robur in unaquàque Parochià non habere, niſi poſt triginta dies, à die primo publicationis in eàdem Parochia factæ, ehumerandos. Patet igitùr ex terminis, Concilium non obligare in locis, ubi non eſt publicatum.

34 Difficultas poteſt inſurgere, nùm Decretum iſtud Tridentini ſuum habeat robur in loco, ubi fuit quidèm publicatum, ſed non fuit uſu receptum. Ex doctrina communi, ut notat Becanus in *Summ. Theol. p.* 2. *tom.* 1. *tract.* 3. *cap.* 6. *quæſt.* 8. *num.* 3. Azor. *p.* 1. *lib.* 5. *cap.* 4. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 22. *dub.* 13. *num.* 98. Diana, *tom.* 7. *tract.* 3. *de Paupert. relig. reſ.* 1. §. 1. cum aliis, aſſerente, leges Pontificias, ſivè Eccleſiaſticas non obligare, niſi acceptentur à ſubditis, reſolvenda eſt diffitas, præfatum Decretum ibi non obligare, tametſi primi illius Tranſgreſſores mortalitèr peccaverunt; & ſucceſſivè, matrimonium, omiſsâ dictâ formâ, celebratum in locis, ubi Tridentinum Concilium non eſt receptum, valere, concludit Vicentius Dejuſtis *Tract. de diſpenſat. Matrimonial. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 466. aſſerens ità fuiſſe declaratum à Sacra Congr. Concilii; aducenſque pro ſe Pirr. Corrad. Secùs verò, nempè

pè præſatum Decretum ſuum habere robur, etiam in loco, ubi fuit publicatum; eſtò non fuerit uſu receptum, dicendum eſt, receptâ ſententiâ contrariâ, videlicèt, Eccleſiaſticas Conſtitutiones obligare, quamvis non ſint uſu receptæ: quam ſententiam putat veriorem Archiepiſc. Damaſcenus in *Conſtitut. Apoſtolicas, tom.* 3. *Conſtit.* 6. *Urbani IV.* incipiens *Eccleſia, num.* 51. cuique lubentèr adhæreo, ſciens, de fide eſſe, Apoſtolicæ Sedis Poteſtatem eſſe immediatè à Deo; neve ullam dependentiam habere à populo: undè militare in his terminis regulam, ſubdit idem Archiep. Damaſc. *ibidem*, quòd dum in legibus condendis concurrit voluntas, & poteſtas Legiſlatoris, Subditi omnimodè obſtringuntur legem acceptare, juxtà diſpoſitionem Textus in *l.* 1. ibi -- Quod Principi placuit, legis habet vigorem, *ff. de conſtit.* & *l. Legis, ff. de legibus*; *Capit. Cum ſupèr, de offic. Judic. deleg. Capit. Cuncta per mundum, cauſa* 9. *quæſt.* 3. & ità docet Fagnan. *in Capit. Treugas, num.* 48. *& ſeq. de Treuga, & Pace*, Sperell. *deciſ.* 15. *num.* 23. *cum ſeqq.* Rota *deciſ.* 61. *num.* 2. *coram Priolo*, Merlin. *deciſ.* 814. *num.* 4. *cum ſeq.* & alii, aſſerentes, Doctores, qui contrarium ſentiunt, loqui quotiès, ultrà non uſum, adeſſet tolerantia, & conſenſus Summi Pontificis, quem tunc à lege latâ tacitè recedere cenſeri, advertit Card. de Luca, *de Feudis, diſc.* 4. *num.* 6. *& ſeqq.* Gratian. *diſcept.* 559. *num.* 42. *& ſeq.* Undè leges Eccleſiaſticas extra caſum tolerantiæ, & conſenſus Pontificii, præſcindendo à quacunque acceptatione, ſempèr importare neceſſitatem parendi, tenet Rota in *Calaguriana Pontificalium*, 4. *Maii*, 1699. *coram Eminentiſſimo D. Card. Caprara, ſupèr exequut. Decretor.* §. *Inſupèr*

35 Quid eſt dicendum de Militibus, Peregrinis, aliiſque tranſeuntibus per loca, ubi viget Tridentinum, abſque tamèn animo ibi permanendi? Num hi poſſint contrahere matrimonium ſecundùm diſpoſitionem juris communis? vide Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. diſp.* 18. *num.* 6. qui reſpondet affirmativè, ſecluſo ſcandalo, cum Tranſeuntes minimè ligentur legibus locorum, per quæ tranſeunt, ut probat Tex. *in l. Heres abſens* 10. §. *Proindè, ff. de judic.* ubi dicitur, Viatores non ſortiri forum loci, per quem tranſeunt; & ratio in jure fundata eſt, quia qui tranſit, aùt brevi tempore divertit ad locum, non dicitur moralitèr in eo eſſe, *l. Quæſitum* 79. §. *fin. ff. de legat.* 3. *l. Si ità* 84. *ff. eod.*

ff. eod. & Capit. Nam, & ego, de verb. ſignif. quod eſt deſumptum ex S. Hieronymo, quærenti, cur Salomon ſe unigenitum nominet, cum fratrem uterinum habuerit: Et reſpondet, quia cum ſtatim obierit, quaſi non natus reputatur; ubi Gloſſ. *v. quaſi*, ait: Non videtur fuiſſe, qui non duravit. Additur, quia Leo IX. in Epiſt. adversùs præſumptiones Michaelis Conſtantinopolit. & Leonis Acridani Epiſcoporum, *cap.* 29. admonet, ab unoquoque juxtà Eccleſiæ ſuæ Ritum eſſe celebrandum, quamvis in alieno ſolo verſetur. Conſonat S. Auguſt. *Epiſt.* 119. *ad Januarium*, relatus in *Capit. Illa autèm*, *Diſt.* 12. dicens — Alia verò, quæ per loca terrarum, regioneſque variantur, ſicut eſt, quòd alii jejunant Sabbatum, alii non: alii verò quotidiè communicant Corpori, & Sanguini Domini: alii certis diebus accipiunt; & ſi quid aliud hujuſmodi animadverti poteſt: Totum hoc genus rerum liberas habet obſervationes, ubi Gloſſ. *v. Liberas*, ait. Hic dicit S. Aug. quòd liberum eſt Sabbato jejunare, quantùm ad Extraneos, non quantùm ad illos, ubi talis conſuetudo ſervata eſt. Concluditur igitur, inſpectâ æquitate, Tranſeuntes per aliquem locum non aſtringi obſervare leges illius loci, cum non dicantur moralitèr eſſe in eo loco, ſed tantummodò ad obſervantiam illarum obligari in eo Exiſtentes. Sic ſentiunt Gloſſ. in d. *Capit. Illa autèm*, *in capit. Quæ contra*, *diſt.* 8. *v. Aût peregrini*, Speculat. *Rubric. de Conſtit. num.* 7. Joan. Andr. *addit. ad Speculatorem, tit. de inſtrum. edit.* §. *Compendiosè*, *num.* 16. *v. Quæſitum*, Turrecr. in d. *Capit. illa autèm*, *verſ. Liberas*; & alii Canoniſtæ: & ex Theologis, S. Antonin. 2. *p. t.* 6. *cap.* 2. §. 2. Palud. 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 4. *art.* 3. *num.* 24. Ledeſm. 2. *p.* 4. *qu.* 17. *art.* 3. *fol.* 204. *col.* 1. §. *Tertio dico*, & alii plures. Dictum eſt, ſecluſo ſcandalo, Tranſeuntes per locum non teneri illius loci leges ſervare; Secùs verò ſi adeſſet ſcandalum, quod tamen facilè vitari poteſt duobus modis, nempè, vel occultè illas tranſgrediendo, vel adſtantes admonendo, ſe non teneri illas leges obſervare.

36 Huic opinioni libentèr me ſubſcribo tanquàm probabiliori, videlicèt, Tranſeuntes non ligari legibus locorum, per quæ tranſeunt; puto tamèn tribus exceptionibus fore illam ſubiiciendam; quarum prima concernit contractuum ſolemnitates, ab omnibus forenſibus, & peregrinis obſervandas, in contractu requiſitas legibus, & con-

conſuetudinibus Loci, in quo contrahunt; ſiquidèm ratione contractus, quoslibet ſortiri forum contractus in loco contractus, probat Textus in *Capit. fin.de for.compet. l. Si fundus 6. ff. de evic.* & docent Innoc.*Rubr. de conſuet, num.6. & 7.* & innumeri alii tàm Canoniſtæ, quàm Civiliſtæ. Secunda exceptio excludit præjudicium illius loci,in quo fit legum tranſgreſſio; & ideò Tranſeuntes teneri ad obſervantiam legum loci, per quem tranſeunt, ſi illarum tranſgreſſio cederet in damnum illius loci, tradunt Doctores mox allegandi, ut puta,ſi darentur aliquæ leges prohibentes aliquid extrahi ex illo loco, vel ne Tranſeuntes commorentur niſi tanto tempore in bonum illius Loci. Sic Abb. in *Capit.A nobis*, il primo, *de ſent.excomm.num.7.& 9.*Bart. in *l.1. num. 21. Cod. de Sum. Trinit.* & ibi Bald. *num. 22.* Tertia exceptio non favet Vagis, ſcilicèt non vult comprehendi Vagos, qui nullibi certum habent domicilium; hos enim teneri ad leges, & conſuetudines locorum, per quæ tranſeunt, & in quibus etiam obitèr reperiuntur communis eſt DD. ſenſus, & rectè: ſiquidèm, cum hi nullum peculiare domicilium habeant; illud quoad omnia acquirunt ubicunque reperiuntur; aliàs Vagi, qui ut plurimùm contemnuntur,eſſent melioris conditionis, quàm Cives, & Incolæ, & forent exempti ab omnibus ſtatutis, & conſuetudinibus, quibus omnes gravantur Habitatores: propterea ſubdimus, Scribentes, qui aſſerunt Tranſeuntes non teneri ad leges, & ſtatuta locorom, per quæ tranſeunt, loqui expreſsè de habentibus domicilium, aliò tamen divertentes, ſeù commigrantes causâ alicujus negotii. Ità ſentit Sot. in 4. *diſt.* 18. *qu.4. n.2. verſ. Et hic tamen*.

37 Sententiam huic contrariam, nempè aſſerentem, Milites, Peregrinos, alioſque divertentes per modum tranſitus, aùt hoſpitii ad aliquem locum, teneri ſervare leges, & conſuetudines illius Loci, in quo per modum tranſitus reperiuntur, quando hæ in ſuo domicilio non obligant, minimè reprobamus, ſcientes ſuam habere probabilitatem, utpotè ſufficienti ratione tùm intrinſecâ, tùm etiam extrinſecâ, nempè plurimorum Doctorum authoritate ſuffultam, ut videre licet Sanchez *de Matrim. lib.3. diſp.*18. *num.* 4. unde fatemur juxtà hanc ſententiam, Tranſeuntes per Loca, ubi viget Concilium Tridentinum, ſi volunt matrimonium contrahere,ſe debere conformare diſpoſitioni d. Concilii, videlicèt,

V præ-

præmiſſis debitis denunciationibus, cum aſſiſtentia Parochi, & duorum, vel trium Teſtium, aliàs nullum eſſe matrimonium.

38 Diximus, & probavimus, Tranſeuntes per locum abſque animo ibi permanendi, minimè ligari legibus illius Loci; ex quo ſequitur, noſtrum ſenſum eſſe hujuſmodi Tranſeuntes, ſeù, proprio deſerto domicilio, aliò divertentes, animo ibi conſtituendi ſedem, obſtrictos eſſe obſervare omnia ſtatuta, & omnes conſuetudines illius loci, in quo Sedem ſibi conſtituunt; cum tunc cenſeantur verè eſſe incolæ, quod probat Tex. in *l. Nec ipſi*, *l. Si in patria*, *Cod. de Incol.lib.* 10. & ſucceſſivè, ſi ibi receptum eſt Concilium Tridentinum, & volunt matrimonium contrahere, teneri, ſivè neceſſariò eſſe obligatos contrahere ſecundum diſpoſitionem ejuſdem Sac. Concilii, aliàs matrimonium nullitate notari. Secùs verò, ſi ibi Concilium Tridentinum non eſſet receptum, quamvis (quod eſt notandum) in loco, quem deſeruere, illud ſervaretur. Contrahentes igitur ibi matrimonium ſine Parocho, & teſtibus, valere illud non dubitamus, quia fiunt illius Loci incolæ; & ſubindè jam non aſtringuntur legibus prioris domicilii; eos tamèn peccare arbitramur, ſi eò confluant per modum tranſitus, & in fraudem Decreti Tridentini, ut ibi poſſint liberè abſque Parocho, & teſtibus matrimonio copulari: & ità me docent plures ſuſtinentes, eos non ſolùm non excuſari à peccato, ſed etiam eorum matrimonium eſſe irritum; cum fraus nemini debeat patrocinari, *Capit. Sedes*, & *Capit. Ex tenore*, *de reſcript.* Quis negaret fraudem patrocinari, ſi videret, matrimonium hoc modo contractum valere? Nec diſſonat Textus in *l.* 1. §. *Iidem ajunt*, *verſ. Denique*, *ff. de aqu. plu. arcen.* ibi -- Marcellus ſcripſit, cum
„ eo, qui in ſuo fundo fodiens,
„ vicini fontem averterit, nihil
„ poſſe agi, nec de dolo actione:
„ & ſanè non debet habere, ſi non
„ animo nocendi vicino, ſed ſuum
„ agrum meliorem faciendi, id facit: ex quo ſanè textu deducitur à contrario ſenſu ex *l.* 1. *ff. de his*, *qui ſui*, *vel alien.jur. ſunt*, Fodienti animo nocendi fodere interdici.

39 Hæc limitatio, quæ aliquibus minimè placet, diſplicere certò non poteſt Enriquez, *lib.* 11. *de Matrim. cap.* 3. *num.* 8. & aliis aſſerentibus, Abſentes à proprio domicilio obligari legibus illius loci, ubi eſt domicilium; & ſucceſſivè Proficiſcentes ex Locis, ubi Tridentinum obligat, non adimi obligationi ejus ſervandi decretum;

ergò

ergò quocùnque migrent per modum tranſitus, tenentur illud ſervare. Inſupèr à Tridentino irrita declarantur matrimonia clandeſtina, & ea contrahentes redduntur inhabiles ad ità contrahendum. Quis neſciat inhabilitatem, cum ſit quid perſonale, perſonam afficere, & conſequentèr comitari perſonam quòcùnque euntem, neve poſſe hujuſmodi inhabilitatem per mutàtionem loci à quovis auferri? Additur, illò Proficiſcentes, cum ſint fideles, eſſe membra Eccleſiæ ubicunque ſint; & ſucceſſivè ſemper obnoxios ejus legi, quà fuere per legitimam promulgationem ſemel ligati. Fatemur, ſecundùm hanc ſententiam, quam probabilem exiſtimamus, matrimonium, abſque Parocho, & teſtibus initum à Migrantibus de loco, ubi Decretum Tridentini fuit publicatum, & uſu receptum, ad locum, ubi idem Decretum viget, irritum eſſe. Ordinarius igitùr in ſuo proferendo judicio circà matrimonium Migrantium de loco ad locum, ubi viget Decretum Tridentini, prætenſum, ex defectu Parochi, & Teſtium, irritum, poteſt utramlibet ſequi ſententiam; eſtò una ſit aliâ probabilior.

§. IV.

Non minorem præhabita requiri diligentiam, ſivè cautelam, ab Ordinario, aùt Delegato, ut rectè ſuum proferat judicium, exhibendam in cauſa matrimoniali, in qua ageretur de controverſia circa diſpoſitionem, infrà explicandam, verſante, non videtur ambigendum.

40 DIſpenſatio, inſpectâ ejus quidditate generalitèr ſumptâ, ſignificat diſtribuere, expendere, ſeù impertiri aliquid, & ſpecialitèr quoad rem noſtram conſiderata, indicat relaxare jus, quo quis impeditur contrahere matrimonium; undè diſpenſatio poteſt definiri quòd ſit juris relaxatio facta cum cognitione cauſæ ab eo, qui poteſt relaxare; quæ defi-

nitio explicat, & præciſam naturam diſpenſationis, & requiſita, ut licitè fiat. Nobis ſavet Gloſſ. in *Capit. Requiritis*, §. *Niſi rigor*, *v. Ut pleriſque*, *cauſa* 1. *qu.*7. Innoc. *in Capit. Dilectus*, *nu.* 4. *de tempor. ord.* & ibi Joan.Andr. *num.*6.Graff. 1. *p. deciſ. lib.*2. *cap.*31. *num.*1. cum pluribus aliis tàm Canoniſtis, quàm Theologis, admonentibus, dari diſcrimen intèr diſpenſationem, interpretationem, irritationem, & abrogationem legis.

41 Diſpenſationem eſſe de jure ſtrictè interpretandam, extrà tamèn caſum publicæ utilitatis, & ideò ſtrictè, ut ſi aliquid operetur, non ſit ampliùs extendenda, ſenſus eſt communis Doctorum, & habetur expreſsè in *Capit.* 1. §. *Ille verò*, *de fil. Presbyt. in* 6. & ratio ſuadet, quia jus commune offendit, ipſum corrigens; undè eſt odioſa, & ſucceſſivè valdè reſtringenda, juxtà regulam *Odia*, *de reg. jur. in* 6. & regulam *Quæ à jure*, ibi *eod. tit.* ubi dicitur, nequaquàm eſſe ad conſequentiam trahenda, quæ à jure communi exorbitant, ità communitèr docent Sacrorum Canonum Interpretes; qui tamèn volunt, & probant, diſpenſationem in cauſa matrimoniali, eſſe temperandam, ſeù latè interpretandam; eamque præſertim, quando eſt Summi Pontificis, favore matrimonii fore extendendam, dummodò ex larga interpretatione ſcandalum non ſequatur, Felin. in *Capit. Poſtulaſti*, *num.* 13. *limit.* 7. *de Reſcript.* Gambara, *de Auth. Legati*, *l*,10. *nu.*262. Mil. *in Repert. lit. D. v. Diſpenſatio*, *num.* 23. *verſ. Diſpenſatio*, *quatenùs*, & alii, quibus ſavet Tex. in *Capit. Olim*, *de verb. ſignif.* & *in l. Beneficium*, *ff. de conſtit. princ.* ubi conſtat, beneficium Principis latiſſimè eſſe interpretandum; & ſic diſpenſationi, quæ eſt quoddam Principis beneficium, eſſe latam interpretationem concedendam: Favet quoque *Extrav. Nupèr* Clem. VI. relata à Calderino, *conſ.*1. *num.un. de conſang.* ubi deciditur, diſpenſationem in quarto gradu conſanguinitatis porrigi ad quartum cum tertio conjunctum, qui dicitur caſus mixtus. Quâ doctrinâ ſuppoſitâ, admittendam eſſe in judicio diſpenſationem obtentam in quarto gradu conſanguinitatis, quamvis unus ex illis eſſet in tertio gradu; & id quidèm vel per modum extenſionis; vel quia ſempèr attenditur gradus remotior, tradit Molſ. in *ſum. to.*1. *tract.* 4. *cap.*12. *num.* 19. ubi, relatis Felin. Reginal. & aliis, etiam notat, hanc eſſe communem, & veram ſententiam, aſſerenſque, à dictis Authoribus referri, ſic de-

declaraſſe S. Pium V. *anno* 1566. *die* 26. *Auguſti*, ut extrà
„ primum gradum, ſempèr atten-
„ datur gradus remotior; hoc eſt,
„ ſi unus ſit in quarto gradu, &
„ alter in primo, debet hoc ex-
„ primi; ſi verò unus ſit in ſe-
„ cundo, vel tertio, & alter ſit in
„ quarto gradu, ſatis eſt exprimi,
„ quòd ſunt in quarto gradu.

42 Verùm, inſpecto in hac materia, quæ admodùm gravis eſt, vario Doctorum ſenſu, putamus in hujuſmodi facti contingentia eſſe ad ſtylum Romanæ Curiæ recurrendum, & juxtà illius diſpoſitionem agendum. Stylus autèm Curiæ Romanæ eſt, illa matrimonia declarare nulla, quæ contracta fuere vi Diſpenſationis, omiſſo in ſupplici libello, gradu propinquiori: & Literis, Declaratoriis, propinquiorem gradum non obſtare, à Curia Romana minimè obtentis: idque teſtantibus omnibus practicis Curialibus, & intèr eos, Domino Jacobo Piccione, ſupèr diſpenſationibus matrimonialibus Officiali vigilantiſſimo; quem hiſce diebus circa hanc materiam conſului. Et ità docent Pyr. Corrad. in *Praxi Diſpenſat. lib.* 7. *cap.* 7. *à n.* 71. De Juſtis *de Diſpenſat. lib.* 2. *cap.* 3. *à num.* 40. & alii, quos producit, & ſequitur nuperrimè Anacletus Reiffenſtuel in *Append. ad lib.* 4. *Decretal. de diſpenſat. ſupèr impedim. matrim.* §. 4. *num.* 172. ubi ait,
„ quòd quamvis omiſſio gradus
„ propinquioris non vitiet, nec
„ ſubreptitias reddat Literas di-
„ ſpenſationis, à Curia Roma-
„ na obtentas (niſi ſit primus, ut
„ dictum eſt) nihilominùs illas
„ nec licitè, nec validè exequi
„ poteſt deputatus Executor, niſi
„ priùs obtineantur, & eidem
„ exhibeantur Literæ declarato-
„ riæ, propinquiorem gradum
minimè obſtare; ibidem ſubdens, Ordinarium, vel alium, cui committitur dictarum Literarum Diſpenſatoriarum executio, non ſolùm peccare mortalitèr, ut tenet etiàm Corrad. *loc. cit.* ſi in tali caſu pro foro externo, ut inquit idem Corrad. diſpenſationis Breve exequeretur: & quidèm rectè, quia in materia gravi legem Pontificiam transgrederetur; & eſſe hujuſmodi transgreſſionem gravitèr peccaminoſam, habetur quoque ex *lib.* 1. *tit.* 2. *de Conſtit.* ſed etiam invalidè agere, nullitèrque diſpenſare; ac proindè matrimonium invalidum eſſe, ſi diſpenſatio antè conceſſionem, & receptionem præfatarum Literarum declaratoriarum contingat caſu quo antè contractum matrimonium ſciat, Oratores in gradu inæquali eſſe conjunctos. Hujus, aliorumque allegatorum Doctorum fundamentum videtur eſſe ipſa ſupra innuta Conſtitutio S. Pii V.

ubi

ubi, poſtquàm declaravit, ad valorem Diſpenſationis ſufficere ſi exprimatur gradus remotior, illicò addit: *Obtentis tamèn poſtea ſupèr propinquiore Literis declaratoriis, juxtà Greg. & Clement. Prædec. &c.* quæ verba, utpotè in ablativo abſolutè poſita, modum, & conditionem importare, colligitur ex *l. Si debitor* 4. §. 1. *ff. Quibus modis Pign. vel Hypoth.* Modum autèm, & conditionem, & alia neceſſariò eſſe implenda, alibi demonſtravimus, & probat Tex. in *l. Qui hæred. & l. Mævius, ff. de condit. & demonſtr.* Idemque tradunt DD. ſuperiùs allegati, qui admonent, in petitione diſpenſationis ſupèr impedimento conſanguinitatis fore fidelitèr exprimendum gradum, quo conjuncti ſunt Oratores, an videlicèt in linea recta, vel tranſverſali; in ſecundo, vel tertio, vel quarto, &c. Adduntque minimè ſufficere, gradu non expreſſo, dicere tantùm in genere, Oratores eſſe conſanguineos; concludenteſque, petitam diſpenſationem ſub hujuſmodi generalitate, qualitate gradus omiſsâ, cenſeri ſubreptitiam, atque invalidam; huic rationi innixi; quia difficilior eſt diſpenſatio in propinquiori, quàm remotiori gradu: Secùs verò, ſeù hujuſmodi diſpenſationem eſſe validam, ab Oratoribus expreſſo in ſupplicatione gradu propinquiori pro remotiori, dicentibus, v. g. ſe eſſe in tertio, cum ſint in quarto; quo in caſu diſpenſationem nequaquam vitiari, etiam notant De Juſtis, *lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 131. Reiff. *loc. cit. num.* 164. & 215. & alii, ſubdentes, eſſe in ſupplicatione exprimendum, ſi Oratores duplici conſanguinitis gradu ſunt conjuncti, & à fortiori, ſi plura diverſæ rationis habent impedimenta. Iidemque admonent quoq; ſi Conſanguinei inæqualitèr diſtant à communi ſtipite; v. g. unus in ſecundo, alter in tertio; vel unus in ſecundo, vel tertio, & alter in quarto, conſequentèr ambo ſint in ſecundo, & tertio mixto; vel in ſecundo, vel tertio, & quarto; eſſe non tantùm exprimendum gradum remotiorem, ſed etiam propinquiorem, dicendo quòd ſint, v. g. in ſecundo, & tertio: Et id quidèm præcisè, ut per ſpeciale Breve declaretur, proximiorem gradum non obſtare; quodque expreſsè ſtatuit *S. Pius V.* in prææallegata Conſtitutione *Sanctiſſimus*, ut etiam notat d. Reiff. *loc. cit. num.* 166.

§. V.

§. V.

Cui jus competat diſpenſandi circà impedimenta matrimonii, diſcutitur.

43 VIdeamus nunc cui jus competat concedendi diſpenſationem circà impedimenta matrimonii. De Summo Pontifice non eſt ambigendum, ſi loquimur de impedimentis irritantibus matrimonium de jure Eccleſiaſtico: ſiquidèm Summus Pontifex cum ſit ſuprâ totum jus Eccleſiaſticum; & tanquàm Princeps ſuprà propriam legem, poteſt diſpenſare in lege, ſicut & legem illam abrogare, quod probat Textus in *Clem. Ne Romani, de elect.* & docet Hoſtienſ. Palud. Sylv. & alii Canoniſtæ, quos probat Sanch. *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 6. *num.* 14. Hinc Abb. in *Capit. Cum olim*, *nu.* 5. *de Cler. conjugat.* Suarez *de Relig. tom.* 3. *lib.* 9. *de vot. Caſt. cap.* 20. *per tot.* Menoch. *de præſumpt. præſ.* 28. *num.* 45. *lib.* 4. Sot. *de juſt. & jur. lib.* 7. *qu.* 4. *art.* 1. & alii, putantes, ſacrum Ordinem non habere eſſentialitèr annexum votum continentiæ, docent, Summum Pontificem poſſe abſque ulla difficultate, juſtâ tamèn interveniente causâ, diſpenſare Conſtitutum in Sacris Ordinibus ad contrahendum matrimonium; & adducunt pro ſe D. Th. 22. *quæſt.* 88. *art.* 11. in corp. ibi dicentem -- Unde
„ videtur, quòd per Eccleſiam
„ poſſit diſpenſari in voto conti-
„ nentiæ ſolemnizato per ſuſcep-
„ tionem Ordinis Sacri. Quorum doctrina roboratur diſpenſatione nuperrimè facta ab Alexan. VIII. fel. record. Dom. Comiti Franciſco Leopoldo Guilielmo De Slabatis, Eccleſiæ Paſſaviens. Canonico, in Sacro Subdiaconatus Ordine conſtituto, ad matrimonium contrahendum, ut conſtat ex ejus Literis in forma Brevis expeditis, & per Vincentium De Juſtis, *Tract. de diſpenſat. matrimonialibus*, in fine voluminis per extenſum relatis, quæque verè, & propriè ſunt Literæ Apoſtolicæ, proùt aliæ, quæ expediuntur ſub Plumbo, ut tradunt Gomes *in* parvo *Tract. de Brevibus*, *à num.* 5. Lother. *de re benef. lib.* 3. *quæſt.* 11. *n.* 59. & ideò Brevia nuncupari, quia brevi, & conciſâ ratione concipiuntur, & expediri ſolent per

ſolam

ſolam Secretariam, ſupèr impoſito ſigillo Annuli Piſcatoris, teſtatur Lother. *loco laudato*, *num.* 62. Eſtò quòd hujuſmodi Brevis expeditione tantummodò probetur, faciliùs poſſe concedi diſpenſationem dùm agitur de Subdiaconatu, cujus Ordinem in primitiva Eccleſia non fuiſſe ſacrum, deducitur ex *Epiſtola* 50. S. Hieronymi *ad Pammachium*, ſcribentis, *Preſbyteros*, *atque Diaconos tantùm continentiæ lege teneri*; habeturque ex *Epiſtola* 4. Syricii Papæ, ſcriptâ Synodo Africanæ, in qua idem declaratur; necnon ab ejus reſponſo ad Hieronymum Epiſcopum Tarraconenſem, qui ipſum conſuluit ſuper Cœlibatu Clericorum; *Caſtitatem*, reſpondit, *ſervandam eſſe à Sacerdotibus*, *atque Diaconis*, nullâ factâ Subdiconorum mentione. Idem legitur in Concilio Carthaginenſi II. III. V. atque in *Capit. A multis*, *de ætat. & qualit.* &c. ubi Innocentius III. refert, quòd antè Urbanum I. ſolus Diaconatus, & Presbyteratus erant Ordines Sacri: puto tamèn, Textum voluiſſe proferre Urbanum II. non I. ut me docet Gloſſ. in *Capit. Miramur*, *de ſerv. non ordinand. lit. H.* Primum itàque Romanorum Pontificum, qui Subdiaconis continentiam ſervare præcepit, fuiſſe Leonem Magnum, patet ex ejus *Epiſt.* 88. *ad Anaſtaſium*, *Epiſcopum Teſſalonicenſ.* ubi, loquendo de Subdiaconatu, inquit -- Quod ſi in ordine, qui quartus eſt à capite (*ſcilicet Subdiaconatu*) dignum eſt cuſtodiri, quantò magis in primo, atque ſecundo, aùt tertio ſervandum? & notat Illuſtriſſimus Proſper Bottinus, Epiſcopus Myrrenſis fel. rec. Dominus, & Amicus meus chariſſimus in ſuo præclariſſimo Voto circa cauſam d. Comitis Franciſci Leopoldi Guilielmi de Slabatis, relato per Vincentium De Juſtis *loco ultimò allegato*, ubi eruditè advertens, hoc præceptum ſervandi caſtitatem, quo Subdiaconi afficiuntur, non fuiſſe in Eccleſia, præſertim Occidentali, antiquum, ſubdit, aliis citatis, poſse faciliùs Conſtitutum in Ordine Subdiaconatus diſpenſari ad matrimonium contrahendum. Ex quibus ſanè deducitur, Summo Pontifici, abſque ulla controverſia, jus competere diſpenſandi in impedimentis matrimonium de jure Eccleſiaſtico irritantibus: Secùs verò ſi ſermo ſit de matrimonii impedimentis, quæ ſunt de jure naturæ. Papam enim non poſse diſpenſare in jure naturali, ſeù divino, quamvis poſſit illud interpretari, locum non habere in aliquibus caſibus, tenent communitèr DD. poſt Covar. *p.* 2. *de ſponſ. c.* 6. §. 9. *n.* 3.

44 Diſ-

44 Difficultas, quâ Scribentium mens angitur, conſiſtit in impedimento ratione conſanguinitatis, vel affinitatis, tunc enim magna eſt controverſia, quiſnam ſit gradus de jùre divino naturali, in quo locum non habet Pontificia Poteſtas. Communior tamèn ſenſus eſt, primum gradum lineæ aſcendentis, & deſcendentis, nullatenùs Pontificiæ Poteſtati ſubjacere, & ſic Papam non poſſe diſpenſare, ut pater ducat filiam in uxorem; ut filius in ſui uxorem ducat matrem. Sic paritèr in linea tranſverſali; ut frater ducat in uxorem ſororem; cum hi duo gradus ſint juris divini, ut habetur in Levit. *cap.* 18. & tenet Gloſſ. in *Capit. Fyctacum, v. Sororis, cauſa* 30. *qu.* 3. *in capit. Literas, v. diſpenſare, de reſtit. ſpoliat.* Hoſtien. Specul. Navar. Molin. & alii innumeri, quos producit, & ſequitur Molſ. *loc. cit. num.* 23. animadvertentes, à Deo Optimo Maximo fuiſſe omninò denegatam hanc facultatem diſpenſandi in primo gradu lineæ aſcendentis, & deſcendentis; & conceſſam tantummodò facultatem ineundi hujuſmodi matrimonia, ubi lex naturalis ſtrictior urgeret in conſervando Genere humano, ut ſi ſoli Parentes, & filii ſuperſtites in Mundo eſſent. Ex qua doctrina cauſa enucleatur, per quam ab initio Orbis conditi Filii noſtri Primi Parentis matrimonium intèr ſe contraxerunt. Sic paritèr filii filiorum Noè poſt diluvium; lex enim naturalis eo tempore urgebat, ità fieri, nè Genus humanum ad nihilum redigeretur -- Si verò quiſpiam diceret, in monumentis Eccleſiaſticis legi, fuiſſe quandoque per S. Sedem Apoſtolicam diſpenſatum, ut frater duceret ſororem in ejus uxorem, reſpondebimus cum Sanchez *loc. cit. num.* 10. id contigiſſe, inſpectâ opinione plurimorum Doctorum aſſerentium, matrimonium intèr fratres, & ſorores dirimi, ſivè prohiberi tantummodò jure Pontificio: & quamvis hujuſmodi prohibitio fundetur in jure divino, ut in d. *capit.* 18. *Levit.* quo prohibetur matrimonium fieri in primo, & ſecundo gradu conſanguinitatis, & affinitatis: nihilominùs certum eſt de fide, Summo Pontifici competere Poteſtatem diſpenſandi in nonnullis ex diverſis gradibus, ut conſtat in Concilio Trid. *ſeſſ.* 24. *de Sacramento Matrimonii, can.* 3. -- Si quis dixerit,
„ eos tantùm conſanguinitatis, &
„ affinitatis gradus, qui in Levi-
„ tico exprimuntur, poſſe impedi-
„ re matrimonium contrahen-
„ dum, & dirimere contractum,
„ nec poſſe Eccleſiam in nonnul-

„ lis illorum diſpenſare, aùt con-
„ ſtituere, ut plures impediant,
„ & dirimant, anathema ſit.

45 Poſt Summum Pontificem, etiam Epiſcopo jure facultatem competere diſpenſandi in matrimonio, à ſe, vel à ſuo inferiore prohito, ratio manifeſta ſuadet, cum tollere illud impedimentum ex ſua voluntate dependeat, & probat Navar. in *Sum. cap.* 22. *num.* 25. cum aliis, aſſerentibus, poſſe Epiſcopum diſpenſare in omnibus illis impedimentis, quæ impediunt, ſed non dirimunt matrimonium (excepto Voto caſtitatis perpetuæ, & voto Religionis, quæ Summo Pontifici reſervantur) Quidquid dicant Sylv. *v. Votum* 4. *quæſt.*4. Navar. Angel. & alii, quos probat Sanchez, *lib.* 2. *de Matrim. diſp.* 40. *num.* 7. quoſque reprobare minimè audemus, arbitrantes, poſſe Epiſcopum diſpenſare, non obſtante voto caſtitatis, ad licitè contrahendum matrimonium, quando magnum urgeret periculum incontinentiæ, & acceſſus ad Papam foret moralitèr impoſſibilis ratione paupertatis, aùt quia grave eſſet periculum in mora; cum non ſit præſumundum, velle Summum Pontificem, cui onus incumbit ſalutem ſuarum Ovium procurandi, Ordinariis locorum interdicere facultatem, neceſſitate, atque juſtâ, & rationabili causâ interveniente, diſpenſandi, earumdemque Ovium neceſſitatibus ſpiritualibus ſubveniendi. Ultoriùs addunt prællegati Doctores, poſſe Epiſcopum, urgente neceſſitate, diſpenſare in majoribus impedimentis, quæ non ſolùm impediunt, ſed dirimunt matrimonium, ſi ſint juris Eccleſiaſtici, hiſce concurrentibus circumſtantiis, videlicèt, dummodò matrimonium ſit publicum, & impedimentum ſit occultum, tali modo, quòd nequeat detegi in foro exteriori; & ſcandalum rationabilitèr præſumatur in ſeparatione, & Summus Pontifex conſuli non poſſit: quo in caſu non cenſetur veriſimile, quod Summus Pontifex velit ſibi reſervare talem diſpenſationem: hujuſmodi enim reſervatio repugnaret Charitati, & ſuavi Eccleſiæ gubernio; præſertim ſi adſuerit bona fides in Contrahentibus matrimonium, quam circumſtantiam putant citati Authores prædictis fore addendam, cum Eccleſia velit, illos ſeparari abſque ſpe diſpenſationis, qui malâ fide auſi ſunt matrimonium contrahere; ut in Trid. *ſeſſ.* 24. *de reform. matrim. cap.* 5. Prætereà, nullo modo videtur credibile, intentionem eſſe Summi Pontificis, qui conſtitutus eſt ſupèr Gentes, ut evellat, & deſtruat, & diſpe-

diſperdat, Jerem. *cap.* 1. *verſ.* 10. favere iniquitati, & pernicioſę temeritati Contrahentium matrimonium cum mala fide, ſed potiùs illis omnem diſpenſationem denegare, ut valeant reſcipiſcere à malis, ità Ledeſm. Lopez, Sot. & alii apud Sanchez *loc.cit.num.*4. ſubdentes pro quiete Ordinariorum, bonam fidem, quæ meretur diſpenſationem, tunc intelligi, quando abeſt dolus, & ignorantia adeò craſsa, ut eſset ingens temeritas; eſtò adeſset omnis alia ignorantia.

46 Nemini, prætèr Summum Pontificem, Ordinarios, alioſque ſpecialitèr Delegatos, facultatem competere diſpenſandi in impedimentis ad matrimonium contrahendum, certum eſt privativè etiam quoad Regulares, quorum Confeſſarii poſſunt tantummodò vigore ſuorum privilegiorum in foro conſcientiæ diſpenſare in impedimentis ſupervenientibus matrimonio jam contracto in ordine ad petendum, & reddendum debitum. Siquidem S. Pius V. Ordini Prædicatorum indulſit, ut Confeſsarii illorum poſſint in foro conſcientiæ diſpenſare cum Sæcularibus intèr conjugatos, quorum alter ipſorum cum alterius conſanguinea adulterium commiſit, ad debitum conjugale petendum, ut habetur in Compendio Minorum, *tit. Diſpenſatio*, poſt adnotationem Capuccini; & Julius II. idem conceſſit Ordini S. Benedicti, ut legitur in Compendio Societatis Jeſu, *tit. Diſpenſatio*, §. 3. Idemque poſse Confeſsarios Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum, notat Alex. Peregrinus in Compendio noſtrorum privilegiorum, *tit. Diſpenſatio*, §.8. Andr. Molſ.in *Sum. p.*1.*Tract.*4. *cap.* 12.*n.* 41. *& ſeqq.* aliis relatis, admonet, quatuor documenta eſse in hac materia ad praxim deducenda. Primum, ut Confeſsarii Ordinum Regularium habeant ab eorum P. Generali facultatem utendi hujuſmodi privilegio cum Sæcularibus. Secundum, ut hujuſmodi Confeſsarii ſint ab Ordinario, juxtà formam Concilii Tridentini, approbati. Tertium, ut indulgentia hujus privilegii, ad cautiùs agendum, in Sacramento Pœnitentiæ diſpenſetur. Quartum denique, quando agitur cum his, qui poſt votum ſimplex caſtitatis matrimonium contraxerint, ut pœnitens ſuperſtes admoneatur, ne iterùm contrahat matrimonium abſque prævia diſpenſatione hujuſmodi impedimenti, ſecundum omnes, contrahere impedientis. Hæc dicta ſint obitèr in gratiam Confeſsariorum, necnon Pœnitentium.

X 2 §. VI.

§. VI.

Ad diſpenſandum, ut licitum, & validum ſit matrimonium, juſtam cauſam requiri, dubitat nemo.

47 SUpereſt modò aliquid innuere circa cauſas diſpenſationis, cùm extrà controverſiam ſit, diſpenſationem cujuſcunque, etiam Summi Pontificis, in jure divino naturali, ut in voto, vel juramento conceſsam abſque cauſa, eſse nullam, & invalidam: adeoque, ut validè fiat, juſtam cauſam deſiderari, ratio convincit; cum juſtè præſumi non poſſit, eam, rationi diſſonam, impertitam à Deo poteſtatem; undè causâ juſtâ deficiente, dicendum eſt, Deum hujuſmodi diſpenſationi minimè conſentire, ità edocentibus omnibus Theologis in 4. *diſt.* 18. cum D. Th. 2. 2. *qu.*88. *art.* 11. *ad* 2. cum cunctis Scribentibus in jus Canon. cum Gloſſ. in *Capit. Non eſt*, *v. Adimplere*, *de voto*.

48 Non omittimus hîc animadvertere, ad viam ſcrupulis, nec non litibus præcludendam, diſpenſationem Summi Pontificis in his, quæ ſunt de jure Eccleſiaſtico, factam ſine cauſa, eſſe validam ex mera voluntate ſuâ, à quâ ſola vim habet totum jus Eccleſiaſticum, eſtò ſic diſponendo, delinquat, ſeù peccet; cum teneatur cum juſta cauſa diſpenſare. Non eſſe tamèn mortalitèr peccaminoſam hujuſmodi diſpenſationem, dummodò abſit ſcandalum, & grave alterius præjudicium, conſtantèr arbitramur, duplici rationi innixi, nempè intrinſecæ, quia diſpenſare à ſola ſua voluntate dependet; & extrinſecæ, quia ſic ſentiunt innumeri DD. & inter eos, Innoc. in *Capit. Dudùm*, il ſecondo, *num.* 16. *verſ. Itèm & ſi Papa*, *de elect.* Abb. *in Capit. Non eſt*, *num.*8. *de voto*, Sylv. *v. Diſpenſatio*, *quæſt.* 3. *nu.* 5. Armilla, *v. Papa*, *num.* 12. Navar. *in Capit. fin. num.*4. *de Simon.* &c. omiſſis, brevitatis gratiâ, pluribus Theologis primæ claſſis, qui cerni poſſunt apud Sanchez, *lib.*8. *de matrim. diſp.*17. *num.*24.

49 Hîc operæ pretium eſſet perpendere, ſeù attentè reflectere, quæ

quæ ſint cauſæ juſtæ, & quot ſint, quibus Poteſtas, ſivè Pontificia, ſivè Epiſcopalis, ſivè Delegatoria, valeat in materia matrimoniorum, præcipuè in denuntiationibus, diſpenſare; ſed quia plurimæ ſunt ab Authoribus relatæ; meique calami exilitati nunquàm placuit aliorum ſcripta tranſcribere; ideò meum benevolum Lectorem ad ipſos, & intèr cæteros, ad Sanchez, *l.3. de matr. diſp.9.* & alibi, & ad Vincentium De Juſtis, de diſpenſationibus matrimonialibus, eas diſtinctè, prolixèque referentes, remitto, propoſiti capitis explicationem proſequuturus, judicium Habentis juriſdictionem, ſivè ordinariam, ſivè delegatam, in cauſis matrimonialibus cautè proferendum, concernentis.

§. VII.

Nùm cognitio cauſæ diſpenſationis matrimonialis debeat eſſe judicialis, an extrajudicialis, diſſeritur.

50 INnuimus ad diſpenſandum in materiis matrimonialibus juſtam cauſam deſiderari, quod etiam probat Menochius, *conſ.69. num.62. & 63.* Enriq. *lib.11. de Matrim. cap. 5. n.5.* cum aliis; aliàs delinquere Ordinarium, ſivè Delegatum abſque legitimâ causâ diſpenſantem. Nunc ſubdimus, cognitionem hujus cauſæ exigi, aùt judicialem, ut probabilitèr tenent multi, aùt extrajudicialem, ut alii probabiliùs docent: ſiquidèm Concilium Tridentinum, *ſeſſ.24. de Matrim.cap.1.* præſcribendo denunciationes ante Conjugium faciendas, id remittit non liberæ voluntati Ordinarii, ſed ejus judicio, & prudentiæ -- Niſi Ordinarius „ ipſe expedire judicaverit, ut „ prædictæ denuntiationes remit- „ tantur, quod illius prudentiæ, „ & judicio Sancta Synodus relinquit: quæ verba importare arbitrium, non quomodocunque, ſed prudentiale, & ratione directum, docet cum multis Menoch. *de arbitr. jud. lib.1. qu.8. num. 26. & ſeqq.* idque patet ex definitione diſpenſationis ſuprà productâ; nempè quòd diſpenſatio eſt juris relaxatio, cum cauſæ cognitione facta.

51 Dixi

51 Dixi hanc cognitionem, ſecundùm multos, requiri judicialem; quia hæc diſpenſatio reſpicit utrumque forum; & ideò petit informationem, ſaltèm ſummariam, cauſæ pro foro externo; aliàs nullum eſſet diſcrimen intèr eam, & diſpenſationem pro ſolo conſcientiæ foro, quæ etiam occultam cauſæ cognitionem expoſcit. Additur doctrina Bart. in *l. Itèm, ſi ſuſpectus ſit, ff. de Proc.* Alciati, alios referentis, *de præſumpt. reg.3. præſumpt.9. num.27.* qui dicunt, lege aliquid faciendum ex cauſa præſcribente, cauſam illam indigere probatione; ſubduntque, cauſam ſuſpicionis judicis eſſe probandam: & ideò conſequens eſt, cùm Ordinario conceditur facultas diſpenſandi ex legitima cauſa, illam judicialitèr eſſe probandam.

52 Dixi paritèr ſecundùm alios, quibus adhæreo, ſufficere probabiliùs cognitionem cauſæ extrajudicialem, nempè ſatis eſſe, ſi Ordinarius, aùt Delegatus extrajudicialitèr informetur, certiorque fiat de causâ ad licitè diſpenſandum. Fundamentum hujus ſententiæ ſunt verba Trid. ſupra relata -- Niſi Ordinarius, &c. quibus prudentiæ, & judicio Ordinarii relinquitur perpendere, an expediat diſpenſare in denuntiationibus, juxtà Partium petitionem, adſitque legitima cauſa; Judicium enim, & conſcientiam idem eſſe, cùm de utroque dicatur, eſſe mentis dictamen, docet D. Th. 1. 1. *qu.79. art.13. ad primum*. Atqui neceſſariam minimè eſſe probationem judicialem, probat Tex. in *Capit. inappellationis cauſa, de juram.calum. v.In omnibus, in 6.* ibi: Poteſt Judex à Partibus exigere juramentum malitiæ, quotiès viderit expedire, ubi Jo: Andr.cum aliis, inquit: In tantùm hoc relinquitur viſioni, & arbitrio Judicis, ubi hæc, vel ſimilis clauſula apponitur, nulla probationis neceſſitas imponitur: Et in *Capit. Statutum, verſ. Aſſeſſorem, de Reſcript. in 6.* ibi (Niſi eo indigeat, quod conſcientiæ relinquatur ejuſdem) ſibi nequaquam adjungat, ubi Gloſſ. *v. Relinquatur*, ait, cum conſcientiæ relinquatur ejuſdem: Ergò ſolus Deus hoc, & nullus alius Judex, vel cognitor: Et ibi juris Interpretes inquiunt: Notandum ex Gloſſ. ſingulari, ubicunque aliquid committitur conſcientiæ alicujus, non eſſe neceſſariam aliam probationem, vel citationem partium; cum ſufficiat probatio, quam ſolùm Judex habet ſinè ordine, & figura judicii, & ſinè teſtibus in forma judicii jurantibus.

53 Ordinarius igitùr, aùt Delegatus, alterutram ſequens ſententiam,

tiam, ſeù quomodocunque noſcat cauſam eſſe legitimam, ſi judicet eſſe diſpenſandum, & diſpenſat, valida erit diſpenſatio, & laudabile ejus erit judicium.

54 Celebris eſt intèr Theologos controverſia, nùm, exiſtente causâ juſtâ diſpenſandi ſivè in denunciationibus, ſivè in aliis rebus, teneatur ſub pœna peccati Ordinarius, vel Delegatus, petentibus ſubditis, diſpenſare. Noſtra reſponſio eſt affirmativa, quando diſpenſatio eſt debita; & debita judicatur, quotiès adeſt utilitas, aùt neceſſitas publica, ut quia vitatur ſcandalum, aùt Eccleſiæ perturbatio præpeditur; aùt alia publica utilitas ità depoſcit. Nobis aſſiſtit Tex. in *Capit. Quanto, in fin. cauſa 2.q.5.* ubi Gregorius III. ait -- Quia „ ſicut in contumacia perſiſtentibus ſeveros nos eſſe convenit; „ ſic humiliatis, & pœnitentibus locum veniæ negare non debemus; & in *Capit. Fraternitatis, Diſt.* 34. ubi Pelagius Papa admonet Epiſcopum Florentinum, causâ legitimâ ſubſiſtente, eſſe cum quodam Diacono diſpenſandum. Ergo quando adeſt juſta causa, tenetur Ordinarius Petentibus diſpenſationem, eis indulgere. Præthereà, negari non poteſt, uſum poteſtatis Prælati eſſe quoddam bonum publicum, & ad bonum ſubditorum ordinari; & Prælatum eſſe quaſi illius boni diſtributorem: Ergo vi juſtitiæ diſtributivæ obſtringitur illis diſtribuere ſecundùm merita cauſæ uniuſcujuſque ſubditi: Ergo causâ juſtâ exiſtente, ſi negat diſpenſationem petitam à ſubdito, peccat contrà juſtitiam diſtributivam: & præſertìm ſi exiſtentibus eiſdem cauſis, cum uno diſpenſaret, & alteri denegaret diſpenſationem; tunc enim eſſet acceptor perſonarum, & ſic iniquus, uti violator juſtitiæ diſtributivæ; nàm perſonarum acceptationem, quæ opponitur juſtitiæ diſtributivæ in ſolis debitis ex hac juſtitia, committi fatentur omnes cum D. Th. 2. 2. *quæſt.* 63. *art.* 1. *ad* 3. Ergo Epiſcopus peccat non diſpenſando, ſi adeſt ratio diſpenſandi. Sic docent, intèr cæteros, Gloſſ. in *Capit. Domino Sancto, v. Neceſſe, diſt.* 50. & ibi Cardin. Turrecrem. *num.* 9. Ant. in *Capit. At ſi Clerici*, §. *de adulteriis, num.* 12. *in fin. de judiciis*, & ibi Cardin. *num.* 2. & Alex. de Nævo, *num.* 29.

55 Circumſtantiæ, ſeù conditiones, quibus meum affirmativum reſponſum limitatur, oſtendunt, me ſentire, non ſempèr causâ juſtâ exiſtente, diſpenſationem eſſe debitam, ſed quandoque eſſe debitam, ſi ul-

ultrà cauſam juſtam, concurrunt conditiones expoſitæ; & quandoque gratiam, ſivè gratuitam, ut punctualitèr ſuggerit Text. in *Capit. Licèt Canon. in fin. de elect. in 6.* ibi -- Poſſit Ordinarius gratiam diſpenſationis ad tempus facere, proùt cauſa rationabilis id expoſcit: & in *Capit. Didici, in fin. cauſa* 1. *qu.* 7. ibi -- Diſpenſationis enim gratia eget negotium multum: & in *Capit. Apoſtolicæ, in fin. de Cleric. excomm. Miniſtrante*, ibi -- Proptèr quod diſpenſationis gratia egeatis; à quibus textibus patet non ſemper eſſe debitam diſpenſationem. Additur, non quidquid Poteſtati Judicis permittitur, id juris neceſſitati ſubiici, *l. Non quicquid* 40. *ff. de judiciis*, & notat Gloſſ. in *Capit. Conſuluit*, *v. Gratiam, de offic. Deleg.* Hos Textus loqui, quando eſt juſta cauſa, non videtur negandum, aliàs non eſſet gratia, & miſericordia, ſed diſſipatio; undè fateri cogimur, diſpenſationem ex juſtâ causâ non ſempèr debitam eſſe: nobis favet Gloſſ. in *Capit. Exigunt*, in princip. *cauſa* 1. *quæſt.* 7. & Abb. in *Capit. Conſilium*, *num.* 4. *de obſerv. jejun.* & aliquando eſſe debitam, ut tenet Archid. in d. *Capit. Licèt canon. verſ. Gratiam, in 6.* Turrecrem. in *Capit. Ut controvertitur*, *num.* 9. & 10. *diſt.* 10. cum aliis. Ordinarius itàque, vel Delegatus, aliquo ſibi propoſito diſpenſationis caſu, ut cautiùs, tutiùſque procedat, animadvertere debet, non tantùm an adſit rationabilis cauſa, ſed etiam, an ſint præexpoſitæ circumſtantiæ, ſivè conditiones, debitam reddentes poſtulatam diſpenſationem; an aliæ conditiones, & circumſtantiæ illam intèr limites gratiæ, & miſericordiæ relinquentes, aùt conſtituentes.

56 Non minùs celebris intèr Canoniſtas, quàm ſit præfata intèr Theologos, inſurgit controverſia, nùm Ordinario, vel Delegato, nolente diſpenſare, quando juſta exiſtit cauſa diſpenſationis, ſit locus appellationi ad Superiorem, nempè, ſivè ad Metropolitanum, ſivè ad Summum Pontificem. Hæc controverſia fundatur in verbis Trid. *ſeſſ.* 24. *de Matrim. cap.* 1. ubi diſpenſatio committur prudentiæ, & judicio Ordinarii; ubi verbum *prudentiæ*, ut volunt juris Interpretes, denotat arbitrium, & verbum *judicio*, explicat Conſcientiam, quæ debet in quovis ſuo motu juſtitiam ſervare. DD. in hac materia valdè intèr ſe diſcrepant, pluribuſque utuntur diſtinctionibus, quæ non modicam videntur parere confuſionem. Aliqui enim dicunt, locum minimè dari appellationi,

quando

quando diſpenſatio non eſt debita, ſed ſolùm gratuita, Felin. in *Capit. Supèr his, de accuſ. nu.*12. *verſ. Quintò, limita, &* *num.* 13. *verſ. Sextò, limita*, Bald. in *l. Quicunque, num.*17. *verſ. Quarto caſu, Cod. de ſerv. fugit.* & alii huic fundamento nixi, quia Ordinarius negans, quod poteſt facere, ſed non tenetur, injuſtitiam non admittit, nec gravamen infert. Alii appellationem admittunt quoad effectum devolutivum, quia devolvitur cauſa ad Superiorem, qui poteſt compellere inferiorem ad diſpenſandum, Gloſ. in *Capit. Romana*, §. *Si autèm, v. Mandetur, de appell. in* 6. non autèm quoad effectum ſuſpenſivum, nolentes per eam appellationem ſuſpendi juriſdictionem Judicis, volentis, eà non obſtante, ſuam ſententiam executioni mandare, d. Gloſſ. ibid. Alii negant, appellationem admitti per viam juſtitiæ, ſed concedunt per viam ſupplicationis, & miſericordiæ; cum poſſit Superior ex miſericordia admittere, & emendare, quod ab Inferiore incautè, aùt minùs rectè geſtum fuit, ità Bald. in *Capit. Si Sacerdos, num.*4. *de offic. ordin.* Anan. in *Capit. Significaſti*, il primo, *de homic.* cum aliis.

57 Hiſce, aliiſque omiſſis, quas tamèn veneror, opinioninibus, ab omni prolixitate, & confuſione ſempèr abhorrens, brevitati, & claritati ſtudens, arbitror in duobus tantùm caſibus per viam juſtitiæ locum dari appellationi; 1. quando jus ex aliquâ cauſâ præcipit diſpenſari, & Judex recuſat hujuſmodi juri parère, ſeù denegat diſpenſationem; tunc poſſe appellari quoad effectum devolutivum, & ſuſpenſivum, patet ex terminis, cùm ille, cui debet diſpenſatio favere, actionem habeat ex præcepto legis, ut ſecum diſpenſerur, Felin. in *Capit. Exceptionem, num.* 6. *de except.* 2. ſilente quidem jure, remiſsâ conſcientiæ Ordinarii diſpenſatione, an expediat diſpenſare. Si talis adſit cauſa, ut teneatur diſpenſare, ut puta, ſi ageretur de ſcandalo prævifo removendo, de publico præjudicio vitando, de impedimento malitioſo impediendo, de rixis, diſſentionibus, homicidiis, aliiſque malis publicæ, vel privatæ quieti Animarum, vel corporum ſaluti adverſantibus, reparandis; tunc de juris rigore admitti appellationem, non dubitamus, per Tex. in *Capit. Licet, & ſeqq. cauſa* 2. *quæſt.*6. ubi apertè dicitur, licere gravato ſe appellanti, vitiatam cauſam remedio appellationis ſublevare. Ratio, in jure fundata, manifeſtè convincit; ſiquidèm appellatio dicitur proclamatio, ſeù potiùs

recurſus à minori Judice ad majorem cauſâ iniqui gravaminis, vel injuſtæ ſententiæ, *l. Præfecti, ff. de Minor.* 25. *an. l.* 1. *ff. A quibus appell. non licet.* Quippè, quando adeſt juſta cauſa, juxtà modum ſupra explicatum, diſpenſandi; aùt ex aliquo titulo jus præcipit diſpenſationem, & Ordinarius non vult diſpenſare, ille, cum quo diſpenſandum eſt, injuſtè gravatur; Jus, cui non paretur, petitâ diſpenſatione gravitèr læditur. En injuſtum gravamen. En manifeſta injuſtitia: En juſtus titulus appellationis ab Ordinario ad Metropolitanum, juxtà Textum punctualem in *Capit. Placuit*, il primo, & ibi Turrecr. *cauſa* 2. *q.* 6. ubi Julius Papa I. ait — Placuit, ut
„ à quibuſcunque Eccleſiaſticis
„ Judicibus ad alios Judices Ec-
„ cleſiaſticos, ubi eſt major au-
„ thoritas, provocatum fuerit, au-
„ dientia non negetur: præcipuè verò quando agitur de appellatione ad Summum Pontificem; cum omnes poſſint ad Romanam Eccleſiam appellare, ut habetur in *Capit. Ad Romanam*, il ſecondo, *cauſa* 2. *q.* 6. ubi dici
„ tur-Ad Romanam Eccleſiam ab
„ omnibus (maximè tamèn ab
„ Oppreſſis) eſt appellandum, &
„ concurrendum quaſi ad ma-
„ trem, ut ejus uberibus nutrian-
„ tur, authoritate defendantur; à
„ ſuis oppreſſionibus releventur,
„ quia non poteſt, nec debet ma-
„ ter obliviſci filium ſuum.

58 De cauſa autèm appellationis cognoſcere, ad eum tantùm ſpectare, ad quem appellatur, dicit Tex. in *Capit. Decreto*, *cauſa* 2. *quæſt.* 5. An juſtis concurrentibus cauſis, teneatur Ordinarius diſpenſare in denuntiationibus, nullâ pœnâ, aùt mulctâ pecuniæ impoſitâ; & ipſo nolente indulgere, poſſit ab ipſo appellari; vel ſine ejus licentiâ, injuſtè negatâ, vel quia ipſe non poteſt adiri, contrahi matrimonium, omiſſis denunciationibus, videatur Sanchez, *lib.* 3. *de matrim. diſp.* 10. ubi hanc materiam prolixè, eruditè, & clarè diſcutit, & reſolvit.

§. VIII.

§. VIII.

Intèr cauſas matrimoniales, majorem difficultatem ſecùm adferentes, illæ ſanè reputantur, quæ Infidelium ad fidem converſorum, matrimonia concernunt, in terris Fidelium contracta in infidelitate cum impedimentis juri naturali, necnon Eccleſiaſtico repugnantibus; propterea ab Ordinariis, aùt Delagatis majori diligentia inſpiciendæ, ut tutiorem valeant ſuam proferre ſententiam.

59 NOn me latet intèr Infideles matrimonium eſſe verum, licèt imperfectum, ſeù eſſe matrimonium, ut eſt officium naturæ, non ut eſt Sacramentum, quod habetur in *Capit. Gaudemus, de divort.* & alibi; & tradunt Doctores, quos probat Ricc. in *ſua Prax. matrimoniali, deciſ. 264. num. 1.* Scio enim matrimonium Infidelium eſſe verum, quia omnes fatentur, illud eſſe de dictamine legis naturæ, quæ communis eſt apud omnes, & conſequentèr etiam apud Infideles. Inſupèr, quia matrimonium ſic definitur: Eſt maris, & fœminæ conjunctio individuam vitæ conſuetudinem retinens; & hoc eſſe intèr infideles non eſt ambigendum. Scio paritèr hujuſmodi matrimonium eſſe imperfectum, ſeù eſſe intèr Infideles, prout eſt inſtitutum in officium naturæ, non autèm prout eſt Sacramentum. Infideles enim ſunt incapaces Sacramenti, cum Baptiſmus, quo ipſi privantur, ſit omnium Sacramentorum janua: Deìn, quod eſt prius poteſt eſſe ſinè poſteriore; matrimonium verò, ut eſt in officium naturæ, eſt prius ſe ipſo, ut eſt Sacramentum; fuit enim matrimo-

nium à Deo in lege naturæ immediatè inſtitutum ut officium naturæ, & à Chriſto Domino fuiſſe inſtitutum in lege Evangelica hoc Sacramentum, nos edocet Fides: ideòque matrimonium Infidelium eſſe tantummodò contractum humanum, & impropriè appellari Sacramentum, quatenùs ſcilicèt aliquo modò deſignat unionem Chriſti cum Eccleſia, advertit Molf. in *Sum. p.* 1. *tract.*4. *cap.*6. *num.*24.

60 Nec inſupèr me latet, matrimonium intèr diſpares cultu, ſeù intèr fidelem, & infidelem eſſe irritum, quod omnes Theologi, ac juris utriuſque Interpretes abſque controverſia fatentur; irritum, inquam, non aliquo jure naturali divino, aùt divino poſitivo, ſed ſolùm jure Eccleſiaſtico; cum conjunctio fidelis cum infideli minimè adverſetur fini matrimonii, qui eſt prolis procreatio; & ideò in lege naturæ nonnulla hujuſmodi matrimonia inita reperiuntur; ut fuit illud Jacob cum filiabus Laban Ethnici, *Gen. cap.* 29. illud Joſeph cum Ægyptia Putipharis filia, *Gen.*41. illud Moyſis cum filia Jetro Æthiopiſſa, *Exod.cap.*18. In lege verò ſcripta fuit illud Eſther cum Aſſuero, *Eſther cap.*2. illud Salomonis cum filia Pharaonis, *Reg.*3.*cap.*3. Demùm in lege Evangelica hujuſmodi matrimonia frequentiſſimè extitiſſe, teſtantur S.Hieronymus, *lib.* 1. *in Jovinianum*, S.Auguſtinus, *lib. de fide*, *&* *operibus*, *cap.*19.qui *lib.*9.*Confeſſ.cap.*9. notat, quòd Monica ejus mater nupſit Pagano. Scio hujuſmodi matrimonia eſſe irrita jure Eccleſiaſtico, ut conſtat ex *Capit. Cave*, *Capit.Non oportet*, *Capit. Si quis Judaicæ*, *capit. Judæi*, *cauſa* 28. *quæſt.*1. ubi dicitur, Fideles Infidelibus non eſſe conjugio copulandos.

61 Me demùm non latet, cauſas matrimoniales, quando agitur de matrimonio intèr infideles contracto in ditione Principum fidelium, ſpectare non ad Ordinarium, ſeù ad Iudicem Eccleſiaſticum, ad quem privativè deferri cauſas matrimoniales fidelium, eſt fide, ut in Trid. *ſeſſ.* 24. *de matrim. can.* 12. ſed ad Iudicem ſæcularem; quia matrimonium initum intèr infideles eſt contractus merè temporalis, ſolam juriſdictionem ſæcularem reſpiciens; ſiquidèm, cum Infideles ſint extra Eccleſiæ gremium, nulla juriſdictione intèr eos gaudet Eccleſia; & ſucceſſivè Conſtitutionibus Pontificiis minimè arctantur, ut expreſsè fatetur Innocentius III. in *Capit Gaudemus*, *de divort.* producto Apoſtoli teſtimonio 1. *Cor. cap.*5. *Quid enim mihi de*

jis,

jis, qui foris ſunt, judicare? Undè ſivè agatur de validitate, aùt invaliditate matrimonii, ſivè de divortio ratione adulterii, aùt ſævitiæ, aùt alterius accidentis, nullo modo eſt Iudex Eccleſiaſticus adeundus, ſed ſolùm ſæcularis, qui reſpectu infidelium eſt competens.

62 Aſſero itàque, majorem diligentiam eſſe ab Ordinariis adhibendam in cauſis matrimonialibus, quando agitur de matrimonio infidelium ad fidem converſorum, contracto cum impedimentis juri naturali, aùt canonico repugnantibus; dum erant in infidelitate, quæ ſunt ſequentes.

63 Si contingat, alterum conjugum ad fidem redire, & conjugem infidelem agere ad divortium, vel ad nullitatem matrimonii; eumque convenire coram Iudice ſæculari; ſciat Ordinarius, aùt Delegatus, ſeù Iudex Eccleſiaſticus, cauſam hanc, diligentiſſimè examinandam, ad ſuum ſpectare Tribunal; cum Actor ſempèr debeat ſequi forum Rei, *Capit. Si Clericus*, & *Capit. Cum ſit generale, de for. compet.* Infidelis enim ad fidem converſus eſt de gremio Eccleſiæ, quæ facta eſt Iudex competens ipſius. Si verò Conjux fidelis ageret contra Conjugem infidelem ad ſeparationem ſivè divortio, ſivè diſſolutione matrimonii, tunc cauſam eſſe deferendam ad Iudicem ſæcularem, qui eſt ejus Iudex, ex ejuſdem allegatis Canonibus liquidò conſtat. Si eveniret, neutrum agere, ſed Amicum, vel Parentem titulo prætenſæ invaliditatis matrimonii, vel neceſſarii divortii; tunc judicium eſſe faciendum coram Iudice Eccleſiaſtico, non dubitamus; cum ordo naturæ, & diſpoſitio jurium exigat, ſivè mandet, Dignius ad ſe trahere minùs dignum, *l. Quæ Religioſis, ff. de rei vendic. Capit. Non æſtimemus, cauſa* 13.*q.*2. Quippè fatendam eſt, dignius eſſe matrimonium ex parte fidelis, in quo matrimonium habet quoddam eſſe ſpirituale, & ſucceſſivè ejus cauſam fore agitandam coràm Iudice Eccleſiaſtico. Ità etiam arbitratur Sanch. *de Matrim. lib.* 7. *diſp.*3. *num.* 10. Molſ. *in ſum. p.*1. *tract.* 4. *cap.* 16. *num.* 14. cum aliis.

64 Si judicium excitetur ad diſſolutionem nuptiarum viri fidelis cum fœmina hæretica, vel apoſtatâ, & viceverſâ uti ſequutarum abſq; diſpenſatione, contra Sacrorum Canonum diſpoſitionem, diſtinguendum eſt intèr nuptias ſequutas, & ſequendas, intèr nuptias invalidas, & illicitas. Scimus quidèm, Eccleſiam, ſeù Sacros Canones interdicere hujuſmodi

nuptias

nuptias proptèr periculum fidei, imminens conjugi catholico, & proli naſcituræ, *Capit. Non oportet*, *Capit. Cave*, *cauſa* 28. *qu.* 1. ſed has nuptias contractas, ſivè ſequutas non irritari, probat Tex. in *Capit. Decrevit*, *de hæreſ. in* 6. nec unquàm fuiſſe irritas ab Eccleſia declaratas, inſpecto charactere Baptiſmi, ab Hæreticis retento, quamvis verâ fide dimiſsâ, notant innumeri Authores, intèr quos D. Th. in 4. *diſt.*39. *qu.unic. art.*1. *ad* 5. & noviſſimè Rota in *Monaſterien. Matrimonii*, 5. *Decembris* 1696. §. *Nec ex eo*, *coràm Eminentiſſimo Caprara*, & colligitur ex Trid. *ſeſſ.* 24. *de reform. matrim. can.* 5.

65. Non me turbat *Canon.* 72. Sanctæ Synodi generalis, qui intèrdicit Orthodoxo matrimonium inire cum Hæretica, & Hæreticæ cum Orthodoxo, jubens, contractum tanquàm nefarium conjugium, diſſolvi; nàm producti Authores aſſerunt, hujuſmodi canonem non eſſe de numero eorum Canonum, quos illa Synodus edidit, ſed eſſe ex ſuppoſitis, aùt ex corruptis ab Hæreticis, & falsò tribui ſextæ Synodo; & ſucceſſivè authoritate Concilii nequaquam pollere. Imò Sextam Synodum nullos Canones edidiſſe, conſtat ex Septima Synodo, *Act.*4. & 5. undè Canones Sextæ Synodi, qui Trullani appellantur, eò quòd apud Trullum Palatium regium editi ſint, non eſſe authenticos, nec Eccleſiaſticâ pollere authoritate, nec editos eſſe à Concilio, ſed à quibuſdam Epiſcopis, poſt illius diſſolutionem, nec ab ullo Romano Pontifice approbatos, ſed improbatos à Sergio, illo tempore regnante, ſcribunt Beda, *lib. de ſex ætatibus*, *in Juſtiniano*, & Paulus Diac. *lib.*8. *de reb. Rom. cap.* 9. Canones d. Synodi non eſſe authenticos, & falsò ei adſcribi, notant Anaſtaſ. Theophan, & Umbertus, quos producit Simancas, *de Catholic. Inſtit. tit.* 40. *num.*38. Idem aſſerunt alii plerique. Poſſumus etiam dicere nomine hæretici in dicto Canone ſignificari Infidelem, de quo loquitur Apoſtolus 1. *ad Cor. cap.* 7. ad cujus verba alludunt verba ejuſdem Canonis, ſivè veri, ſivè ſuppoſiti. Præterquàmquod nullibi declaratur, matrimonium initum intèr Orthodoxum, & Hæreticam, & è contrà, eſſe irritum; nec praxis, ſeù uſus Eccleſiæ oſtendit, id non valere, imò valere uſus Eccleſiæ demonſtrat, ſiquidèm ferè omnes antiqui, & Neoterici validum eſſe teſtantur; cum contrarium, nemine dubitante, aſſerant de matrimonio Fidelis cum Infideli. D. Th. *loc. cit.* Albert. Mag.

in 4.

in 4. *diſt.* 39. *art.* 4. S. Bonav. ibi, *art.* 1. *qu.* 1. Caejt. in *ſum. v. Matrimonium*, *cap.* 1. *imped.* 6. S. Ant. 3. *p. tit.* 1. *cap.* 6. *notab.* 2. & alii innumeri, tùm Teologi, tùm Juriſperiti.

66 Diximus, eſſe diſtinguendum intèr invalidum, & illicitum, ut ex hac diſtinctione intelligatur, non repugnare, matrimonium eſſe illicitum, ſed validum. Concedimus itàque, matrimonium viri Orthodoxi cum Hæretica, vel apoſtatâ, & è contra, eſſe illicitum, & ſic involuere malitiam peccati mortalis, ſecundùm Sot. 4. *diſt.* 39. *qu. unic. art.* 2. *ad ult.* Navar. in *Sum. Hiſp. cap.* 22. *n.* 49. Petr. de Ledeſm. *de Matrim. qu.* 59. *num.* 1. *ad fin.* Sà, *v. Matrimonium*; & alios plures, cum opponatur juſtiſſimo Eccleſiæ præcepto, hujuſmodi matrimonia interdicentis proptèr periculum fidei imminens conjugi Catholico, & filiis naſcituris, ut conſtat ex Concil. General. Calcedonenſi, *Can.* 13. & Concil. Eliber. *Can.* 16. & Laodicen. *Can.* 10. & 31. & Carthaginenſi III. *Can.* 12. & Agathenſ. *Can.* 67. relat. in *Capit. Non oportet*, *cauſa* 28. *q.* 2.

67 Non omittimus tamèn adnotare, hujuſmodi matrimonia, in aliquibus Regionibus, in quibus Hæretici minimè denuntiati manent Catholicis permixti, ut in Germania, Polonia, & olim in Gallia, &c. permitti, & licita judicari hac conditione, dummodò perſona Orthodoxa contrahens cum Hæretica, liberè, & abſque periculo perverſionis permittatur in fide permanere, & id quidèm ex conſuetudine receptâ, & ab Eccleſia tolerata, ob legum amicitiæ retentionem, communiſque pacis, ac Reipublicę utilitatis conſervationem, & advertit Molſ. in *Sum. p.* 1. *tract.* 4. *cap.* 10. *num.* 62. At opinio hæc, & doctrina, tantummodò in gratiam Eruditorum relata, mihi nequaquàm placet.

68 Infidelem, qui plures habet uxores, converſum ad fidem, eſſe ab omnibus illis ſeparandum, exceptâ primâ, quæ ſola eſt legitima uxor, expreſsè mandat Innocentius III. in *Capit. Gaudemus*, *de divort.* cum uxorum pluralitas non ſolùm juri Eccleſiaſtico, ſed etiam naturæ adverſetur, ut notat Sanch. *de Matr. lib.* 7. *diſp.* 73. *num.* 5. Difficultas conſiſtit, nùm legitimâ uxore renuente converti, liceat marito converſo prius illud matrimonium dirimere, & ad alias nuptias tranſire, ſeù quamcunque aliam ad fidem converſam, aùt aliam perſonam Orthodoxam ducere. Scio, pleroſque primitivę Eccleſiæ tempus inſpicientes, fideli permittentis habitare cum infideli

fideli volenti habitationem abſque Dei contumelia, & ſine pertractione ad peccatum, negativè reſpondere, & eorum reſponſum eſſe probabile. Contrarium tamèn, quod verius exiſtimo, libentèr amplector; ità me edocentibus Turrec. in *Capit. Judæi*, §. *Ad tertium*, *cauſa* 28. *quæſt.* 1. Sot. in 4. *diſt.* 39. *qu. unic. art.* 4. *col.* 3. *verſ. Eſt tamen hìc*, Sà, in *ſum. v. Matrimonium*, ubi *de imped. dirim. num.* 8. *verſ. Converſus ad fidem*, Barth. à Ledeſm. *de Matrim. dub.* 56. poſt ſecundam concluſionem, & aliis multis, adhærentibus teſtimonio Apoſtoli, 1. *Cor. cap.* 7. *verſ.* 15. admonentis, Fidelem non eſſe ſubjectum ſervituti prioris matrimonii; & conſequentèr liberum ad aliud ineundum, infideli diſcedente, aùt converti reſpuente. Patet, infidelem, nolentem converti, dici reverà recedere, & fidelem relinquere, aùt eam habitationem eligere, quæ modò fideli interdicitur, & conſequentèr integrum eſſe Fideli ab hoc matrimonio per juridicam diſſolutionem recedere, & ad alias nuptias tranſire: & in hoc ſenſu allegata Apoſtoli verba intelligit S. Ambroſius, relatus in *Capit. fin. cauſa* 28. *quæſt.* 2. quem textum nonnulli S. Gregorio adſcribunt, ſed malè: intelligit etiam Innocentius in *Capit. Quanto*, & *Capit. Gaudemus*, *de divort.* intelligunt ferè omnes Sacrarum Literarum Interpretes, præſertìm Abulenſ. in 1. *Reg. cap.* 8. *q.* 32. S. Bonav. in 4. *diſt.* 39. *art.* 2. *quæſt.* 2. & alii plures, aſſerentes, hujuſmodi matrimonium diſſolvi ex privilegio Chriſti, id in fidei favorem concedentis.

69 Ex traditis infertur, in contingentia ſimilium cauſarum, licere quidèm Judici Eccleſiaſtico in ſuo proferendo judicio ſequi ſententiam tàm negativam, quàm affirmativam, rectiùs, tutiùſque tamèn agere, ſeù judicare, ſi affirmativæ, uti veriori, & probabiliori, adhæreat.

70 Poſſe Eccleſiam impedimenta, matrimonium dirimentia, fidelibus ſtatuere, adeòut matrimonium, contrà hujuſmodi inſtitutionem contractum, ſit irritum, Fides Catholica docet; id enim conſtat ex multis Pontificum, & Conciliorum decretis, præſertìm Trid. *ſeſſ.* 24. *de Matrim. Can.* 3. & 4. ubi hæc veritas ſtabilita reperitur. Non poſſe tamèn Eccleſiam hujuſmodi impedimentum ſtatuere Infidelibus, communis eſt Doctorum ſenſus: Infideles enim ſunt extra gremium Eccleſiæ; quapropter non poteſt Eccleſia adversùs eos ſuam exercere poteſtatem, ut exprimit Textus in dicto *Capit. Gaudemus*, *de divort.*

71 Im-

71 Impedimentum dirimens matrimonium eum incurrere in pœnam delicti, qui occidit Maritum, animo uxorem ejus in matrimonium ducendi; & ipsâ in Conjugis mortem conſentiente, ſeù conſilio, aùt mandato cooperante, conſtat ex *Capit. Supèr hoc, de eo, qui duxit in matrim. & capit. 1. & capit. Significaſti, eod. tit. & capit. 1. de converſ. infid.* & id quidèm, ut caveatur ſpe contrahendi matrimonium machinatio mortis alterius Conjugis, quæ intèr enormiſſima, & crudeliſſima crimina enumerantur; cum illud arctiſſimum, & ſummum diſſolvat amicitiæ vinculum, quo uterque Conjux devinciri debet. Allegatis Canonibus, hujuſmodi impedimentum præſcribentibus, non obſtat exemplum Sanctiſſimi Davidis, qui Bethſabee, Uriæ uxorem, duxit cum ejus virum interfici juſſerit, à Luthero, & Philippo Melanchthone ineptè productum ad infirmandam Eccleſiæ poteſtatem; nàm tunc minimè erat hoc impedimentum ab Eccleſia ſtatutum. Huic aliud obitèr addendum duco impedimentum matrimonii in caſu noviſſimè deciſo à Sac. Congr. Concilii in Salernitana Matrimonii, quæ eſt ſingularis, 22. Septembris, 1708. confirmatâ 11. Januarii, 1710. & eſt contrahens matrimonium cum diſpenſatione Summi Pontificis, & illud conſummans; deindè impugnando validitatem diſpenſationis, obtinet declarari, illam fuiſſe ſubreptitiam, & matrimonium nullum, non poteſt toto tempore ſuæ vitæ cum alia fœmina matrimonium contrahere.

72 Dubium itàque, quo Theologi, & Canoniſtæ enixè agitantur, eſt, quando occiſor eſt infidelis, & fidelis uxor mariti occiſi, in cujus necem eſt cooperata cum promiſſione ipſum, ſequutâ morte Mariti, in matrimonium ducendi; tunc inquam, dubitatur, nùm Infidelis, eſtò poſtmodùm ad fidem converſus, hac pœnâ, ſeù canonico impedimento afficiatur, ut nullatenùs valeat abſque Eccleſiæ indulgentia, cum ipſa matrimonium inire — Variis Doctorum reſponſionibus, dubium potiùs augentibus, quàm explicantibus, prætermiſſis, putamus hunc Occiſorem, attento delicto, tempore infidelitatis admiſſo, hac pœnâ minimè affici per ſe, & directè, benè quidèm indirectè, & per accidens, inquantùm ſcilicèt, mulier fidelis, quæ in necem ſui mariti cooperata eſt Occiſori, contraxit impedimentum, ut perpetuò nequeat cum illo infideli, quamvis ad fidem converſo, matrimonium contrahere,

here, conſequentèr etiam Infidelis, eſtò recipiat baptiſmum, manet impeditus, & ità docet Sanchez, *loc.cit.* Laym. in *Capit. Laudabilem*, *ſub num.*1. *de converſ. infid.* ubi fingens uxorem, quæ ad Conjugis mortem fuit cooperata, eſſe paritèr infidelem, & posteà ambos ad fidem converti, ſubdit, nihil in hoc caſu impedire, quò minùs in matrimonio copulentur, cum neque ante baptiſmum impedimentum contraxerint, neque in Baptiſmo contrahant; imò magis delicta, & annexæ pœnæ virtute Baptiſmi dimittantur.

73 Noſcat igitur Judex Eccleſiaſticus, hiſce contingentibus cauſis, ſuo munere rectè perfuncturus, altero ex machinantibus alterius Conjugis mortem infideli exiſtente, & fideli in eam reverà ſuam exhibuente cooperationem, impedimentum dirimens indubitantèr ex parte fidelis ſubſiſtere. Noſcat, Infideli, non conſultò, ſed caſu Maritum Mulieris, quam in uxorem vult ducere, interficiente, matrimonium nequaquàm impediri, ut probat Tex. in *Capit. Qui partem*, *diſt.* 55. Noſcat, ſi Infidelis machinatus fuerit Maritum interficere, ejus cooperante uxore; & datâ operâ, effectus non fuit ſequutus; talem non poſſe illam in uxorem habere ſecundùm aliquos; ſecùs verò ſecundùm alios, per Tex. in *Capit. Si quis vivente*, *cauſa* 31. *qu.* 1. ubi notatur occiſio ſequuta, ait enim Textus -- Niſi
„ fortè vir, aùt mulier, virum,
„ qui mortuus fuerit, occidiſſe notetur; ex quibus verbis deducitur, non ſufficere machinari, niſi ſequatur occiſio. Noſcat, ſuſtineri conjugium Infidelium, qui in belli certamine Chriſtianos interfecere, & posteà ad fidem converſi, uxores eorum, quos in bello occiderunt, ſibi matrimonialitèr copularunt, per Tex. punctualem *in d.cap.Laudabilem, de converſ.infid.* Secùs verò, ſi hujuſmodi internecionem patrarunt ex certa ſcientia, jiſdem mulieribus eam ſuadentibus, animo eas ducendi. Noſcat, non tenere matrimonium infidelis initum cum uxore fideli Mariti, quem ipſe fecit interfici præcepto, vel conſilio, ipsâ conſentiente, cum patratum crimen ſit præcipienti, aùt conſulenti imputandum, quaſi ipſe occidiſſet, *arg. l.Si quis viduam*, *ff. de quæſt.* Secùs verò, occiſione ſequutâ abſque mandato, aùt conſilio, & conſenſu, ut notat Turrecrem. in d. *Capit. Si quis vivente*, *num.*5. *cauſa* 31. *qu.* 1. Noſcat, reprobandam eſſe mulierem, quæ malitiosè machinata eſt Conjugis mortem, ut alliceret Infidelem ſpe ineundi cum ipſo

con-

conjugii, ut ad fidem reduceretur, per Tex. in d. *Capit. Laudabilem*, *de converſ. infid.* ubi ſubditur, Eccleſiam nolle tale damnum eo lucro compenſare. Noſcat demùm, ut ſuam proferat ſententiam, ſeù, ut declaret, in caſibus expoſitis matrimonium eſſe irritum, eſſe ſolummodò ponderandam Conjugis mortis machinationem, quæ non petit propriis manibus mortem inferri, ſed qualicunque cooperatione, ut docent ex Juriſperitis, Alberic. in *ſuo Dictionar. lit. A. verb. Adulter. verſ. Naſci de adulterio*, & *lit. I. verb. Impedim.* 8. *verſ. Crimina verò*, cum aliis ex Canoniſtis, Sylv. *v. Matrimonium* 8. *quæſt.* 9. *verſ. Tertium*, Turrecr. in d. *Capit. Si quis vivente*, *num.* 5. *cauſa* 31. *qu.* 1. cum pluribus aliis. Ex Theologis, S. Ant. 3. *p. tit.* 1. *cap.* 5. *in* 1. *crimine*, cum aliis.

§. IX.

Deducta ex traditis ſub hoc Capite, digeſta efferuntur.

74 Deducitur primò, Matrimonium contractum coactè, ſeù ex metu injuſtè incuſſo, liberam voluntatem Contrahentis auferente, eſſe nullum; ſecùs verò, ſi eſſet coactio, ſeù metus, ſivè à lege, ſivè ab aliquo quocunque proveniat, juſtè incuſſus ad contrahendum; & poſteà voluntariè contraheretur: undè ſi quiſpiam cogatur metu mortis ducere in uxorem puellam, quam defloravit; idque agat ad ſalvendam vitam ſuam, vel vitam illius puellæ, tale matrimonium eſſe in utroque jure, naturæ nempè, & Eccleſiaſtico, validum, docent probabiliùs Sanchez, Caſtropal. Pontius, Leſſius, & alii, quos producit, & ſequitur Thom. Tambur. in explic. Decal. *lib.* 1. *cap.* 2. §. 7. *num.* 3. & *ſeqq.* præſertìm, ſi ceſſante violentiâ, ab ipſo ratificetur per expreſſam voluntatem, vel ſaltèm per tacitam, videlicèt per copulam voluntariè ſequutam poſt initum matrimonium, & ſequentem voluntariam cohabitationem; & ratio eſt, quia in contractu tota illius irritationis eſt injuria, quę fiat Contrahenti; at nulla injuria fit ei, ut notat Tamb. *loc. cit.* qui ſibi cauſa eſt metus: Ergo, &c.

75 Deducitur ſecundò, validum eſſe matrimonium, cui Parochus metu mortis aſſiſtit;

eſtò graviſſimè peccent hujuſmodi metum inferentes; ſiquidèm Concilium Tridentinum, *de Sacram. Matrim. ſeſſ.* 24. *cap.*1. expoſcit quidèm ad validitatem matrimonii præſentiam Parochi, & Teſtium, non tamèn modum aſſiſtendi: & ſic pluriès fuit per Sac. Congregationem Concilii reſolutum, ut teſtatur Molſ. in *Sum. p.* 1. *Tract.*4. *cap.*9. *n.* 22. Ricc. *in Praxi matrimoniali, dec.*243. §. *Itèm, coram Parocho, &c.*

76 Deducitur tertiò, Parochum aſſiſtentem matrimonio Vagorum, re ad Ordinarium minimè deductâ, & licentiâ ab eo ad id faciendum non petitâ, gravitèr peccare, & poſſe puniri, ſed valere matrimonium; pro cujus eſſentia requiritur ſolùm præſentia Parochi, & duorum Teſtium, Trid. *ſeſſ.* 24. *de Matrim. cap.* 1. licentia verò Ordinarii requiritur, ut Parochus magis cautè ſe gerat Vagarum matrimonio aſſiſtendo, ad occurrendum errori, qui poſſet in hujuſmodi matrimoniis contingere; cum Vagi, ait Sancta Synodus, *loc. cit. cap.*7. qui multi ſunt, incertas habeant ſedes, & ut improbi ſunt ingenii, primâ uxore relictâ, aliam, & plerùmque plures, illâ vivente, diverſis in locis ducunt. Non interveniente licentiâ Ordinarii, Vagantium matrimonia haud annullari, tradunt etiam Veracrux, *Append. ad Specul. fol.* 86. §. *Eſt conſideratione dignum*, Enriq. *lib.*11. *de matrim. cap.*3. *nu.*3. dicens ſic eſſe ab Eminentiſſimis Cardinalibus declaratum, Petr. de Ledeſm. *de matrim. qu.*45. *art.*5. *punct.* 3. *poſt dub.* 4. §. *Dico tertiò*, & alii. Liceat mihi aſtruere, idem eſſe dicendum, ob eaſdem rationes, de matrimonio Militum, contracto præſente quidèm Parocho, & teſtibus aſſiſtentibus, ſed licentiâ Ordinarii extrà tempus expeditionis, aùt Capellani Majoris, durante expeditionis tempore, nequaquàm petitâ.

77 Deducitur quartò, peccare mortalitèr Judices, ſivè Eccleſiaſticos, ſivè Sæculares, munus ſuum fidelitèr minimè exercentes; ut puta, ſi tempore conſueto audientiam Litigantibus denegarent; ſi appellationes legitimas non admitterent, ſi cauſas ob aliquem humanum reſpectum, vel odium, aùt pecuniam expedire negligerent; ſi in rebus dubiis Peritiores ſe conſulere ſuperbiâ moti recuſarent; & conſequentèr obſtrictos eſſe cuncta damna compenſare, quæ aliis dolo, vel latâ culpâ ipſorum, contigiſſent, quod tradunt omnes Theologi.

78 Deducitur quintò, Judices Sæculares, trahentes ad ſuum Tribunal, extrà caſus à Sacris Ca-

Canonibus ſibi permiſſos, cauſas matrimoniales, vel alias cauſas ad Judicem Eccleſiaſticum ſpectantes, pratèr peccatum mortale, incurrere excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini; nec excuſari ob mandatum Principis; cum nemo debeat munus Judicis quærere, vel acceptare, niſi noſcat ſe conſtantiâ pollere ad reſiſtendum violentiis injuſtè mandantis juxtà monitum Eccleſiaſtici, *Cap.7. verſ. 6.* dicentis: *Noli quærere fieri Judex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne fortè extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tua.*

79 Deducitur ſextò, Matrimonium à Minoribus, ſufficientem ætatem non habentibus, nec potentiam coeundi, celebratum, licèt habeant uſum rationis, eſſe de jure canonico nullum, quamvis de jure naturali potuerint contrahere; & ſucceſſivè effectos majores teneri, obtentâ priùs Ordinarii licentiâ, coram Parocho, & teſtibus contrahere, ut tenet Navar. *lib.4. Conſilior. tit. de ſponſalib. conſ.* 11. cum aliis, cum Trid. *loc. cit.* exigat pro forma præſentiam Parochi, & teſtium: alii verò, quos producit, & ſequitur Sanchez, *lib.2. de Matrim. diſp. 37. n. 3.* tradunt non eſſe neceſſarium, extrà caſum ſcandali, aùt infamiæ, iterùm coram Parocho, & teſtibus contrahere, ſi cum eorum præſentia priùs illud matrimonium inierint, ſed ſufficere ſecretam ipſorum conjugum matrimonii initi ratificationem, ſeù, ut clariùs explicem, ſatis eſſe, ſi contrahentes intèr ſe ipſos ſolos renovent conſenſus.

80 Deducitur ſeptimò, validum eſſe matrimonium, ſi Contrahentes habeant ſolùm implicitè conſenſum in copulam; adeòque etiamſi habeant intentionem nunquàm deveniendi ad actum conjugalem, ſeù exercendi hujuſmodi poteſtatem, ut conſtat ex his, qui matrimonium contrahunt cum animo, & propoſito ingrediendi Religionem, & in ea ſolemnitèr profitendi ante matrimonii conſummationem: hujuſmodi enim matrimonium eſſe verum, & validum, tradit intèr cæteros; Eminentiſſimus Card. Capiſuchius in *Controverſ. Theol. controv.* 14. §.3. Ratio ſuadet, quia matrimonium in ſua ratione formali, & eſſentiali non importat copulam carnalem, ſed præcisè conjunctionem, & vinculum conjugale, ut docent unanimitèr Theologi cum Magiſtro ſent. ac D. Th. in 4. *diſt. 27. & 3. p. quæſt. 29. art. 2.* & probat Textus in *Capit. Matrimonium, Capit. Beata, Capit. Conjuges, Capit. Omnis res, cauſa 27. qu. 2.* necnon *Capit. Intèr,*

tèr, *de Sponſalibus*, & ità tradunt Sanƈti Patres in hiſce locis relati; quorum fundamentum eſt, quia matrimonii inſtitutio non ſolùm reſpicit filiorum procreationem, ſed etiam Conjugum Societatem. Scimus itaque Conjuges, qui mutuo conſenſu à venereis abſtinent, aùt ſeparantur quoad Thorum, manere nihilominùs matrimonio colligatos. Hinc Concilium Florentinum in Decreto Eugenii dicit, Matrimonium perfici mutuo conſenſu, qui ſine dubio copulam antecedit;& Conc.Trid.*ſeſſ.*24.*de matr. c.*5.diſtinguit matrimonium ratum à conſummato,& ſupponit illud eſſe verum matrimonium: quodque approbat communis traditio, & conſenſus Eccleſiæ. Meritò igitur in Concilio Conſtantienſi, *ſeſſ.*8.damnata fuit, opinio Wicleffi aſſerentis, ad matrimonii eſſentiam neceſſariò requiri copulam carnalem, vel ſaltèm conſenſum expreſsum in copulam carnalem. Et quamvis intèr errores Wicleffi à Sanƈta Synodo nominatìm damnatos, hic non reperiatur, hujus tamèn damnationem comprehendi in generali damnatione,quâ S.Synodus errores hujus Hæretici, damnavit, oſtendit Eminentiſſimus Capiſuc. *loc. cit.*

81 Deducitur oƈtavò,valere diſpenſationem circa impedimenta, à Summo Pontifice, vel ab illis, quibus facultas diſpenſandi à Summo Pontifice, vel ab alio legitimo Superiore committitur, ſi cauſa expoſita eſt vera; ſecùs verò, ſi falſa, quod etiam habetur in *Capit. Si gratioſè*, *de reſcript. in 6.* & alibi: & tenent communitèr Theologi, & Canoniſtæ, & quidèm reƈtè; nàm omnis diſpenſatio ſecum adſert clauſulam, & conditionem neceſsariò adnexam, videlicet — Si vera ſunt, quæ narrantur: & ideò ſi falſum eſt, quod in ſupplici libello narratur, diſpenſatio eſt nulla; & dicitur ſubreptio, non diſpenſatio. Additur paritèr, nullam eſse diſpenſationem, ſi in ſupplicatione aliquid taceretur, quo expreſso, Papa, aùt Sacra Congregatio gratiam probabilitèr denegaret, vel ſaltèm cum magna difficultate illam concederet, ut habetur in *Capit. Super literis*, *de reſcript.* & notant DD.undè,ſivè de jure, ſivè de ſtylo Curiæ Romanæ foret exprimendum, quod omittitur.

82 Deducitur nonò, Infidelem, qui repudiatâ legitimâ uxore, aliam duxit, ſi convertatur ad fidem, eſſe cogendum à matrimonio poſteriori tanquàm irrito recedere, & ad prius redire; & ſi plures habebat uxores, eſſe omnes ab eo repudiandas, uti adverſantes juri naturæ, exceptâ tamèn primâ, quæ eſt legi-

legitima uxor; quæque monita, ſi converti recuſaret, ità ut liceret converſo prius illud matrimonium dirimere, nefas haud eſſet Converſo quamcunque aliam, quæ convertatur, ducere, ſicut & quamvis aliam fidelem, ut tradit D. Tho. communitèr receptus in 4. *diſt.* 39. *q. unic. art.* 3. *ad* 4. non tamen teneretur, ſi omnes illæ uxores ad fidem converterentur, cum una ex illis matrimonium inire; cùm nulla alia, ut diximus, fuerit legitima uxor; quod benè advertit Sot. in 4. *diſt.* 39. *qu. un. art.* 3. *ad* 5.

83 Deducitur decimò, matrimonium à principio metu contractum, eſtò jure communi inſpecto, per copulam poſteà liberè, & voluntariè ſubſequutam, ratificetur, & convalidetur; ut tradit Gloſſ. in *Capit. Intèr cætera, v. Matrimonium, cauſa* 22. *qu.* 4. Graff. *deciſ. aur. p.*2. *lib.* 1. *cap.*12.*num.*36. *&* 37. nihilominùs hodiè ex diſpoſitione juris novi Concilii Trid. Matrimonium nullitèr à principio contractum minimè validari per ſubſequutam copulam, & liberam, & voluntariam; ſed novum requiri conſenſum in facie Eccleſiæ, prout ex declaratione Sac. Congreg. firmat Fagnan. in *Capit. De illis, num.*12.*&* 13. *de Deſponſat. impuber.* & refert noviſſimè Monacell. in *ſuo Formul. tit.*8. *de Matrim.num.*18. Qualis debeat eſſe metus, ut valeat irritum reddere matrimonium, vide Vincentium Dejuſtis, *de Diſpenſat. lib.*2. *cap.*12. *nu.*27. ubi fusè, & perdoctè hanc materiam tractat.

84 Deducitur undecimò, irrita eſſe Militum matrimonia contracta coram Capellanis Exercitus dùm in Caſtris, & Stationibus hybernis, vel æſtivis, aùt in expeditione, etiam cum Militaribus fœminis degunt, contracta inquam, inconſultò Ordinario Loci, aùt ſinè ſpeciali facultate Sedis Apoſtolicæ: Et ità propoſito dubio Sac. Congregationi Concilii, reſpondit *die* 6. *Martii, anno* 1664. ut refert Monacell. *loc. cit. n.*13.

85 Deducitur duodecimò, matrimonium à Viro Catholico initum cum Muliere paritèr Catholica coram Miniſtro Acatholico in Terris Hæreticorum, ubi fuit publicatum Concilium Tridentinum, eſſe nullum; ſiquidem illius forma tradita in *Capit.*1.*ſeſſ.*24. *de reform.* ubique eſt ſervanda pro validitate, quod pluriès declaravit Sacra Congregatio Concilii, ut refert Pignatell. *conſult.* 79. *à num.*26. *tom.*5. & nupèr *in una Venetiarum, die* 2. *Decembris, anno* 1696. quod notat Monacell. *loc.cit. num.* 15. An validè, vel ſaltèm licitè poſſit Vir Catholicus contrahere ritu Catholico

tholico cum fœmina Achatolicâ, ſivè Hæreticâ, conſule Anaclet. Reiffenſtuel *in jus Canonic. lib.4. tit.1. de ſponſat.*§.10. *num.* 357. ubi plures celebres Doctores allegat.

86 Deducitur decimotertiò, minimè ſuſtineri matrimonium contractum à Græco-latino Catholico coram Sacerdote Græco non Parocho, & ſine licentia Parochi, aùt Ordinarii Loci: & ità etiam declaravit Sacra Congregatio Concilii in *Chiten. Matrimonii*, *die* 14. *Novembris*, *anno* 1693. referente eod. Monacell. *loc. cit. num.*12.

87 Deducitur decimoquartò, præſumi validum matrimonium contractum coram Sacerdote, aſſerente fuiſſe ſibi à Parocho, aùt Ordinario licentiam ad id requiſitam conceſſam. Nam hujuſmodi præſumptio, ſeù, ut clariùs explicem, aſſertum hujus Presbyteri favet matrimonio donec probetur contrarium. Et ità etiam docet Sanchez, *de matrim. lib.*3. *diſp.* 37. *num.*3. cum aliis. Contrario verò rectè probato, illud matrimonium nequaquàm ſubſiſtere proptèn expreſsam inſtitutionem Concilii Tridentini, declarantis, matrimonium ex defectu aſſiſtentiæ proprii Parochi, aùt alterius Sacerdotis, legitimum mandatum ab eo habentis, eſſe nullum, advertunt plures Scribentes apud Sanchez *loc. cit. diſp.*36. *&* *d. diſp.*37.

88 Deducitur decimoquintò, poſſe Parochum concedere cuicumque Sacerdoti facultatem conjungendi in matrimonium, etiam extrà ſuam Parochiam, ſuos ſubditos. Huic deductioni favet Barboſ. *de offic. Epiſc. alleg.* 32. *num.* 114. *&* *de poteſt. Parochi*, *p.*2. *cap.*21. *n.*65. Sanchez, *de matrim. lib.* 3. *diſp.*34. *num.* 3. Guttier. *eodem tract. cap.* 62. *num.* 10. cum aliis, quos producit Sac. Rota *in una Meclinien. Matrimonii*, *Lunæ* 15. 1666. *coram Cerro*, *deciſ.* 845. *num.* 2. Nùm pro validitate matrimonii ſufficiat interventus Parochi unius ex Contrahentibus, ſivè ſit ille Viri, ſivè Mulieris, vide Barboſ. ad Concil. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.*1. *de reform.* Rot. *coram Burat. deciſ.* 530. *num.* 17. *&* *deciſ.* 714. *nu.*13. Merlin. *deciſ.*194. *num.* 6. *&* *in recen. deciſ.* 390. *ſub num.* 6. *p.* 2. Rot. *coram Cerro*, *d. deciſ.* 845. *num.*10. *Card. de Luc. de Matrim. diſc.*4. *num.* 13. & alios, apud quos reſponſum affirmatiuum traditur non inſufficientèr probatum. Animadvertimus tamèn, circa primam partem hujus deductionis, in qua dicitur, poſſe Parochum licentiam præbere cuicumque Sacerdoti conjungendi in matrimonium ſuos ſubditos, hujuſmodi licentiam,

ſivè

ſivè commiſſionem eſſe ſtricti juris, & ſtrictam recipere interpretationem, Rota *dec.* 85. *num.* 4. *p.* 6. *recent.* Cyriac. *controverſ.* 178. *num.* 65. Itidem: Nùm licentia, ſivè commiſſio aſſiſtendi matrimonio contrahendo per Sacros Canones requiſita, ſufficiat quòd ſit generalis, videlicèt abſque expreſſione nominum Contrahentium: conſule Sanch. *de matrim. lib.* 3. *diſp.* 39. *ſub num.* 1. Sac. Ror. *in Recent. deciſ.* 124. *nu.* 16. *verſ. Demùm, & n.* 17. *p.* 7. atque *Neapolit. Matrimonii, ſub die* 13. *Martii, anno* 1651. §. *Nec proindè, coram Card. Corrado*; Sac. Rot. *d. deciſ.* 847. *ſub num.* 7.

89 Deducitur decimoſextò, Pontifice diſpenſante, poſſe validè iniri matrimonium intèr perſonam fidelem, & infidelem; cum Summus Pontifex habeat poteſtatem diſpenſandi, causâ juſtâ interveniente, in omni jure Eccleſiaſtico, cujus eſt Caput: Diximus autèm hujuſmodi matrimonium jure Eccleſiaſtico interdici; undè ſequitur, ex Pontificia diſpenſatione poſſe validari; & ità tradunt Calderinus, Alex. de Nevo, Sylv. Tabiena, & alii plures, quos probat Sanchez, *lib.* 7. *de matrim. diſp.* 71. *n.* 10. ubi ad objectionem, quæ ſolet fieri, nempè, matrimonium fidelis cum infideli vetitum eſſe jure divino naturali, ac proindè, ſecluſo quovis jure Eccleſiaſtico, nullo modo valere; reſpondet, & quidèm egregiè, Pontifice ex juſtiſſimâ causâ diſpenſante, fore omninò validam diſpenſationem, ut matrimonium valeat, & ut omni prorsùs culpâ vacet. Si autèm juſta cauſa abeſset, Contrahentes per eam diſpenſationem, à peccato mortali contra jus divinum nequaquàm excuſarentur; at matrimonium vigore illius diſpenſationis validum efficeretur, cum ſolo jure Eccleſiaſtico irritetur; quemadmodùm, ſi Summus Pontifex abſque legitimâ causâ diſpenſaret, ut Sacerdos uxorem duceret, valeret matrimonium, quod ſolo jure Eccleſiaſtico irritum erat: at Sacerdos peccaret lethalitèr contra votum, per quod jure divino matrimonium præpeditur.

90 Deducitur decimoſeptimò, ad præcludendam ſcrupulis, aliiſque inconvenientibus viam in diverſitate opinionum, quarum una ſit probabilis, & altera probabilior, ſequendam eſſe probabiliorem, ſeù melioribus rationibus ſuffultam ad occurendum periculo erroris, *Capit. Juvenis, de Sponſalibus, capit. Ad audientiam, & capit. Significaſti*, il ſecondo, *de homicidio*, & ità docent Adrian. *quodlib.* 2. *qu.* 3. D. Anton. 3. *p. tit.* 3. *cap.* 10. §. 10. Navar. in

*ſum. cap.*37. *num.* 288. Cajet. in *ſum. v. Opinionis uſus*, Sylv. *v. Dubium*, *qu.*2. & alii multi. Eſt enim regula univerſalis, quòd in dubiis tutior pars eſt eligenda. Quis neget tutiorem partem eſse in electione opinionis probabilioris? Ratio dictat, quando certitudo haberi non poteſt, nos teneri, quantùm fieri poteſt, ad veritatem accedere, quod ſanè contingit, quando, relictâ probabili, amplectimur opinionem probabiliorem. An verò ex duabus opinionibus æquè probabilibus poſſit quælibet eligi: Aliqui negant, dicentes, intellectum in tali caſu non magis aſsentiri uni, quàm alteri, & ſucceſſivè manere dubium erga utramque; & ſic operantem ſecundùm alterutram ex ipſis peccare, cum operetur cum conſcientia dubia, neſciens operationem eſse licitam, aùt illicitam. Contrarium tamèn eſse verius, ſeù nobis licere, ſecundùm utramlibet operari arbitror cum Cornejo, 1. 2. *quæſt.* 19. *tract.* 8. *diſp.*3. *dub.*4. citante D. Anton. 1. *p. tit.*30. *cap.* 10. §. 10. Adrian. *in quæſt. de reſtit.* poſt med. §. *Dicendum eſt ergò*, & §. *Mihi videtur*, Navar. in *Manual. cap.*27. *num.*284. Et ratio ſuadet, quia, attentâ æquali probabilitate utriuſque opinionis, ſequitur, utramque etiam eſse debitam menſuram operandi ſecundùm rectam rationem, quæ eſt regula rectarum, & honeſtarum operationum: ſivè igitùr operemur ſecundùm unam, ſivè ſecundùm alteram, dictamen ſequimur rectæ rationis, & ſic rectè, & honeſtè operamur. Advertat tamèn Judex, quòd quando Litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, non poteſt pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio. Contrarium fuit damnatum ab Alex. VII. & eſt propoſitio 26. in ordine. Major eſt difficultas, nùm liceat amplecti ſententiam ſingularem, ſi firmâ ratione muniatur, atque præponderet fundamentis communis, affirmativè reſpondet Bald. in *Capit. Ne innitaris, de conſtit.* Angelus, *v. Opinio*, *num.* 2. Sylv. *ibid. qu.*1. Navar. *in ſum. latin. capit.*27. *num.*88. Sà, *v. Dubium*, *num.*3. Abb. in *Capit. Capellanus*, *num.*3. *de fer.* Azor. *tom.*1. *lib.*2. *cap.*16. *qu.*6. Sayr. *in Clavi Regia*, *lib.*1. *cap.* 6. *num.* 8. Maſcard. *de probation. concluſ.* 1143. *num.*12. ubi allegat Hoſtien. Felin. & alios: & noviſſimè Fagn. in d. *Capit. Capellanus*, *num.* 3. *de fer.* ibi dicens, id ſervari à Rota, quæ in concurſu opinionum non tàm movetur à numero Doctorum, quàm ex rationum momentis. Huic opinioni favet Textus pun-

punctualis in *l.* 1. §. *Sed neque*, *Cod. de veter. jur. enuclean.* ibi -- Cum poſſit unius forſan, „ & deterioris ſententia & multos, & majores aliqua in parte „ ſuperare; favet quoque ratio, quia cum homo ſit rationabilis, & debeat rationabilitèr operari, eum ad operandum debet inducere ratio: poteſt autèm contingere, ſententiam unius Doctoris (dummodò Author non ſit junior, & modernus; cujus opinio non poteſt cenſeri probabilis; & propoſitio contraria fuit damnata ab Alex. VII. & eſt 27. in ordine) in ratione, cui innititur, præponderare ſententiæ multorum; & ſic habere majorem vim movendi intellectum ad ſic ſentiendum; præſertim quando Author eſt antiquus, celebris, & bonæ exiſtimationis, & magnæ authoritatis, etiam apud Doctos: & fama communis eſt, difficultates, ab eo funditùs pertractari, diù perpendi, veracitèr reſolvi. Allegati Authores volunt, has rationes locum habere, quando opinio ſingularis favet cauſæ piæ, doti, libertati, teſtamento, valori matrimonii, & generalitèr cum defendit valorem actus. Circa hanc opinionem, in gratiam Eruditorum productam, me omninò ſubmitto incomparabili Apoſtolicæ Sedis judicio.

91 Deducitur ultimò, pro tutiori præſentis Diſcuſſionis concluſione, quòd quotièſcunque ardua difficultas emergit circa adminiſtrationem Eccleſiaſticorum Sacramentorum, præcipuè circa matrimonia contracta, vel contrahenda, & utrinque ſunt opiniones, ſi Decreta Sac. Congregationum ſuprà relata, in illo caſu vim non haberent, ad Sedem Apoſtolicam prò declaratione eſſe recurrendum, admonet Textus in *Capit. Per venerabilem*, §. *Rationibus, qui filii ſint legit.* ubi dicitur -- Si difficilè, & ambi- „ guum apud te judicium eſſe per- „ ſpexeris, &c. & judicium intèr „ portas Judicis variari, venies „ ad Sacerdotes Levitici generis; „ & ad judicem, qui fuerit illo „ tempore, qui indicabunt tibi „ judicii veritatem, & facies quæ- „ cunque dixerint, qui præſunt „ loco, quem elegerit Dominus; ideſt Sedem Apoſtolicam, ut exponit Fagn. *loc. cit. n.* 1. Sequeriſque ejus ſententiam; & ità paritèr declaravit Sac. Congreg. Concilii in una Mechlinien. ad *dub.* 3. ſupra expoſitum, nempè „ An, & quomodo ſit conſulen- „ dum pro matrimoniis contra- „ ctis in vim facultatis Brevis SS. „ D.N. Clementis XI. directi ad Archiep. Mechlinien. ſuperiùs memorati, & infrà exhibendi, in caſu &c. *die* 18. *Februarii* 1708. reſpondit -- eſſe recur- „ dum ad Sedem Apoſtolicam.

CAPUT. VII.

FACTI SPECIES.

Capellanus Major cujuſdam Exercitus, habens à Sede Apoſtolica facultatem reconciliandi, ſeù benedicendi per ſe, vel per Subdelegatos, Eccleſias, & Capellas, ac Cæmeteria, & Oratoria quomodolibet polluta in illis partibus, in quibus ipſe Exercitus conſederit, refectis cujuſdam Eccleſiæ conſecratæ parietibus, qui paulatim ceciderant, volebat dictam Eccleſiam reconciliare. ſeù rebenedicere, idemque agere quoad alia loca Sacra, quæ præſumebat fuiſſe polluta, aùt violata. Ordinarius ſe illi oppoſuit, dicens, talem Eccleſiam conſecrationis formam amiſiſſe, & ſucceſſivè ad ſuam juriſdictionem ordinariam ſpectare refectæ Eccleſiæ conſecrationis formam reſtituere, quoad alia verò Loca, non eſſe certum fuiſſe polluta, & ſic reconciliatione, ſeù benedictione minimè indigere. Controvertitur quid juris.

§. I.

Aliqua, quibus controverſia diſcutitur, & penè reſolvitur, præmittuntur.

1 PRæmittimus primò tanquàm quid certum, & lachrymis conſiderandum, nuſquàm unquàm frequentiùs, & impuniùs Eccleſias pollui, aùt violari, quàm ubi ſæva Fidelium, aùt Infidelium bella graſſantur. Hinc Sedes Apoſtolica ſolet Capellanis Majoribus Exercituum facultatem impertiri illas reconciliandi, ubi Locorum Ordinarii nequeunt

queunt ſuam ordinariam juriſdictionem exercere; nè diutiùs Militantes Chriſti Cultores rebus divinis deſtituantur; & ut enorme pollutionis, aùt violationis ſcelus Eccleſiaſticâ reconciliatione aboleatur; quod Deo ſempèr inviſum, ac deteſtabile ità fuit, ut nunquam voluerit cujuſcunque ſanguine quantùmlibet noxio, aùt alio modo Eccleſias inquinari: quod ſanè oſtendit factum à Baronio productum, *tom.* 11. *Annal.* ſub *anno Chriſti* 1084. *pag. mihi* 577. *lit. C. & D.* de quodam homine ignoto, qui necem parans Henrico III. Imperatori Romam, & Gregorium VII. Summum Pontificem vexanti, in Eccleſia S. Mariæ prægrandi Saxo exequendam, videlicèt ſupèr caput Imperatoris deorsùm mittendo, unâ cum ſaxo, quod paraverat, deorsùm cadens, Deo ſic diſponente, occubuit.

2 Præmittimus ſecundò, dari diſcrimen intèr Eccleſiam conſecratam, & Eccleſiam non conſecratam, ſeù per Epiſcopum tantummodò ad uſus divinos deputatam, quæ vulgò dicitur benedicta; quòd Eccleſiæ conſecratę reconciliatio fit per aquam ab Epiſcopo ſacratam, ſeù benedictam, quam Gregorianam dicunt, ut notat Laym. in *Capit. Aqua*, *num.* 1. *de Conſecrat.* cum vino, & cinere, ut habetur in *Capit. Propoſuiſti*, *de conſecrat. Eccleſ.* At reconciliatio Eccleſiæ non conſecratæ, quæ benedicta nuncupatur, ſolius aquę ſacratæ fit aſperſione.

3 Præmittimus tertiò, eiſdem modis, quibus Eccleſia conſecrata polluitur, Eccleſiam ſolâ Epiſcopi authoritate, conſuetis Eccleſiæ precibus, per ſolam ſacræ aquæ aſperſionem ad uſus divinos deſtinatam, hoc eſt benedictam, pollui: ità communitèr Scribentes.

4 Præmittimus quartò, conſecratione Eccleſiæ ſemel factâ, ſi de ea ex authenticis inſtrumentis, vel ſignis aliis, aùt legitimis conjecturis conſtet, Eccleſiam non eſſe iterùm conſecrandam, *Capit. Eccleſiis, diſt.* 1. *de conſecr.* Laym. in *Capit. Ad hæc*, §. *Notandum*, il primo, *de conſecr.* Secùs vèrò quando neſcitur, aùt dubitatur, nùm fuerit conſecrata, nec ullum apparet conſecrationis indicium, ſivè argumentum, *Capit. Solemnitates*, *de conſecr. diſt.* 1. vel Eccleſiæ parietes, aùt ex toto, aùt majori ex parte igne combuſti ſunt, Azor. *tom.* 1. *Inſtit. Moral. lib.* 10. *cap.* 26. *qu.* 12. ubi alios producit caſus, quibus Eccleſia novâ indiget conſecratione.

5 Præmittimus quintò, multifariàm Eccleſiæ conſecrationem conſtare, videlicèt ex literis ſcriptis, quæ in ipſius Eccleſiæ libris, vel in dotationis

in

inſtrumento habentur: ex crucibus, ſivè ſignis quadratis, aùt rotundis, quæ in Eccleſiæ parietibus, aùt columnis impreſſa apparent; item ex depoſitione Teſtium, d. *Capit. Solemnitates, de conſecr. d.* 1. & notat Azor. *loc. prox. cit. qu.* 11. ubi aſſerit, ſufficere etiam teſtimonium unius deponentis rei veritatem, nempè ſe aùt vidiſſe, aùt certè audiviſſe ità rem ſe habere, cui adhæreo, me Innocentio edocente, cujus ſententia eſt communitèr approbata, teſte Abbate in *Rubric. de conſecrat.* in caſibus, in quibus nemini præjudicium infertur, ut eſt præſens, ad fidem faciendam, unum ſufficere Teſtem.

6 Præmittimus ſextò, plures eſſe modos, ab Ordinario, & Capellanis Majoribus Exercituum, eorumdemque Subdelegatis perpendendos, quibus Eccleſia polluta, & violata intelligitur, ut debeat reconciliationis beneficium recipere, antequàm res divinæ in ea peragantur, ut eſt voluntaria, & publica humani ſeminis effuſio, etiam per conjugalem congreſſum, quod aliqui ex veteribus negant; ut advertunt Gloſſ. & alii in *Capit. Eccleſiis, de conſecr. diſt.* 1. Sylv. *v. Conſecratio* 1. *qu.* 5. *in tertio caſu*; Ut eſt vulneratio, aùt occiſio hominis per injuriam; non tamèn ſequuta ſupèr tectum exterius Eccleſiæ, aùt in caverna ſita ſub Eccleſia, ut advertit Azor. *loc. cit.* §. *Rogabis*. Ut eſt ſepultura alicujus Excommunicati, *Capit. Conſuluiſti, de conſecr. Eccleſ.* Ut eſt publica conſecratio Eccleſiæ per Epiſcopum excommunicatum, quod tradit Joan. Andr. in d. *Capit. Conſuluiſti, de conſecr. Eccleſ.* quem Abb. & alii ſunt ſequuti; qui tamèn modus in jure minimè expreſſus reperitur. Ut eſt copioſa ſanguinis humani per injuriam effuſi, *Capit. Eccleſiis, diſt.* 68. & *d. capit. Eccleſiis, diſt.* 1. *de conſecr. capit. Propoſuiſti, de conſecr. Eccleſ.* Nùm verò ſi quis mentis ſuæ compos irâ, vel odio ſeipſum vulneret cùm effuſione ſanguinis in Eccleſia, vel occidat, eo ipſo Eccleſia maneat polluta, & violata: Vide Azor. *loc. cit. verſ. Rogabis*, Laym. in d. *Capit. Propoſuiſti, num.* 4. *de conſecr. Eccleſ.*

§. II.

§. II.

Reſolutio expoſitæ controverſiæ alterius controverſiæ indiget reſolutione.

7 Controverſia, quam petit reſolvendam noſtrę controverſiæ reſolutio, eſt: nùm Eccleſia conſecrata formam amittat conſectationis, quando ejus parietes paulatìm decidunt, aùt cruſta interior abraditur, vel ex incendio cadit, itaut ſint paulatìm reficiendi. Hoſtien. Palud. & alii, quibus concordat Sylv. *v. Conſecratio* 2. *quæſt.* 4. reſpondent negativè; quorum fundamentum eſt; quia Eccleſia paulatìm refecta, eadem, moralitèr loquendo, cenſetur remanere Eccleſia: quemadmodùm dicitur idèm flumen, novis ſuccedentibus aquis: idem populus, aliis enaſcentibus hominibus: eadem Navis, aliis refecta lignis, &c. ut per Tex. in *l. Quod in rerum*, §. *ult. ff. de leg.* 1. *& l. Proponebatur, ff. de judic.* & ideò Eccleſiam, quæ paulatìm reparatur, & reficitur; & etiam navem, quæ reſtauratur; non ſolùm juris fictione, ſed reapsè eamdem eſſe, ratio ſuadet; ſiquidèm partes ſibi ſuccedunt: quam opinionem probabiliorem vocat Azor. *loc. cit.* §. *At in dubium*.

8 Contrariam ſententiam, quæ nobis non diſplicet, videlicèt, Eccleſiam conſecratam in caſu expoſito, formam amittere conſecrationis, ſuſtinent Innocentius in *Rubr. de Conſecrat. Eccleſ.* Abb. in d. *Capit. Propoſuiſti, eod. tit.* hac freti ratione, quia nec phyſicè, nec moralitèr eadem eſt Eccleſia, quæ antehàc fuit, quamvis ex iiſdem lapidibns ædificata. Dein in rebus ſpiritualibus, potiùs rei veritas, quam juris fictio attenditur; & conſequentèr dicendum eſt, à dictâ Eccleſiâ reconciliationem, ſeù novam conſecrationem expoſci. Huic ſententiæ adhæret Laym. in *Capit. Ligneis, num.* 2. *de conſecrat. Eccleſ.* & ad productam controverſiam quatuor reſponſa eruditâ diſtinctione profert, varioſque caſus, in quibus Eccleſia reconſecratione indiget, aùt reconciliatione, perdoctè enunciat, & nos quoque adhæremus.

9 Arbitramur itàque reconſecrationem Eccleſiæ in expoſito caſu ſpectare ad Epiſcopum privativè quoad quoſcunque alios, etiam Capellanos

nos Majores Exercituum. Huic noſtro aſſerto aſſiſtunt eorum authoritate Card. Turrecrem. in *Capit. Nemo*, il primo, §. *Ad tertium*, *num.* 5. *de conſecrat. diſt.* 1. Azor. *p.* 1. *Inſtit. morol. lib.* 10. *cap.* 26. *q.* 10. Laym. in *capit. Aqua*, *not.* 1. *num.* 1. *de conſecrat.* & ità ſentire videtur D. Th. in 4. *diſt.* 25. *quæſt.* 1. *art.* 1. in corp. dum aſſerit, ad ſolum Epiſcopum pertinere Virginum conſecrationem, quæ figuram gerunt Eccleſiæ Chriſto deſponſatæ, cujus cura ipſi principalitèr committitur.

10 Movemur primò juribus in *Capit. Nemo Eccleſiam*, *capit. Nullus, de conſecr. diſt.* 1. *capit. Presbyter*, *cauſa* 26. *qu.* 6. *capit. Aqua*, *extrà de conſecr. Eccleſ.* & aliis ſimilib. ubi colligitur, ad ſolum Epiſcopum pertinere Eccleſiæ conſecrationem.

11 Movemur ſecundò rationibus in jure fundatis: ſiquidèm cuivis ſimplici Sacerdoti vetitum eſſe Eccleſiam pollutam reconciliare, declarat Gregorius IX. in d. *Capit. Aqua*, & Concil. Carthagin. III. in d. *Capit. Presbyter*, *cauſa* 26. *quæſt.* 6. & alteri Epiſcopo non licere hoc facere ſinè conſenſu Epiſcopi proprii Eccleſiæ reconciliandæ, ſeù conſecrandæ, dicit Tex. in *eod. Capit. Aqua*. Ergò ad ſolum, & proprium Epiſcopum ſpectat hujuſmodi conſecrationem peragere. Additur, ità propriùs ad ſolum Epiſcopum ſpectare Eccleſiam conſecrare, ut ipſemet nequeat ſimplici Presbytero mandare, aùt committere Eccleſiæ conſecrationem, cum ea, quæ ſunt ordinis, & dignitatis, alteri inferiori delegare non poſſit, ut advertit Card. Turrecr. in d. *Capit. Nemo*, §. *Ad tertium*, *nu.* 5. adeòut Eccleſiam minimè cenſeri conſecratam, ſi de mandato Epiſcopi eam ſimplex Sacerdos conſecraverit, quamvis aqua ab Epiſcopo benedicta eſſet, notat Azor. & Laym. *loc. cit.* Ex quo patet, Epiſcopum nequire, ipſumque dedecere ea mandare, aùt committere, quæ ſupremæ ſunt propria Summi Pontificis Dignitatis; Solius enim Romani Pontificis authoritate poteſt ſimplici Sacerdoti Eccleſiæ conſecratio committi, quod docent Innoc. Gloſſ. & DD. in d. *capit. Aqua*.

12 Præterea, Eccleſia manu Epiſcopi, imaginem, & figuram Chriſti gerentis, pluribus intervenientibus cæremoniis, magna, & divina ſignificantibus, conſecratur: undè ſi polluitur, aùt quoquo modo violatur, illam oportet à ſolo Epiſcopo reconciliari, ad differentiam Eccleſiæ, quæ benedicta vocatur, quæ ſolis Epiſcopi precibus, & aquæ ſacræ aſperſione, ad res di-

divinas deputatur, hanc enim ſi contingat pollui, aùt violari, licere cuilibet ſimplici Sacerdoti reconciliare, conſentiunt Authores.

13 Concluditur itàque in ſententia aſſerentium, Eccleſiam, quæ erat conſecrata, paulatìm refectam, amittere formam conſecrationis, ad Epiſcopum ſpectare privativè quoad alios, illam reconſecrare, ſivè reconciliare. In ſententia verò contrarium docentium, nempè Eccleſiam in caſu expoſito ſuam retinere formam conſecrationis, poſſe Capellanum Majorem Exercitus, durante tempore expeditionis, vigore Privilegii Pontificii, illam reconciliare, non repugnamus.

§. III.

Nonnullas Animadverſiones, ad variis dubiis occurrendum, quæ poſſunt circa Eccleſiarum reconciliationem contingere, hic ſubdi firmata Concluſio depoſcit.

14 Animadvertendum eſt primò, quando combuſto Eccleſiæ tecto, combuſtis ſcamnis, ſedilibus, picturis, aliiſque illius ornamentis, menſâ tamèn Altaris non enormitèr fractâ, aùt combuſtâ; ſi parietes illius Eccleſiæ ſubſiſtant adhùc integri, & illæſi, ità ut nec toti ſecundùm majorem partem eorruerint, nec illam Eccleſiam, nec illius Altare ulla novâ indigere reconciliatione, juxtà Textum punctualem in *Capit. Ligneis*, *de conſecr. Eccleſ.* & ratio convincit, quia Eccleſiæ conſecratio nequaquàm in productis, ſed in interiore parietum ſuperficie, in quibus unctio fit, & per cruces ſignatio, conſiſtit: Secùs verò parietibus Eccleſiæ omninò illæſis permanentibus: ſed cruſtâ eorum penitùs ex incendio ad nihilum redactâ, vel alio accidente omninò deſtructâ; cum in tali caſu pereat materia, in qua facta eſt conſecratio: ità juris Canonici Interpretes in d. *Capit. Ligneis*. Non tamèn perire benedictionem, ſi benedicta fuit talis Eccleſia; etiam ipſis

parietibus corruentibus; etiam cruſtâ omni ad nihilum redactâ, arbitramur, ſcientes ex communi Doctorum ſenſu, Benedictionem ſolo inhærere, quod etiam probat Tex. in *l. Æde ſacra* 73. *ff. de contrah. empt.* quæ dicit, Ædem Sacram terremotu dirutam, non eſſe locum profanum.

15 Animadvertendum ſecundò, quando, citrà ullam ſanguinis effuſionem, occiſio aliqua in Eccleſia iniquè, & injuſtè committitur; tunc Eccleſiam pollui, & violari, & ſucceſſivè reconciliatione indigere, docet etiam Gloſſ. in d. *Capit. Propoſuiſti, de conſecrat. Eccleſ.* undè ad conſtituendam pollutionem, ac violationem Eccleſiæ, canonicâ reconciliatione purgandam, ſufficere ſi quiſpiam in Eccleſia vulneretur, quamvis extrà Eccleſiam, à qua exivit, ſanguinem effundat, ſi in illa ſuffocetur, aùt quovis alio modo, ſine ſanguinis effuſione, injuſtè interficiatur, tametſi Martyr pro fide & Religione Chriſti Domini internecionem ſuſtineat, colligitur ex d. *Capit. Propoſuiſti*, & docet Gloſſ. communi conſenſu approbata; & eſt communis omnium ſententia, quam producit Sylv. *v. Conſecratio* 1. *qu.* 5. Secùs verò, ſeù non ſufficere ad Eccleſiam polluendam, & violandam, ſi quis extrà Eccleſiam vulnere acceptò, Eccleſiam ingreſſus, ibi ſanguinem fundit, vult Gloſſ. in d. *Capit. Propoſuiſti*, communitèr recepta. Itèm non ſufficere ſententiam mortis in aliquem reum à Judice in Eccleſia proferri, ſi nulla in ea ſanguinis effuſio ſequatur, tenet Azor. *tom.* 1. *Inſtitut. Moral. lib.* 10. *c.*26. *v. Quæres*, &c. in medio, ubi ſubdit, ſatis non eſſe ad Eccleſiam polluendam, & violandam, aliquem extra Eccleſiam commorantem ſaxo aùt telo ex Æde Sacra immiſſo perimere, aùt vulnerare; ſed ſatis eſſe contrarium, videlicèt, ſi quis in Eccleſia manens, ab aliquo extra Eccleſiam poſito, ſaxo, aùt jaculo emiſſo, necetur, aut feriatur, tunc hujuſmodi Eccleſiam fore reconciliandam, non controvertitur.

16 Animadvertendum tertiò, Eccleſiam in caſibus expoſitis non dici pollui, & violari, & ſic minimè indigere reconciliatione, niſi internecio, aùt vulneratio cum effuſione ſanguinis ſequatur intrà ſpatium, quod pertinet ad interius corpus Eccleſiæ, quod eſt ab interiore tecto, ut obſervat Laym. in d. *Capit. Propoſuiſti*, *num.* 4. uſque ad pavimentum illius Eccleſiæ; & à ſumma Ara, uſque ad parietem oppoſitum; itàut etiam Sacella, intrà talem Eccleſiam inſtituta, ſi proprio muro à reliquo Eccleſiæ corpore non

ſint

ſint ſejuncta, & ad uſum divinum deputata, Eccleſiæ talitèr violatæ, reconciliatione indigentis, nomine veniant; cum verba Capituli *Si Eccleſia, de conſecr. Eccleſ.* quibus divina officia in tali Eccleſia ſuſpenſa aſſeruntur, hanc explicationem exigant: Sic ille.

17 Animadvertendum quartò, jiſdem quoque modis, quibus Eccleſia polluitur, & violatur, etiam pollui, & violari Cœmeterium Eccleſiæ conjunctum, ut fidelium nemo in eo ſepeliri poſſit ante reconciliationem: Secùs verò ab eadem remotum; & probat optimus Textus in *Capit. unic. de conſecr. Eccleſ. in 6.* ubi Bonifacius VIII. teſtatur, idem ſe minimè ſentire in caſu converſo, ſcilicèt, quòd polluto Cœmeterio, eſtò Eccleſiæ contiguo, debeat Eccleſia reputari polluta; addens rationem, nempè, ne minùs dignum majus, aùt acceſſorium principale ad ſe trahere videatur; ſubdenſque, pluribus exiſtentibus Cœmeteriis, polluto uno Cœmeterio, aliud illi contiguum, pollutum non eſſe, quamvis per januam de uno in aliud detur ingreſſus; cum in tali caſu neutrum reſpectu alterius ſe habeat ut acceſſorium, aùt minus dignum, ſed utrumque æquè ſit principale, quamvis per unum ad alterum tranſitus pateat, & conſequentèr murus intermedius dividat, ut cenſeantur res diverſæ: ſic Gloſſ. in d. *Capit. unic. v. Contiguum*, ubi advertitur, ſubditurque per hoc, quod ex uno in alterum per januam pateat tranſitus, non fieri ea contigua.

18 Animadvertendum tandem quintò, Cœmeterium locum dici, authoritate Epiſcopi, ſi non conſecratum, aùt benedictum, deſtinatum ſaltèm, & deputatum ad ſepelienda in eo fidelium defunctorum cadavera; & Eccleſiæ minimè contiguum, ſuam propriam habens conſecrationem, benedictionem, aùt Epiſcopalem ſaltèm deputationem, quamvis Eccleſiæ non ſit acceſſorium, ſed cenſeatur ſe habere, ut principale, execrari tamèn, aùt violari jiſdem modis, & in illis caſibus, quibus, ut ſuperiùs innuimus, execratur, aùt violatur Eccleſia; id probante, *Capit. unic. alleg. & capit. Eccleſiam 27. ac 28. diſt. 1. de conſecr.* & ſucceſſivè ſuâ propriâ indigere reconciliatione, ut queat eſſe ſepultura Fidelium Defunctorum: Secùs verò, quando Cœmeterium eſt Eccleſiæ contiguum; quo in caſu cenſetur Eccleſiæ acceſſorium; hinc reconciliatâ Eccleſiâ, etiam Cœmeterium cenſetur acceſſoriè reconciliatum; & ſic non videtur ſpeciali reconciliatione indigere, juxtà Regulam 42. *de reg. jur.*

jur. in 6. quæ eſt -- Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis: ſicut enim Cœmeterium intelligitur pollutum, & violatum, Eccleſiâ pollutâ, & violatâ, tanquàm acceſſorium participans, ſeù induens naturam, & conditiones principalis, ità paritèr reconciliatum cenſendum eſt, ſuo principali reconciliato.

19 Nonnulli ſuperſunt modi, quibus Eccleſia, aùt Cœmeterium polluitur, & violatur, adferentes propterea indigentiam, ſeù neceſſitatem reconciliationis; qui conſultò prætermittuntur, aùt quia ſunt nullius momenti, aùt quia ad expoſitos reducuntur; aùt quia facillimè poſſunt in Rituali Romano reperiri.

§. IV.

Deducta ex traditis ſub præſenti Capite, panduntur.

20 Deducitur primò, violatâ, aùt pollutâ Eccleſiâ, violari, & pollui etiam Altaria in ea fixa; & è converſo: nàm ſi polluitur Eccleſia, violatur non ex parte, ſed ex toto: itèm, ſi polluuntur Altaria, quæ fixa ſunt in Eccleſia, neceſsè eſt, Eccleſiam ex toto violari. Huic deductioni favet etiam Syl. *v. Altare, qu.* 11. ſequutus Abbatem in d. *Capit. Propoſuiſti, de conſecrat.*

21 Deducitur ſecundò, violatis Eccleſię Altaribus fixis, Divina in eis celebrari non poſſe, donec reconcilientur: Diximus enim ex Sacrorum Canonum diſpoſitione, violatâ Eccleſiâ, non poſſe divina officia in ea celebrari, ſed remanere ſuſpenſa, donec reconcilietur, cui ſuſpenſioni etiam Altaria, quæ fixa ſunt in Eccleſia, quæque Eccleſiæ ſunt partes, neceſſe eſt ſubjacere, atque reconciliationem expectare; quippe quam acceſſoriè conſequuntur, quando Eccleſia polluta reconciliatur; nec alia ſpeciali reconciliatione indigent, cùm tantummodò acceſſoriè ſint violata Altaria, violatâ principalitèr Eccleſiâ.

22 Deducitur tertiò, poſſe quidèm plures contingere caſus, in quibus, vel ſola altaria, vel ſolæ Eccleſiæ, vel ſimul Eccleſiæ, & Altaria ſuam poſſunt conſecrationem amittere, & conſequentèr novâ conſecratione indigere; verùm, eorum con-

conſecrationem ſemel peractam, ſi aliquo ex prænotatis modis conſtat, non eſſe iterandam, admonet Textus in *Capit. Eccleſiis, de conſecr. diſt.* 1. niſi Eccleſiæ, ſubdit Textus, aùt ab igne exuſtæ, aùt ſanguinis effuſione, aùt cujuſcunque ſemine pollutæ fuerint.

23 Deducitur quartò, minimè violari, & pollui Eccleſiam per homicidia, aùt vulnerationes, quæ committuntur ſupra tabulatum ejus in tecto; aùt infrà in cryptis, v. g. in ſpeluncis inferioribus, vel in cameris ad latus Eccleſiæ ædificatis pro rebus Eccleſiæ cuſtodiendis; aùt pro Miniſtrorum Eccleſiæ habitationibùs, muro diſtincto ſeparatis, Laym. in d. *Capit. Propoſuiſti*, *num.* 4. verba enim Sacrorum Canonum in hac violationis materia nimiùm forent extenſa, ſi hujuſmodi loca comprehenderent.

24 Deducitur quintò, Eccleſiam, & Cœmeteria occultè polluta, quando pollutio latet, non indigere reconciliatione: Secùs verò, quando voluntaria pollutio, ſeù ſeminis effuſio, aùt illicita copula fuit occulta, ſed deindè poſt aliquot dies facta eſt notoria, ſeù incipit publicari violatio; tunc enim Eccleſiam, & Cœmiteria eſſe reconcilianda, certum eſt, & tradunt Abb. & Navar. quos refert, & ſequitur Azor. *loc. cit. verſ. Quintò*, *quando Eccleſia*; Aſcanius Tamburinus, quem producit, & probat Thomas Tambur. in *Decal. lib.* 7. *cap.* 2. §. 1. *nu.* 7. & 8. ubi ſubdit, copulam illicitam, & quamcunque illicitam ſeminis effuſionem in loco ſacro habitam, ſi ſit notoria, ſuperaddere peccato rationem ſacrilegii in confeſſione explicandam: Secùs tamèn, quando eſt occulta, & allegat pro ſe Vaſq. in *p.* 2. *to.* 1. *q.* 72. *art.* 7. *diſp.* 98. *cap.* 3. *n.* 6. & Baſil. Pont. *de matrim. lib.* 10. *n.* 15. dicentem, hanc ſententiam eſſe comunem DD. ſed ibidem fatetur, contrariam eſſe probabiliorem, pro qua adducit Suarez, *to.* 1. *de Relig. lib.* 3. *c.* 7. *n.* 4. Sanchez, *de matr. lib.* 9. *diſp.* 15. *n.* 11. indiſtinctè aſſerentes, pollutionem voluntariam, ſivè notoriam, ſivè occultam, factam in Eccleſia, continere ſacrilegii malitiam, & ſic neceſſariò in confeſſione explicandam; quibus libentèr adhæreo; quia hujuſmodi turpitudo contrariatur, etiam ſecluſo omni jure poſitivo, ſanctitati Eccleſiæ, non ſolùm proptèr malitiam eam, quam includit, ſed etiàm proptèr fœditatem actus, cujus deformitas, tametſi nullatenùs foret culpabilis, nihilominùs ſanctitati Eccleſiæ, & ejus munditiei ſummè repugnat. Ità paritèr ſentit Diana, *p.* 1. *tract.* 7. *reſ.* 26. *nu.* 1. ubi dicit, contrariam opinionem, eſſe falſam.

25 De-

25 Deducitur ſextò, Eccleſiam, aùt Cœmeteria, haud pollui, ſeù violari, quando naturali modo, aùt caſu aliquo, vel ad juſtam proximi defenſionem ſanguis effunditur, & ità ſentiunt communitèr Scribentes in d. *Capit. Propoſuiſti, de conſecr. Eccleſ. & Capit. Si Eccleſiam, eod. tit. in 6.* & notat Syl. *v. Conſecratio 2. quæſt.* 5. Nec etiam ſi alieni ſanguinis effuſio ſequatur per jocum, aùt ludum alioqui honeſtum, & juſtum, ut vult Navar. apud Azor. *loc. cit. qu.* 13. aùt per manus infantis, vel amentis, ut aſtruunt iidem Doctores; neve quando emiſsi ſanguinis guttæ ſunt paucæ: nam effuſionis nomine copiam ſanguinis ſignificari, docet Abb. in d. *Capit. Propoſuiſti, de conſecr. Eccleſ.* nec quando alicujus oſſa, vel membra conteruntur, & franguntur, dummodò ſanguis non effundatur; quod colligitur ex *Capit. Si Eccleſiam, de conſecr. Eccleſ. in 6.* & docet Azor. *tom. 1. Inſtit. moral. lib.* 10. *cap.* 26. *quæſt.* 13.

26 Deducitur ſeptimò, Eccleſiam, in qua Paganus ſepultus reperitur, non eſſe conſecrandam, nec eſſe Miſſas in ea celebrandas, niſi priùs ejecto hujuſmodi Defuncto infideli, ut monet Turrecr. in d. *Capit. Eccleſiam*, il ſecondo; & ejus cadaver eſſe eruendum, ſi diſcerni queat, & extrà Eccleſiam proiiciendum. Facit etiam Textus in *Capit. Sacris, de ſepult. Capit. Eccleſiam*, il primo, *de conſecr. diſt.* 1. nàm jis, quibus Eccleſia vivis non eſt communicanda, nec mortuis debet communicari, *Capit.* 2. *cauſa* 25. *qu.* 1. & notat Turrecr. in d. *Capit. Eccleſiam*, il ſecondo, & avulſo d. cadavere, parietes cum tignis illius loci, ſeù Eccleſiæ, eſſe abradendos: quod etiam conſtituitur in eodem *Capit. Eccleſiam*, il ſecondo, *de conſecr. diſt.* 1. Intellige, quando Eccleſia non eſt conſecrata; ſiquidèm Abb. in hoc *Capit. Eccleſiam*, admonet, id fieri non oportere, quando Eccleſia eſt conſecrata, quia parietibus Eccleſiæ abraſis, forma conſecrationis amittitur.

27 Deducitur octavò, non excuſari à peccato mortali Sacerdotem celebrantem in Eccleſia polluta, antequàm ſit reconciliata, aùt in privatis locis, juſtâ, & legitimâ causâ minimè interveniente: *arg.* etiam *in capit. Nullus*, il primo, *de conſecr. diſt.* 1. ubi dicitur — Nullus Presbyter Miſſas celebrare
„ præſumat, niſi in conſecratis
„ ab Epiſcopo locis, qui ſui par-
„ ticeps de cætero voluerit eſſe
„ Sacerdotii; ex *Capit. Clericos, de conſecr. ead. diſt.* ubi Sexta Synodus generalis mandat, eum ab officio amoveri, qui extrà Ec-

Eccleſiam miniſtrat, vel baptizat. Gravis igitùr pœna in his juribus conſtituta contra Sacerdotem alitèr facientem denotat ejus culpam eſſe gravem, nàm intèr pœnam, & culpam dari æqualitatem, ſivè proportionem omnia jura volunt. Ideòque nobis placere non poteſt opinio Sot. in 4. *diſt.* 13. *q.* 2. *art.* 3. apud Azor. *to.* 1. *Inſtit. moral. lib.* 10. *cap.* 26. *qu.* 8. negantis peccare lethalitèr Sacerdotem, ſi celebrat in locis præfatis, dummodò abſit contemptus legis, aùt aliorum offenſio, quod ſummè diſplicet dicto Azorio, aſſerenti ibidem ſententiam Navar. in *Manual. cap.* 25. *num.* 81. quæ eſt affirmativa, eſſe probabiliorem.

28 Deducitur nonò, ratam & firmam non eſſe Eccleſiæ conſecrationem factam à ſimplici Sacerdote ex commiſſione Epiſcopi, ſeù Eccleſiam non cenſeri conſecratam, ſi ſimplex Sacerdos eam de mandato Epiſcopi conſecraverit, quamvis ea, quæ pertinent ad juriſdictionem, poſſit Epiſcopus delegare, juxtà Tex. in *Capit. Aquæ*, *de conſecrat. Eccleſiæ*, & ibi Gloſſ. & DD. & tradit Azor. *loc. cit. qu.* 10.

29 Deducitur decimò, Eccleſiam eſſe reconſecrandam, quando conſtat, omnia, quæ ſolent fieri in conſecratione, ritè & ſolemnitèr fuiſſe peracta, ſed dubitatur, an, qui illam conſecravit, fuerit ſimplex Sacerdos, aùt Epiſcopus nondum conſecratus; quod probat Tex. in *Capit. Presbyter*, *diſt.* 68. & docet Card. Turrecr. in *Capit. Solemnitates*, §. *Sed quæritur, num.* 3. *de conſecrat. diſt.* 1. alios allegans; ibidem ſubdens, feſtivitatem dedicationis Eccleſiæ, quam conſtat eſſe ritè conſecratam, quando anniverſarius conſecrationis dies ignoratur, eſſe celebrandam eodem die, quo feſtivitas dedicationis Epiſcopalis Eccleſiæ celebratur; & ſi hic dies paritèr ignoretur, debere Epiſcopum cum Clericis illius Eccleſiæ diem eligere, quo talis Feſtivitas celebretur. Hæc dicta ſint iu gratiam eruditioni Eccleſiaſticæ operam dantium, & Sacris Ritibus ſtudentium.

CA-

CAPUT VIII.

FACTI SPECIES.

Altare portatile primariis Exercitus Viris, Sede Apoſtolicâ indulgente, pro Miſsâ audiendâ, & Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento recipiendo, ſupponitur eſſe conceſſum. Capellanus major dicti Exercitus mittit ad Ordinarium Altare portatile, ex duobus Lapidibus conſtans, conſecrandum. Ordinarius, inſpectâ hujuſmodi conſtitutione, ſeù pluralitate lapidum in dicto Altari portatili, uti Myſterio adverſante, renuit illud conſecrare, aſtruens, Altare portatile debere ex uno tantùm lapide conſtare – Controvertitur quìd juris.

§. I.

Quædam præmittenda, quibus Controverſia diſcutitur, ad reſolutionem, præponuntur.

1 PRÆMITTENDUM eſt primò, duplex eſſe Altare, unum, quod portatile nuncupatur, eò quòd poſſit à loco ad locum mutari, & transferri; quodque in jure Viaticum appellatur, *Capit. ult. de privileg. in 6.*, *& in Capit. Concedimus, de Conſecrat. diſt.* 1. vocatur Tabula Altaris conſecrata, & alicubi dicitur Ara ſacra; & hoc Altare ſemper ſolet eſſe conſecratum: unde animadvertimus, per hujuſmodi motionem, aùt translationem de uno loco in alium, vel etiam per ſeparationem lapidis à ligno, intrà quod lapis ille adſervatur, hujus Altaris conſecrationem minimè amitti, cùm hujuſmodi lapis

per

per ſe ſit conſecratus. Alterum verò immobile, ſivè fixum, ſeù ſtabile, quod à locò non movetur, ſed certæ baſi affixum eſt, & quâ tale conſecratur; & quemadmodùm formam ſuam, & conſecrationem, ut fixum, & certæ ſtructuræ conjunctum, ut loquitur Gloſſ. *in Capit. Si motum*, *diſt.*1. *de Conſecr. v. Altare*, accipit, ità per motionem ab hac inferiore menſæ talitèr conſecratæ ſtructurâ, illam deperdit. Sic etiam ſentire videtur Lay. in *Theolog.moral. lib.*5.*tract.*5.*cap.*6.*n.*3., *& in Capit. Ad hæc,n.*2. *de conſecr.*

2 Præmittendum ſecundò, Sacerdoti jure interdici ſacrum facere in aliis Locis præter quàm in Locis Epiſcopi authoritate conſecratis, *Capit.Sicut, de Conſecr. diſt.*1. ubi Felix Papa IV. *Epiſt.ad Epiſcopos omnes ortodoxos* dicit-Sicut non alii,quàm
„ ſacrati Deo Sacerdotes, debent
„ Miſſas celebrare, nec Sacrificia
„ ſuper Altare offerre, sìc non in
„ aliis, quàm in Domino conſe-
„ cratis locis, ideſt in tabernacu-
„ lis divinis precibus à Pontifici-
„ bus delibutis Miſſas cantare,
„ aùt Sacrificia offerre licet, niſi
„ ſumma coegerit neceſſitas. Idem monet Concilium Triburienſe *in Capit. Miſſarum*, Clemens Papa *in Capit. Hic ergo*; Silveſter Papa *in Capit.Nullus Preſbyter, de conſecrat. diſt.*1. Quæ tamèn regula olìm, ſæviente contrà Eccleſiam perſecutione, minimè ſervabatur: ſiquidèm Sacrificia Deo offerebantur in cryptis, ſpeluncis, & in Ædibus privatis, ut notat Baronius pluribus in locis ſuorum Annalium, præſertim *tom.*2.*ſub an. Chriſti* 255.*pag.mihi* 471.*lit.c.* & eodem *tom.*2.*ſub an.Chriſti* 307. *lit. a. b. c. pag.*711.713. 714. 715. *lit. C. D. E.* in hiſce enim locis Sacerdotes perſecutione coacti Miſſam celebrabant: poſtmodùm verò jure communi conſtitutum eſt, non eſſe vivificam Chriſti Hoſtiam immolandam, ſeù Sacrificium incruentum Deo offerendum extrà caſum neceſſitatis niſi in locis authoritate Epiſcopi conſecratis.

3 Præmittendum tertiò, nefas haud eſſe, poſt Concilium Tridentinum, Sacerdotibus Sacrificium offerre extrà loca conſecrata tempore neceſſitatis, & Epiſcopi conſenſu interveniente, ſi commodè adiri poteſt Epiſcopus, ad hujuſmodi conſenſum petendum, & impetrandum, aùt etiam ſine eo, ubi facilè, ſeù commodè peti non poteſt. Sic tradunt Sot. *in* 4. *diſt.*13. *qu.*2. *art.*3. Navar. *in Manual. cap.*25. *num.*82., & alii, quibus libenter adhæreo, ſciens, Concilium Tridentinum voluiſſe ſuo decreto abuſus prępedire, & propagatos evellere, & ad nihilum redigere: atqui

non eſſe abuſum, urgente neceſsitate, in locis non conſecratis Miſſę Sacrificium offerre, probat Textus in *d.Capit.Sicut, de conſecr. diſt.*1.ubi id permittitur; & in *d.Capit.Concedimus, eod.tit.* ubi eadem facultas conceditur.Propterea licere in bello rem Divinam facere ſub tentoriis, aùt ſub dio in Altari tamèn portatili conſecrato, ut chriſtiani Milites Miſſam audiant, vel Divinam Euchariſtiam ſumant, & ſe ad ferventiùs, & conſtantiùs pugnandum, Hoſtes triumphaturi, diſponant, fusè juribus, rationibus, nec non exemplis demonſtravimus in Theologia Bellica *tom.*1. *lib.*2. *diſt.*8. per totam, ubi omnes Caſus, in quibus, inſpectâ neceſsitate contingente, licet extrà loca conſecrata venerandum, & adorandum Miſſæ Sacrificium Deo offerre, clarè, & ſuccinctè exponuntur.

4 Præmittendum quartò neceſsitatem, quæ excuſat à culpà læthali Sacerdotem extrà loca deputata celebrantem, duplicem eſſe, abſolutam ſcilicèt, & moralem; abſolutam, inquam, quæ nunquam, aùt rariſsimè poteſt contingere; undè neceſſarium abſolutè, & ſimplicitèr id appellamus, quod impoſsibile eſt ſe alitèr habere. Hinc dicitur, hujuſmodi neceſſarium humano non ſubjacere judicio; & ſucceſsivè neceſsitatem legem non recognoſcere, ſeù non habere, ideſt ceſsare legem ubi neceſsitas venit, ut exprimitur in *leg.*1. *ff. de offic. Conſul.*, ſivè in neceſsitate poſitum non ſubeſſe legi, nec dici legis tranſgreſsorem, ideſt reum tranſgreſsionis, quamvis alitèr agat, quàm lex præcipiat, ut per Text. *in Capit. Diſcipulos, de conſec. diſt.*5. *Cap. Quod non eſt, extrà de reg. jur.* ubi dicitur: Quod non eſt licitum in lege, neceſſitas facit licitum: & eſt ratio hujus regulæ, quia neceſsitas eſt contraria voluntati, *l.* 1. *ff. quod mèt. cauſ.* & nullum eſſe peccatum niſi voluntarium, habetur *ex Capit. aliquos, & ſeqq. cauſ.* 15. *qu.*1. & eſt ſenſus communis Theologorum. Moralis verò neceſsitas, quà Sacerdos excuſatur à culpa gravi celebrans in locis non deputatis, fundatur in exigentia devotionis Fidelium, ut advertit Paſq. *in Deciſ. Moral. de Celebrat. Miſſ. deciſ.*167. *num.*2.

5 Præmittendum quintò, licuiſſe quidèm Epiſcopo antè Concilium Tridentinum facultatem concedere Sacerdotibus Miſſam celebrandi in locis non Sacris, ut conſtat ex *Capit. Miſſarum, et Cap. Hic ergo, de conſec. diſt.*1. *& Capit. Clericos, ead. tit. & ead. diſt.* ubi Clerici prohibentur miniſtrare in Oratoriis,

quæ

quæ intrà domos ſunt, niſi accedente conſenſu Epiſcopi loci: ſed nunc poſt d. Concilium, ſoli Romano Pontifici jus competere dictam facultatem impertiri, notat, aliis citatis, Azor. *tom.* 1. *Inſtit. Moral. lib.* 10. *cap.* 26. *qu.* 3. & colligitur ex eod. Conc. *ſeſſ.* 22. *cap. unico, Decreto de obſerv. & evit. in celebrat. Miſſ.* ubi admonentur Epiſcopi — Ne patiantur privatis in domibus, atque omninò extrà Eccleſiam, & ad Divinum tantùm cultum dedicata Oratoria, ab eiſdem Ordinariis deſignanda, & viſitanda, ſanctum hoc Sacrificium à Sæcularibus, aùt Regularibus quibuſcunque peragi, &c. Hæc Trid. & Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi S. R. E. Cardinales, ipſius Concilii Tridentini executioni, & interpretationi præpoſiti, declararunt, ut notat Azor. *loc. cit.* hujuſmodi facultatem ab Epiſcopis dari non poſſe.

6 Præmittendum ſextò, jus Altaris conſecrandi ſolis Epiſcopis convenire, ut colligitur ex *Capit. Quamvis, diſt.* 68. ubi Leo Papa I. declarat, Epiſcoporum eſſe Presbyteros, Diaconos, & Virgines conſecrare, Altare conſtruere, ſacrare, & ungere. An id eis conveniat ratione juriſdictionis, aùt Ordinis, aùt Dignitatis, intèr Canoniſtas controvertitur. Non tamèn controvertitur, ad Epiſcopos quædam jure divino ſpectare, cujuſmodi ſunt Sacramentum Confirmationis conferre, & ad Ordines Sacros promovere; alia verò jure Canonico, ut Eccleſias, Altaria, Vaſa, Veſtes, ac Virgines conſecrare: quo in ſenſu omnes conveniunt.

§. II.

Altare portatile, quod Sedes Apoſtolica indulget, poſſe viris primariis Exercituum concedi pro Miſſa audienda, quomodo ſit conſtruendum, & conſecrandum, & cuſtodiendum.

7 NOs non latet, olim primis Eccleſiæ temporibus, cum Sacerdotes, ut ſupra diximus, ob ſævas, & frequentes Gentilium perſecutiones, in Cryptis, & Speluncis incruen-

tum Miſſæ Sacrificium Deo offerre deberent, ligneorum Altarium uſum fuiſſe, ut commodiùs de loco in locum transferri poſſent. Poſtmodùm tamèn, pace Eccleſiæ ſub Conſtantino Imperatore redditâ ex lapidibus tanquàm firmiore, & quæ magis durabilis eſt, materiâ, Altaria tùm fixa, tùm portatilia jure communi eſſe debere, non terrea, non lignea, ſed lapidea; quod habetur in *Capit. Ad hæc, de conſecr. Eccleſ.* ubi dicitur, quòd ſi Altare motum fuerit, aùt lapis ſolummodò ſuperpoſitus, qui ſigillum continet, confractus, aùt etiam diminutus, debet dennò conſecrari: Et *Capit. Altaria*, il primo, *de conſecr. diſt.* 1. ubi expreſsè habetur -- Altaria ſi „ non fuerint lapidea, chriſmatis „ unctione non conſecrantur: Non tamèn negamus, Altare fixum, aùt mobile poſſe eſſe incluſum, vel ſuperpoſitum in tabulâ ligneâ, vel in aliâ materiâ.

8 Celebris eſt controverſia intèr Canoniſtas, ſeù Sacrorum Canonum Interpretes, & quidèm ſcitu digniſſima, nùm Altare portatile conſtare poſſit ex duobus lapidibus, vel ſeparabilibus, vel qui claudi poſſint, vel aperiri adinſtar voluminis, ſeù libri: Quod triplicitèr poteſt fieri; Primò, ſi lapides ità conjungantur, ut tamèn poſſint ad libitum abſque aliquâ fracturâ ad invicem ſeperari; Secundò, ſi illi duo lapides inſeruntur duobus lignis ità ſe habentibus, ut queant adinſtàr libri claudi, & aperiri: Tertiò, ſi lapides ità inter ſe aliquo nexu uniantur, ut nexus, ſivè ferreus, ſivè argenteus, ſivè ex alia materia ſit in ipſis lapidibus, & poſſint claudi, & aperiri. Aliis modis poſſet horum duorum lapidum colligatio ſuccedere, quos ſanè aliorum ingenio excogitandos remitto.

9 Scio nonnullorum reſponſum eſſe affirmativum, illudque ut probabilius edocentium, huic fundamento innixorum, quia lapides, eſtò ſint duo, nihilominùs ſe habent, ut quid unum; neve amittunt per ſeparationem conſecrationem, nàm Altare conſecratur cum illa partium mobilitate, & ſeparabilitate, quæ includitur in ipſa forma Altaris. Tum quia, unitas, quæ requiritur in Altari, non eſt neceſsè, quòd ſit unitas naturalis lapidis, ſed ſufficit, quòd ſit unitas artificialis, & quòd moralitèr cenſeatur unum, cum Altare ſit quid artificiatum; & ideò aliam unitatem non requirit, quàm artificialem. Salvari autèm unitatem artificialem, etiam ſi Altare conſtet ex duobus lapidibus, quocunque modo adinvicem connexis, conſideranti patet,

ſiqui-

ſiquidèm connexio facit, quòd ſe habeant per modum unius: lapides enim illi conjunguntur in capſula lignea, remanentque contigui; quod ſanè ſufficit, ut ſe habeant per modum unius, conſtituantque unicum Altare. Præthereà, hujuſmodi lapidum conjunctio, ſeù hujuſmodi Altare ex duobus lapidibus conſtructum nullo jure reperitur prohibitum. Ergo non eſt cenſendum illicitum: Nàm in jis, quæ naturâ ſuâ mala non ſunt, non eſſe illicitum, niſi quod eſt prohibitum, communis eſt, tùm Theologorum, tùm Canoniſtarum ſenſus.

10 Fateor, hanc opinionem non exiguam probabilitatem habere. Contrariæ tamèn, quæ probabilior mihi videtur, lubentèr adhæreo, nempè, Altare portatile non poſſe duobus lapidibus modo dicto conſtare, ſecluſâ Summi Pontificis licentiâ, firmitèr arbitror cum Sylv. *v. Altare*, *qu.* 3. Facund. *lib.* 3. *de* 1. *præcept. Eccleſ. cap.* 22. *num.* 9. Vaſqu. 3. *p. dip.* 233. *num.* 16. Lugo, *de Euchar. diſp.* 20. *ſect.* 2. *num.* 67.

11 Moveor primò, juribus in *l. Viros*, *lib.* 12. *Cod. de diverſ. offic.* ubi habetur, conſuetudinem eſſe tenacitèr obſervandam, quia legis vim habet, & dat juriſdictionem, & *l. ult. Cod. de agr. & cenſ. lib.* 11. ubi dicitur, quòd conſuetudo dat mandatum. Præthereà, conſuetudo illa eſt, quæ actus omnes determinat, quod tradit Deci. in *l. Sempèr in ſtipulationibus*, *num.* 10. *de reg. jur. conſ.* 441. *num.* 13. Ruin. *conſ.* 104. *nu.* 3. *lib.* 5. cum aliis, quos producit, & ſequitur Menoch. *de arbitr. jud. lib.* 1. *qu.* 71. *num.* 7. Inſupèr, conſuetudinem veritati æquivalere, docet Neviz. *lib.* 5. *Syl. nupt. nu.* 65. Dare formam, & eſſe jus quoddam naturale, illique reverentiam eſſe præbendam, dicit Crav. *conſ.* 238. *num.* 8. & 9. Ex conſuetudine autem Eccleſiæ habetur, Altare portatile uno lapide conſtare, & non duobus. Ergo ſi ex juribus allegatis conſuetudo vim habet juſtitiæ, ità agendum eſt; ſi mandat, ei parendum eſt; ſi actus determinat, non alitèr diſponendum eſt; ſi æquivalet veritati, ei credendum eſt, ſi eſt quoddam jus naturale, ab eo Ars in conſtruendo Altari portatili non debet diſcrepare: Ergo ex uno, & non duobus lapidibus debet eſſe Altare portatile.

12 Moveor ſecundò rationibus. Certum eſt, in conſtructione Altaris ſalvandam eſſe rationem myſterii. In quonam conſiſtit Altaris myſterium? In hoc, quod ſignificet Chriſtum, in quo unam tantùm eſſe Perſonam, & non duplicem Perſonam, Fides Catholica docet, Sacra Theologia explicat: & ideò

ideò, ſi in Altari duo eſſent lapides, duplicem ſignificarent Perſonam, quod veritati orthoxæ adverſatur. Præterquamquòd, ideò Altare ex duobus conſtaret Lapidibus, quia in uno deberet conſecrari Hoſtia, & in alio Calix; quod ſanè idem eſſet, ac ſi in unâ Eccleſiâ conſecraretur Corpus, & in alia Sanguis. En ſeparatio, quæ repugnat unitati Myſterii. En diviſio, quæ tollit ſignificatum Unitatis. Concluditur itàque, ex uno tantùm lapide conſtruendum eſſe Altare, tùm portatile, tùm fixum.

13 Videamus nunc quantæ magnitudinis debeat eſſe Altare portatile. Quippe quod ſcitu difficilè nequaquàm videtur, inſpecto Sacro Miniſterio, cui debet magnitudo inſervire, quæ eſt commodè capere Hoſtiam conſecratam & Calicem. Tantam igitur debere eſſe magnitudinem Altaris, ut commodè capere queat pedem Calicis, & Hoſtiam conſecratam, communis eſt opinio, ut teſtatur Azor. *tom.* 1. *Inſtit. Moral. lib.* 10. *cap.*27. *qu.*7. Hoc tamèn ſic eſſe intelligendum, docet Sylv. *v. Altare*, *num.* 1. ex Paludano, ut iſta commodè capiat majori ex parte, nimirùm, ut Hoſtia, & Calix, majori ex parte ſint in Altari: deindè, ut iſti duo ſecundùm majorem partem in Altari ſint tempore, quo fit eorum conſecratio; itaut Sacerdos verè dicatur conficere in Altari conſecrationem Hoſtiæ. Additur, Altare portatile, quamvis ſit parvum, poſſe ſufficere pro conſecratione utriuſque, nempè Hoſtiæ, & Calicis, ſi modica ſit Hoſtia, modicus quoque pes Calicis, ità tamèn, ut utrumque commodè capere valeat.

14 Hic perpendenda alia inſurgit Canoniſtarum, rem noſtram concernens, controverſia. Nùm Conſecratio Altaris, quoad ſubſtantiam, Reliquias exigat Sanctorum, itàut ex præcepto Eccleſiæ non poſſit Altare abſque Sanctorum Reliquiis conſecrari. Hugo, Aſtenſis, & alii admittunt, Eccleſiam prohibere Altaris conſecrationem fieri abſque Reliquiis Sanctorum; putant tamèn conſecrationem valere ab illis ſemotam, hàc freti ratione, quia ex *Capit. Concedimus*, *de conſecrat. diſt.* 2. & ex Codicibus antiquis, Miſſarum ordinem, & formulam continentibus, notatur, Reliquiis in Altari minimè exiſtentibus, omittendam eſſe illam particulam Orationis, quæ dicitur poſt confeſſionem à Sacerdote, dùm aſcendit ad Altare, videlicèt — Oramus te
„ Domine per merita Sanctorum
„ tuorum, quorum Reliquiæ hîc ſunt &c. Subdunt, Canones Eccleſiæ vetantes Altaris conſecra-

crationem fieri ſine Reliquiis, nunc non eſſe ſervandos, niſi ubi Sacræ Reliquiæ haberi poſſunt, ità ſentire videtur Sot. in 4. *diſt.* 13. *qu.* 2. *art.* 3.

15 Pars oppoſita, quæ eſt Sylveſtri, Tabienſis, & aliorum, quæque mihi plurimùm placet, tanquàm probabilior, magiſque cum ipſo jure conveniens, tenet, non ſolùm Eccleſiæ præcepto oportere in conſecratione Altaris Sacras Reliquias collocari, ſed etiam ad ſubſtantiam ejuſdem conſecrationis eas pertinere; Altareque ſine Reliquiis conſecratum pro Altari profano, quod conſecratum non ſit, eſſe habendum. Quæ cuncta probat Textus in *Capit. Placuit, de conſecr. diſt.* 1. ubi ex Concilio Africano dicitur –

„ Placuit, ut Altaria, quæ paſſim
„ per agros, & per villas tanquàm
„ memoriæ Martyrum conſti-
„ tuuntur, in quibus nullum cor-
„ pus, aùt reliquiæ Martyris con-
„ ditæ probantur, ab Epiſcopis,
„ qui eiſdem locis præſunt, ſi fie-
„ ri poteſt, evertantur.

Facit pariter Textus in *Capit. De fabrica, de conſecr. diſt.* 1. ubi habetur, conſecrationem Eccleſiæ ſine Sanctorum reliquiis non eſſe faciendam, eſtò Eccleſia diruta inſtaurari ſine ipſis poſſit; cum ipſarum loco, ut ibi obſervat Card. Turrecr. ſufficiant Miſſæ anteà ibidem celebratæ.

16 Porrò, hanc poſteriorem ſententiam, quæ juribus, ritibuſque Eccleſiæ conformior apparet, fore ab Epiſcopo, aùt à Capellano Majori Exercituum, vel quovis alio Sacerdote, cui id agere, ſeù Altare portatile, aùt Eccleſiam conſecrare Summus Pontifex ſpecialitèr indulſit, ſequendam, & ad praxim deducendam, attentà conſuetudine, conſtantèr ſentimus.

§. III.

§. III.

Quando ſepulchrum, ſeù loculus, in quo ponuntur, & ſigillantur Reliquiæ, non eſt in ligno, ſed in lapide; Altare portatile non amittere conſecrationem, ſi lapis amoveatur à ligno, ſeù capſula, cui eſt affixus, demonſtratur.

17 Altare portatile conſecratum deſinere eſſe ſacrum, ſeù amittere conſecrationem, quando ſepulchrum eſt in ligno, & non in lapide, ſi lapis removeatur à ligno, tradunt Sylv. *v. Altare, qu.* 8. in fine, Henriq. *lib.9. cap.*28. §.1. Reginal. *lib.* 29. *Fori pœnit. num.* 192. Miranda, *tom.* 2. *Manual. Prælat. qu.* 39. *art.*3. *concluſ.* 2. Lug. *de Eucbariſt. diſp.*20. *ſect.*2. *num.* 67. Joan. Andr.in *Capit. Ligneis*, *de conſecrr. Eccleſ. vel Altar.* & alii communitèr.

18 Idem Altare amittere conſecrationem, quando ſigillum lapidis, ſeù ſepulchrum, quo ſigillantur Reliquiæ, fractum eſt, vel diminutum, tradit Card. Turrecr. in d. *Capit.De fabrica, de conſecr. diſt.* 1. docent Scribentes præallegati, & probat optimus Textus in *Capit. Ad hæc*, & *capit. Quod in dubiis, extr. de conſecrat. Eccleſ. vel Altar.* Aùt quando ipſum enormitèr frangitur, itaùt amittat formam, ut eſſet, ſi pars, quæ ſupereſt, nequiret commodè capere Hoſtiam, & Calicem, probant ijdem Doctores, & jidem Textus. Aùt quando frangitur lapis in quatuor Cornibus, & in illis partibus, in quibus facta fuit conſecratio, tradiderunt veteres Canoniſtæ, quos ſequutus eſt Barboſa, *lib.* 2. *de univerſ.jur.Eccleſ. cap.*7. *num.* 20. Bonac. *de Eucbariſt. diſp.*4. *qu. ult. punct.* 9. *nu.*15. ſi lapis, qui remanet, amittat formam, ſeù non ſit tantę quantitatis, ut poſſit commodè capere Calicem, & Hoſtiam. Secùs verò, ſi, non obſtante fracturâ, commoda capacitas pro dicto effectu remaneret, ut ſentiunt Suarez 3.*p. tom.*3.*diſp.*81.

*ſeſſ.*5.

*ſect.*5. *verſ. Tertiò additur*, & Portell. *in dub. reg. v. Altare, num.*4. hac ducti ratione, quia in conſecratione totus lapis conſecratur, tametſi unctiones fiant ſolummodò in angulis; atque adeò tàm una pars, quàm alia eodem modo manet conſecrata. Propterea hujuſmodi altare non requirit certam formam, ſed ſolùm quòd lapis ſit planus, itàut queat Calicem capere, & Hoſtiam; ſequutâ igitur fracturâ in cornibus, adhuc lapis ille erit ſacer; & cum valeat capere Calicem, & Hoſtiam, poterit in uſu venerandi & incruenti Sacrificii adhiberi.

19 Procedamus nunc ad explicationem, & probationem propoſiti Paragraphi; in quo aſſeritur, Altare Portatile non amittere conſecrationem, ſi lapis amoveatur à ligno, ſeù tabulâ, cui eſt affixus, quando ſepulchrum, ſeù loculus, in quo ponuntur, & ſigillantur Reliquiæ, non eſt in ligno, ſed in lapide.

20 Scio, contrarium ſentire Panorm. in *Capit. Ligneis*, *de conſecr. Eccleſ.* & *Altar.* Aſtenſ. *lib.*4. *ſum. tit.*14. *art.*4. Palud. *in* 4. *diſt.*13. *qu.* 2. *art.* 4. Durand. *lib.* 1. *Rational. cap.* 25. qui allegat Ivonem *Epiſt.* 32. & *epiſt.*128. & alios, hac ratione motos, quia lapis non conſecratur, niſi ut affixus ligno, ſeù alicui tabulæ, in qua eſt ut in proprio loco: ex quo ſequitur, hoc Altare formam accipere à ligno, ſeù tabulâ: Ergo ſi lapis removetur à ligno, Altaris forma evaneſcit. Eorum tamèn doctrinam duxere ſic limitare, videlicèt, quando lapis eſt ità parvus, ut non poſſit commodè capere Calicem, cum Hoſtia eo modo, quo debent ſupèr ipſum ad celebrandum collocari.

21 Non obſtantibus productis Adverſariorum rationibus, etiam additâ limitatione modificatis, noſtrum conceptum, atque expoſitum ſenſum nullatenùs immutamus; noſcentes eidem favere eorum authoritate, Abb. in d. *Capit. Ligneis*, *de conſecrat. Eccleſ. vel Altar.* Joan. Andr. *ibidem*, Sylv. *v. Altare*, *qu.*9. Suarez, 3.*p. tom.*3. *diſp.*81. *ſect.*5. *verſ. Tertiò additur*, Hieronym. Rodriq. in *Comp. qu. regul. reſul.* 9. *n.* 10. Villalob. *p.*1. *ſum. tract.*8. *diffic.*25. *nu.*3. & 4. & alios, ſubdentes, hanc ſententiam eſſe omninò tenendam.

22 Movemur primò juribus ſaltèm deductivè, & præſertim in d. *Capit. Altaria*, il primo, *de conſecrat. diſt.* 1. ubi habetur, Altare non eſſe conſeſecrandum, niſi ſit lapideum; & ſucceſſivè non poſſe conſtare ex ligno: Conſtat igitùr, in Altari portatili partem ligneam, non eſſe partem illius Altaris;

& conſequentèr, remoto lapide à ligno, ſivè capſulâ, nihil adimi, quod pertineat ad ſubſtantiam Altaris; & ratio ſuadet, quia quando Altare conſecratur, non lignum, ſeù non capſula conſecratur, ſed ſolus lapis: undè concluditur, totam conſecrationem in lapide eſſe, & ſic permanere, quando lapis amovetur à ligno.

23 Movemur ſecundò rationibus. Sciunt Eruditi, execrationem altaris eſſe de jure poſitivo; & ſic non eſſe aſſerendam, quando in jure ipſa nequaquàm exprimitur. In nullo autem jure reperitur quòd Altare portatile execretur, quando lapis removetur à ligno, ſeù tabulâ, cui eſt affixus: ergo &c.

24 His ſanè perpenſis, ruit fundamentum contrariæ ſententiæ: nàm quamvis lapis conſecretur, ut ligno affixus, non tamèn conſecratio ſe extendit, ſeù tranſit ad lignum; ſeù non tamèn lignum conſecratur, cum non ſit pars Altaris. Si verò lapis ſit exiguæ quantitatis, ſeù adeò parvus, ut ſeorſim à capſula nequeat commodè Hoſtiam capere cum Calice, adhùc ſolum lapidem conſecrari, cum lignum non ſit capax conſecrationis, & remotum à ligno retinere conſecrationem, non dubitamus; culpam tamèn committeret Sacerdos in ipſo celebrando; cùm temerè auderet Agnum divinum Æterno Patri ſacrificare ſupèr Altari minimè apto ad recipiendum Sacrificium.

§. IV.

Deducta ex traditis ſub præſenti Capite non incongruè exhibentur.

25 Deducitur primò, Altaris conſecrationem ſolis Epiſcopis reſervari, *Capit. Quamvis*, *diſt.* 68. & ab Epiſcopo eam non poſſe ſimplici Presbytero delegari, cùm Epiſcopus in jus commune canonicum, quo Altaris conſecratio eſt inſtituta, authoritatem non habeat. Solius enim Romani Pontificis, qui eſt Caput juris Canonici, authoritate id poſſe committi, perſpicuum eſt. Additur paritèr, deduci nullâ conſuetudine, vel præſcriptione poſſe à ſimplici Sacerdote jus & poteſtatem acquiri Altaria, ſivè fixa, ſivè portatilia conſecrandi, ut ſentiunt omnes DD. Conſtat igitur, non poſſe Capel-

pellanum Majorem Exercitus ſi non eſt Epiſcopus, Altaria portatilia conſecrare abſq; ſpeciali Papæ delegatione, ſivè licentiâ.

26 Deducitur ſecundò, poſſe Eccleſiam violari, combuſtis, v. g. parietibus, aùt collabentibus, in quibus Eccleſiæ conſecrario conſiſtit; & ſucceſſivè novâ conſecratione indigere, & Altare integrum, & illæſum ſervatum ſuam retinere conſecrationem; & vice verſâ, poſſe per enormem fractionem, aùt motionem lapidis conſecrati Altare execrari, & ſic novâ conſecratione indigere, & Eccleſiam ſuam conſecrationem non amittere; eſtò quod pollutâ Eccleſiâ per ſanguinis, aùt humani ſeminis effuſionem, cuncta in ea fixa Altaria cenſeantur polluta; & vice verſâ, ſi unum Altare dicto modo polluatur; etiam polluta cenſeatur Eccleſia, itàut novâ reconciliatione indigeat tàm Eccleſia, quàm Altare.

27 Deducitur tertiò, nemini hodiè concedi, & quidèm rectè, in ligneo Altari Miſſam celebrare, niſi Summo Pontifici, cui, ob reverentiam S. Petri, cujus eſt Succeſſor, antiquiſſimum illius ligneum Altare ſervatur; cuique in illo fas eſt celebrare; ut notat Lay. in *Capit. Ad hæc, num. 5. de conſecr. Eccleſ. vel Altar.*

28 Deducitur quartò obitèr; non licere Presbytero in Altari ſivè fixo, ſivè portatili ſacrificare, in quo Epiſcopus eodem die rem Divinam fecit, abſque ejus conſenſu, & id ob honorem, qui Epiſcopo debetur: Ità ſentiunt quoque Sylv. Tabien. & Armilla, *v. Altare*, & colligitur ex *Capit. in Altari, de conſecr. diſt. 2.* qui tamèn Canon videtur deſuetudine alicubi abrogatus; cumque arbitror olim viguiſſe, quando Epiſcopus in propriis Eccleſiis, & in ſua Diœceſi, ſolemnitèr celebrabat. Reſpectu tamèn Papæ, qui eſt Epiſcopus univerſalis, habens pro ſua Diœceſi, ſuoque Territorio totum terrarum Orbem, ut demonſtravi in *Rom. Pontif. Propug. art. 35. §. 2. & 3.* Dictum Canonem ſuum ſempèr habere vigorem, non eſt ambigendum; & conſequentèr nulli Sacerdoti, nullique Epiſcopo fas eſſe celebrare in Altari, eo die, in quo Summus Pontifex rem Divinam fecit, niſi priùs ejus conſenſu humilitèr expetito, & obtento.

29 Deducitur quintò, uſum Altaris portatilis licitum eſſe Epiſcopo, intrà tamèn domum propriæ habitationis in propria Diœceſi, quod etiam habetur ex *Capit. Quoniam Epiſcopi, de privileg. in 6.* ex quo Textu colligitur, hujuſmodi uſum fundari in aliqua rationabili

causâ, quia Papa ſupponit in ſua conceſſione, eum non poſſe commodè Eccleſiam adire; quod quippè locum habere videtur, non ſolum quando Epiſcopus celebrat, ſed etiam quando coram ſe facit celebrare. Huic Epiſcoporum privilegio non derogat Concil.Trid. *Seſſ.* 22. *Capit. unic. Decreto de obſervan.& evitan.in celebrat. Miſſ.* ut advertunt innumeri celebres Scribentes,& inter eos, Azor. *tom.* 1. *Inſtit. Moral. lib.* 10. *cap.* 26. *qu.* 4. ibi aſſerens, Sacram Congregationem ità declaraſſe, *anno* 1586. Inſupèr, cum hujuſmodi privilegium Epiſcoporum ſit inſertum in corpore juris, non poteſt cenſeri revocatum, quia de ipſo nullam ſpecialem mentionem facit Tridentinum, quod dubio procul, ſecundum communem Doctorum ſenſum, ut ſuperiùs demonſtravimus, pro revocatione neceſſariò requiritur. An verò Epiſcopus extrà propriam Diœceſim uti poſſit Altari portatili, aùt coram ſe facere in ipſo celebrare abſque licentia Ordinarii illius Loci, vide Navar. *lib.* 5. *conſil.* 16. *de privileg. num.* 1. *verſ. Secundò quod verius*, Sà, *v.Epiſcopus, nu.*24. Beja, *p.* 4. *caſu* 33. qui cum aliqua limitatione negant. Vide Ugolin. *de offic.& poteſt.Epiſc. p.*1. *cap.*2. §.2. *num.*4. Rodriq. *tom.*1. *qq.* Regul. *qu.*28. *art.*3. Barboſ. *de offic. & poteſt. Epiſcopi*, *p.*2. *allegat.*23. & alios, qui affirmant; quorum tamèn doctrinam Diana, *p.*4. *tract.*4. *reſ.*15. cenſet eſſe hoc modo limitandam: dummodò Epiſcopus non ſit in Urbe Romæ: ego tamèn puto, nullo modo eſſe hujuſmodi doctrinam etiam limitatam admittendam, etiamſi Diœceſani conſenſus adhiberetur, ut habetur in Decreto SS. Domini Noſtri Clementis XI. infra referendo.

30 Deducitur ſextò, Miſſionarios Regulares, qui participant privilegia aliorum Regularium, ut ſunt intèr cæteros, Clerici Regulares Theatini nuncupati, poſſe intèr Miſſiones Miſſæ Sacrificium celebrare ſupèr Altari portatili ubique gentium, dummodò locus ſit honeſtus, decens, tutus, nec adſit ullum periculum irreverentiæ. Id enim fuit conceſſum à Paulo III. Societati Jeſu, ſub *die* 15. *Kal. Novemb.ann.*1549. & innovatum à Greg.XIII. non obſtante Concil. Trid. *ſeſſ.* 22. *Decret. de obſerv.& evitan. in celebrat. Miſſ.* anno Octavo ſui Pontificatus, die prima Octobris, 1579. ſpeciali diplomate, quod incipit -- Uſus Altaris viatici, & refertur in *Compend. privileg. d. Societatis Jeſu, tit. Altare*: & tradunt Hieronymus Rodriq. in *compend. qq. regul. reſol.*9. *num.*4. Facundez, *de*

præcept.

præcept. Eccleſ. p.1. lib. 3. cap. 13. num.17. Alex. Peregr. in *Compend. privileg. Cler. Reg. tit. Miſſa*, §.1. & 2. ubi innuit, in ordine ad hoc ceſſare authoritatem Epiſcoporum, quam habent ex dicto Decreto Concilii Trid. *ſeſſ.* 22. interdicendi Regularibus celebrare in Altari portatili; ſubdens, hujuſmodi Decreto in ordine ad Miſſionarios fuiſſe derogatum à Gregorio XIII. in dicta ſua Bulla, incip. *Uſus Altaris Viatici*, expeditâ in favorem Societatis Jeſu hoc pacto, ut intèr miſſiones, quæ à Superioribus fiunt, Presbyteri dictæ Societatis, ſervatâ aliàs formâ conceſſionis dicti Pauli III. licitè valeant Miſſæ Sacrificium celebrare ſupèr Altari portatili ubique gentium, etiam in Caſtris Militum, dummodò loca etſi communia, & profana, tuta, & honeſta ſint, juxtà formam dictæ Conceſſionis Paulinæ, quæ eſt, ut in honeſto, & congruenti loco, & cum debita reverentia, & honore celebretur, prout Superiores id expedire judicaverint. Verùm, Privilegia Regularium pro ea parte, pro qua concedebant uſum Altaris portatilis in quocunque loco honeſto & decenti, fuiſſe revocata reſpectu domorum privatarum, & Oratoriorum, quæ ſunt in privatis domibus, tenet, & non ineptè probat Paſſer. *tom. 3. de hom. ſtat. qu. 189. de Profeſſ. art. 10. inſp. 10. num. 980. & ſeq.* ubi ſubdit, neque de ſolius Epiſcopi licentiâ poſſe hujuſmodi Oratoria admitti, & in eis celebrari, ſed neceſſariò requiri licentiam Summi Pontificis; eſtò talia Oratoria ſint ad ſolum Dei cultum in perpetuum deputata. Et ità etiam docuerunt Navar. *cap.21. n.81.* Bonac. *de Sacram. Euch. diſp.4. q. ult. punct.9. n.11.* Mirand. *tom.1. qu. 40. num.9. concluſ.3.* & alii, inhærentes, ut reor, Decreto Sac. Congr. Concilii, quantùm ad celebrationem Miſſarum in privatis Oratoriis, quod ſub Pauli V. nomine exiit; per quod decernitur ſolius Summi Pontificis eſſe concedere Oratoria privata: & hoc Decretum referunt Ceſped. *de exemp. Regularium, c.5. dub. 91.* Paſſer. *loc. cit. nu.8.* Huic Decreto aliud additur Sanctiſs. Domini Noſtri Clementis XI. in Capite ſequenti, per extenſum referendum, *die 18. Januarii*, 1704. publicatum, quo Sanctitas Sua ex unanimi voto S.R.E. Cardinalium Sac. Concilii Tridentini Interpretum, inhærendo declarationibus, aliàs ab ipſo Concilio editis, cenſet, licentias, ſeù privilegia conceſſa nonnullis Regularibus in *Capit. in his, de privileg.* & per aliquos Summos Pontifices, aliis Regularibus

bus communicata utendi Altari portatili, in eoque celebrandi abſque Ordinariorum licentiâ in locis, in quibus degunt, omninò revocata eſſe per idem Sacrum Concilium; & ideò eoſdem Regulares prohibendos, ne illis utantur, &c. Circà hanc materiam, vide etiam Suarez, 3. *p. tom.* 3. *diſp.* 81. *ſect.*3. *verſ. Quarta exceptio.*

31 Deducitur ſeptimò, multam eſſe exhibendam diſcretionem, ſivè cautelam in concedendis Altaribus portatilibus, cum tanta fuerit apud Sanctos Patres in Sacris Canonibus relatos, cura prohibendi rem Divinam facere alibi quàm in locis Sanctis, & ad cultum Divinum deputatis; cum ex facili hujuſmodi portatilium Altarium conceſſione poſſit magna provenire irreverentia circa hoc venerabile, & adorandum Sacramentum. Neminem enim latet, etiam in cameris, & aulis, ubi ſolent fieri diſſolutiones, & ſcelera plurima committi, Altaria erigi quandoque minimè ſervatâ formâ in antecedenti deductione relatâ, quâ ſempèr à S. Sede conceduntur: quod ſummoperè deteſtatur, & deplorat Card. Turrecr. *in Capit. Sicut non alii*, §. *Ad tertium, num.* 3. *de conſecrat. diſt.*1. De hac materia fusè egimus in *Theol. Bell. tom.*2. *lib.*7. *diff.*3.

32 Deducitur octavò, non licere loco Reliquiarum in Altari, quod conſecratur, quando nihil eſt omninò Reliquiarum, Corpus Dominicum collocare: Nobis favet Hoſtienſis in *Sum. tit. de conſecrat. Eccleſ.* aſſerens, de hac re Innocentium conſuluiſſe, & reſponſum accepiſſe, id nequaquàm eſſe faciendum. Ratio adducitur à Joanne And. apud Azor. *tom.* 1. *Inſtit. Moral. lib.*10. *cap.* 27. *qu.* 9. quia Corpus Chriſti unitur tanquàm cibus Animæ, & conſervatur, ut Ægrotantibus tanquàm viaticum detur; ac proindè ad alios uſus adhiberi non debet. Contrarium tenet Gloſſ. aliis citatis, in *Capit. Placuit, de conſecr. diſt.*1. Quod autèm refertur de Leone, ſcilicèt, eum dediſſe partem Euchariſtię ad conſecrationem Altaris, ut commentum apud Eruditos habetur; & quamvis id verum eſſe admitteretur, nunc non eſſe faciendum, admonet Azor. *loc. prox. cit.*

33 Deducitur nonò, ubi Sacræ Reliquiæ haberi non poſſunt, non eſſe Altaria, ſivè fixa, ſivè portatilia, conſecranda inconſulto Summo Pontifice, ad quem privativè pertinet facultatem concedere Altaria abſque Reliquiis conſecrandi. Sic etiam ſentit Azor. *loc. cit. q.*8.

34 Deducitur decimò, Presbyterum celebrantem ex neceſſitate abſoluta abſque licentia ſupèr Altari portatili, aùt in

loco

loco ad cultum Divinum minimè deputato, excuſari à pœna in totum; quod etiàm probat Tex. in *Capit. Sacris, extrà, de his, quæ vi. met. cauſ. et capit. De Judæis, diſt.* 45. *& capit. Presbyteros, diſt.* 50. Et favet ratio, quia magis pati, quàm agere videtur, ut in d. *Capit. Sacris, & Regul.* 8. *Qui ex timore, extrà de reg. jur.* Secùs verò, ſi celebraret ex neceſſitate conditionali; tunc enim non excuſari in totum, ſed extenuari culpam ſuam, & peccatum, probavi in *Theol. Bellic. tom.* 1. *lib.* 2. *diff.* 3. *num.* 2.

35 Deducitur undecimò, in reconciliatione, vel conſecratione Eccleſiæ, vel Aræ, ſivè Altaris, Miſſàm eſſe cantandam ab Epiſcopo, cui ſoli de jure competit poteſtas Eccleſiam; vel Altare conſecrandi, *Capit. Quamvis, diſt.* 21. *Capit. Perlectis, diſt.* 25. Non tamèn negamus ſcientes, Miſſam non eſſe de ſubſtantia conſecrationis, magnâ vigente neceſſitate, poſſe ab Archipresbytero, vel alio Sacerdote, juſſu Epiſcopi, illam Miſſam cantari; *arg. d. Capit. Perlectis*, & docet Card. Turrecr. in *Capit. De fabrica, num.* 3. *de conſecr. diſt.* 1. ubi *num.* 1. notat, Aram, & Altare quandoque indifferentèr accipi; ſed propriè Altare eſſe Dei Cœli, Aram verò Deorum falſorum, & infernalium; Altare hiſce vocibus componi, *Altus, alta, altum*; & Aram aræ hac voce, ſcilicèt, *quaſi alta ara*; in qua Sacerdos incenſum adolebat; Aram demùm dici quaſi aream, ideſt plenam, vel dici à verbo *ardere*, quia in eà ſacrificia ardebant. Et hæc dicta ſint in gratiam piæ, & eruditæ curioſitatis.

36 Deducitur duodecimò, Altare portatile, quod, Summo Pontifice indulgente, in caſtris erigitur pro Miſſa celebranda, gaudere privilegio immunitatis Eccleſiaſticæ; & ſucceſſivè Militem reum, aùt alium ad illud confugientem, non poſse ab illo loco extrahi, & ad mortem, ſi illam aliàs mereretur, à Judice damnari, ut juribus, & Doctorum authoritate, & rationibus, nec non exemplo, ſcitu digno, demonſtravi in *Theol. Bellic. tom.* 2. *lib.* 6. *diff.* 24. per totam. Quidquid dicant alii, aſserentes, Altare portatile non eſse Eccleſiam, nec propriè Locum Sacrum, ac proindè Reo ad illud confugienti non debere Privilegium immunitatis Eccleſiaſticæ favere.

37 Deducitur ultimò, rectiſſimè fuiſse in Sacroſanctis OEcumenicis Conciliis, præſertim Tridentino, ſub *cap. unico, ſeſſ.* 22. intèr cætera, ſtatutum, ut tremendum incruenti Sacrificii Myſterium in Eccleſiis dum-

dumtaxàt, aùt Oratoriis, Divino tantùm Cultui dicatis, celebraretur, Epiſcopis, & Locorum Ordinariis præcipiendo, nè privatis in domibus, atque omninò extra Eccleſiam peragi paterentur; cùm Sancta ſanctè tractanda ſint, præcipuè tantùm Sacrificium: Hinc Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi S. R. E. Cardinales Concilii Tridentini Interpretes, per plura, & opportuna Decreta conati ſunt, obrepentes in hàc materia abuſus eliminare; & noviſſimè Sanctiſſimus Dominus Noſter Clemens XI. ſatagens, ſpiritu verè Apoſtolico refertus, Divinum Cultum ſempèr defendere, augere, & propagare, expreſsè declarat Decreto ſuprà memorato, & mox de verbo ad verbum referendo, Epiſcopis, & his Majoribus Prælatis, etiamſi Cardinalatus dignitate fulgentibus, neque ſub prætextu privilegii clauſi in corpore juris, neque alio quocunque titulo, ullo modo licere extrà domum propriæ habitationis erigere Altare, ibique Miſsam celebrare, ſeù celebrari facere; ac pari modo in Oratoriis privatis per S. Sedem conceſſis; neque licere Regularibus cujuſuis Ordinis; aùt aliis quibuſcumq; Sacerdotibus, etiamſi eſſent Epiſcopi, in jis celebrare in diebus Paſchatis Sanctiſſimæ Reſurrectionis, Pentecoſtes, Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, aliiſque anni Feſtis ſolemnioribus, ac diebus in indulto exceptis: neque in reliquis diebus prædictis Regularibus, ſeù Sacerdotibus quibuſcunque, etiam Epiſcopis, in præfatis Oratoriis celebrare licere, ubi etiam unica Miſſa, quæ in indulto conceditur, celebrata fuerit. In eodemque Decreto Sanctitas Sua etiam declarat, Perſonas quaſcunque, dictas Miſſas in dictis Oratoriis, diebus feſtivis audientes, nullatenùs Eccleſiæ præcepto ſatisfacere. Et hæc omnia ut quiſque valeat commodè perlegere, indubitantèr percipere, fidelitèr obſervare, duxi præfatum Decretum, non obſtantibus aliquibus ejuſdem partibus jam relatis, & explicatis, integrum de verbo ad verbum tranſcriptum hîc legere volentibus exhibere.

DE-

DECRETUM

De Celebratione in Oratoriis privatis.

„ QUONIAM Sancta ſanctè „ tractanda ſunt,ac præ„ ſertìm tremendum „ incruenti Sacrificii „ Myſterium, quod omni Reli„ gionis cultu, & veneratione pe„ ragendum eſt: Propterea ſupèr „ obſervandis, & evitandis in ce„ lebratione Miſſarum in Sacro„ ſanctis Oecumenicis Conciliis, „ ac præſertim Tridentino ſub „ cap. unico,ſeſſ.22. intèr cœtera „ ſtatutum eſt, ut tantum Sacri„ ficium ſolummodò in Eccleſiis, „ aut Oratoriis, Divino tantùm „ Cultui dicatis, celebraretur, „ præcipiendo Epiſcopis, & Lo„ corum Ordinariis, nè privatis „ in Domibus, atque omninò „ extrà Eccleſiam peragi pate„ rentur: Ac ſubindè Sacra Con„ gregatio Eminentiſsimorum, „ & Reverendiſsimorum S. R.E. „ Cardinalium,ipſiusConciliiTri„ dentini executioni, & interpre„ tationi præpoſitorum, ſæpè ſæ„ piùs per opportuna Decreta ob„ repetens, abuſus eliminavit. „ Modernis tamèn temporibus „ innotuit Sanctiſsimo Domino „ Noſtro, quòd nonnulli Epiſco„ pi, ſub prætextu Privilegio„ rum, Capellis Epiſcopalibus „ competentium, & complures „ Regulares, ſub prætextu Pri„ vilegiorum, quæ ipſis à Sancta „ Sede indulta noſcuntur, per hu„ juſmodi Privilegiorum dilata„ tionem,ſeù potiùs exceſſum, & „ abuſum, in nonnullis Diœceſi„ bus, præſertim Regni Neapo„ litani, ac in ipſa Neapolis Ci„ vitate, ea ſibi licere putant, „ quæ permiſſa non ſunt, qui„ nimmò prohibita: Siquidem „ nonnulli Epiſcopi, etiam in „ aliena Diœceſi, & extrà Do„ mum propriæ habitationis in „ privatis Laicorum Domibus „ erigi faciunt Altare, ibiquè per „ unum, aut plures ex ſuis Ca„ pellanis vivificam Chriſti Ho„ ſtiam immolare; Regulares ve„ rò in quibuſdam Magnatum, „ ſeù aliarum Nobilium Perſo„ narum privatis Oratoriis, quæ „ certis quandoquè ex cauſis à „ Sancta Sede Apoſtolica conce„ di ſolent, celebrare audent, vel „ plures Miſſas,quàm in ipſis ce„ lebrare ſit indultum,vel abſque „ præſentia Perſonarum, qua„ rum contemplatione gratioſa „ conceſsio emanavit, vel extrà „ debitas horas, & poſt meri„ diem, vel illis etiam diebus, „ quibus perCōſtitutiones Diœ„ ceſanas, aut etiam per Decreta „ Sacræ Congregationis Concilii „ celebrari prohibetur, aut quæ

,, in ipſiſmet Indultis Apoſtolicis excipiuntur, quominùs in iis celebrari poſsit, aùt etiam Altari portatili uti non verentur, in ſanctarum ſanctionum contemptum, ac Sancti Sacrificii irreverentiam.

,, Quamobrem ad abuſus hujuſmodi eliminandos, & ad inſtaurandam venerationem, tremendo Miniſterio debitam, idem SS. Dominus Noſter ex unanimi voto S. R. E. Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, inhærendo declarationibus, aliàs hac de re editis, expreſsè declarat, Epiſcopis, & his majoribus Prælatis, etiamſi Cardinalatus dignitate fulgentibus, neque ſub prætextu Privilegii, clauſi in corpore Juris, neque alio quocumque titulo, ullo modo licere extrà Domum propriæ habitationis in domibus Laicis, etiam in propria Diœceſi, quod fortiùs intelligitur in aliena, etiamſi Diœceſani conſenſus abhiberetur, erigere Altare, ibiquè Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrare, ſeù celebrari facere, ac pari modo in Oratoriis privatis, quæ per Sanctam Sedem conceſſa fuerint, non licere Regularibus cujuſvis Ordinis, aùt Inſtituti, ſeù Congregationis, etiam Societatis Jeſu, aùt etiam cujuſcumquè Ordinis Militaris, etiam S. Joannis Hieroſolymitani, aut aliis quibuſcumque Sacerdotibus, etiamſi eſſent Epiſcopi, in iis celebrare in diebus Paſchatis Sanctiſsimę Reſurrectionis, Pentecoſtes, Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, aliiſquè anni feſtis ſolemnioribus, ac diebus in Indulto exceptis. In reliquis verò diebus prædictis Regularibus, ſeù Sacerdotibus quibuſcumque, etiam Epiſcopis, in præfatis Oratoriis celebrare non licere, ubi etiam unica Miſſa, quæ in Indulto conceditur, celebrata fuerit; ſupèr quo celebraturus teneatur diligenter inquirere, & de eo ſe optimè informare; Atque illa etiam in caſibus permiſsis celebrari nequeat poſt meridiem. Demandando proptereà ulteriùs, ac declarando in omnibus hujuſmodi caſibus, Perſonas quaſcumque, dictas Miſſas audientes, nullatenùs Eccleſię precepto ſatisfacere: Quo verò ad Altare portatile iterùm inhærendo declarationibus ſupradictis, cenſuit, licentias, ſeù Privilegia, conceſsa nonnullis Regularibus *in cap. In his, de Privil.*, & per aliquos Summos Pontifices aliis Regularibus communicata, utendi dicto Altari portatili, in eoque celebrandi abſque Ordinariorum licentia in Locis, in quibus degunt, omninò revocata eſſe per idem Sacrum Concilium, & proptereà eoſdem Regulares prohi-

prohi-

„ prohibendos, nè illis utantur, „ ac mandandum, proùt præſen- „ tis Decreti tenore mandat, Epi- „ ſcopis, aliiſque Ordinariis Lo- „ corum, ut contrà quoſcumque „ contravenientes, quamvis Re- „ gulares, procedant etiam tan- „ quàm Sedis Apoſtolicæ Dele- „ gati, ad pœnas præſcriptas per „ idem Sacrum Concilium in di- „ cto Decreto ſeſs. 22. uſque ad „ cenſuras latæ ſententiæ; Tribu- „ tà etiam eiſdem facultate per „ hoc Decretum, ità procedendi „ perindè ac ſi per Sanctam Se- „ dem ſpecialitèr conceſsa fuiſ- „ ſet. Et ità Sanctitas Sua decla- „ rat, & ſervari mandat. Romæ „ hac die 15. Decembris 1703.

B. Card. Panciaticus Præf.

Jo. Dominicus Thomatus Epiſcopus Cyrenen.S.C.C.Secr.

Die 18. *Menſe Januarii*, 1704. *ſupradictum Decretum affixum*, & *publicatum fuit in Monte Citatorio Curiæ Innocentianæ*, *ac aliis locis ſolitis*, & *conſuetis Urbis per me Nicolaum Vaſellum SS.D.N. Papæ Curſ.*

Pro D. Mag. Curſ. Thomas Orlandus Ap.Curſ.

ROMÆ, Typis Rev. Cameræ Apoſtolicæ, 1704.

CAPUT. IX.

FACTI SPECIES.

Nonnulli Caſtrorum Confeſſarii putantes, facultates, ſibi tanquàm ſubdelegatis, ſubſequentium Brevium vigore tributas, minimè expiraſſe morte Pontificum, qui eas conceſſerunt, non deſinunt illas exercere. Locorum Ordinarii id ſcientes, ut hujuſmodi exercitium licitè, & validè fiat, eos admonent, eſſe ad Sedem Apoſtolicam pro earum confirmatione recurrendum. Controvertitur quid juris?

§. I.

Quatuor Summorum Pontificum Brevia, videlicèt, tria fel. rec. Innoc. X., & unum s. m. Innoc. XI. ſcitu neceſſaria pro majori eorum, quæ in præſenti Capite diſcutiuntur, intelligentia producuntur.

Chariſſimo in Chriſto filio noſtro PHILIPPO Hiſpaniarum Regi Catholico.

INNOCENTIUS PP. X.

CHARISSIME *in Chriſto fili noſter, ſalutem &c. Cùm ſicut Majeſtatis tuæ nomine Nobis nupèr expoſitum fuit, in tuis nunc, & pro tempore Exercitibus in tuis Hiſpaniarum Regnis multa ſæpe contingere poſſunt, in quibus pro ſalubri directione, & animarum ſalute eorum, qui in Caſtris degunt, & verſantur, proque cognoſcendis, & decidendis intèr eos cauſis, & controverſiis, ad forum*

Eccleſiæ pertinentibus, operâ, & induſtriâ unius, ſeù plurium perſonarum Eccleſiaſticarum opus ſit; Propterea quod non facile ad Locorum Ordinarios, aùt ad Nos, & Sedem Apoſtolicam recurſus haberi poteſt; Idcircò Nos, ejuſdem Majeſtatis tuæ ſupplicationibus, Nobis deſupèr humilitèr porrectis, inclinati, Capellanis majoribus Exercituum hujuſmodi, à Majeſtate tua pro tempore deputatis, facultatem ad Noſtrum, & Sedis Apoſtolicæ beneplacitum tribuimus quoad bella præſentia in dictis Regnis duraverint, per ſe, vel alium, ſeù alios Sacerdotes probos, & idoneos, ac prævio diligenti examine approbatos, ab eis reſpectivè ſubdelegandos, omnem, & quamcumque Juriſdictionem Eccleſiaſticam in eos, qui ibi pro Sacramentis Eccleſiaſticis Militibus miniſtrandis pro tempore erunt, qui tamèn in propria Diœceſi, ſub qua illorum Ordinarii Juriſdictionem ſuam ordinariam in eos exercere poſſent, non ſint, ſivè Eccleſiaſtici, etiam Presbyteri ſæculares, ſeù quorumvis etiam Mendicantium Ordinum Regulares fuerint, exercendi, perinde ac ſi quoad Clericos ſæculares eorum veri Præſules, & Paſtores, quoad Regulares verò illorum Superiores Generales eſſent, omneſque cauſas Eccleſiaſticas, Profanas, Civiles, Criminales, mixtas, intèr, ſeù contra præfatas, aùt quaſcumque alias perſonas, in dictis Exercitibus commorantes, ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentes, etiam ſummariè, ſimplicitèr, & de plano ſine ſtrepitu, & figura Judicii ſolâ facti veritate inſpectâ, audiendi, & ſine debito terminandi, contra inobedientes quoslibet cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, etiam ſæpiùs aggravandi, auxiliumque brachii ſæcularis invocandi, Præterea eiſdem Capellanis, ac Presbyteris idoneis, ab eorum Ordinariis approbandis, confeſſiones quarumcumque dictorum Exercituum, & illorum utriuſque ſexus perſonarum, audiendi, illaſque à quibusvis exceſſibus, & delictis, quantumcumque gravibus, & enormibus, ac etiam in caſibus Nobis, & dictæ Sedi ſpecialitèr reſervatis, & etiam contentis in Literis, in die Cœnæ Domini legi ſolitis (hæreſis, læſæ Majeſtatis, conſpirationis in perſonam, vel Statum Romani Pontificis, delationis armorum, & aliorum prohibitorum ad partes Infidelium, falſificationis literarum, ac ſupplicationum Apoſtolicarum,

inje-

injectionis manuum violentarum in Clericos, & Prælatos Eccleſiæ, Clauſuræ Monaſteriorum Sanctimonialium, ac Juriſdictionis, ſeù libertatis Eccleſiaſticæ violationis, exceptis) necnon à quibusvis cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, propter præmiſſa per eos quomodolibet incurſis, ſi id humilitèr petierint, in reſervatis videlicèt ſemel in vita, & in mortis articulo, in aliis verò caſibus, dictæ Sedi non reſervatis, quotiés opportunum fuerit, injunctâ inde eis pro modo culpæ pœnitentiâ ſalutari in foro conſcientiæ tantùm abſolvendi, itâ tamen, ut in caſibus, in quibus ſatisfactio foret neceſſaria, ea per ſe ipſos, vel eis impeditis, per hæredes, aùt alios fieri debeat; Nec non Eccleſias, & Capellas, ac Cœmeteria, & Oratoria quomodolibet polluta in illis partibus, in quibus ipſi Exercitus conſederint, & per quoſcumque idoneos ad id ſpecialitèr deputandos Sacerdotes, in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutos; Aquâ tamèn priùs per aliquem Catholicum Antiſtitem, ut moris eſt, benedictâ reconciliandi, cæteraque faciendi, & exequendi, in præmiſſis neceſſaria, & quomodolibet opportuna. Non obſtan. Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis, editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon Ordinum, quorum perſonæ hujuſmodi profeſſæ fuerint, etiam juramento &c. Statutis, & Conſuetudinibus, privilegiis &c., & literis Apoſtolicis, Ordinibus prædictis, vel eorum Superioribus, aùt ſingularibus perſonis quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenoribus &c. derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum &c. die 26. *Septembris* 1644. *ſuſcepti à Nobis Apoſtolatus Officii, Anno Primo.*

INNO-

INNOCENTIUS PP. X.

AD futuram &c. Quoniam in Exercitibus Chariſſimi in Chriſto filii noſtri Ludovici Regis Francorum Chriſtianiſſimi multa ſæpè contingunt, in quibus pro ſalubri directione, & animarum ſalute, eorum, qui in Caſtris degunt, & verſantur, proque cognoſcendis, & decidendis, intèr eos cauſis, & controverſiis ad forum Eccleſiaſticum pertinentibus, operâ, & induſtriâ perſonarum Eccleſiaſticarum opus eſt; Propterea quòd non facilè ad locorum Ordinarios, aùt ad Nos, & Sedem Apoſtolicam recurſus haberi poteſt. Idcircò Nos Supplicationibus nomine dicti Ludovici Regis Nobis humilitèr porrectis inclinati, Capellanis majoribus, in ſacro presbyteratus Ordine conſtitutis, Exercituum hujuſmodi pro tempore exiſtentibus facultatem, ad Noſtrum, & Sedis Apoſtolicæ beneplacitum, tribuimus quoad bellum hoc duraverit, per ſe, vel alium, ſeù alios Sacerdotes probos, & idoneos, ac prævio diligenti examine approbatos ab eis ſubdelegandos, omnem, & quamcumque juriſdictionem Eccleſiaſticam in eos, qui ibi pro Sacramentis Eccleſiaſticis militibus miniſtrandis pro tempore erunt, qui tamèn in propria Diœceſi ſub qua illorum Ordinarii, jurisdictionem ordinariam in eos exercere poſſent, non ſint, ſeù Clerici & Presbyteri ſæculares, ſeù quorumvis, etiam Mendicantium Ordinum, Regulares fuerint, exercendi, perinde, ac ſi quoad Clericos ſæculares dicti Capellani majores eorum veri Præſules, & Paſtores, quoad Regulares verò illorum Superiores Generales eſſent, omneſque cauſas Eccleſiaſticas, profanas, Civiles, Criminales, & mixtas intèr, ſeù contra prædictas, aùt quaſcumque alias perſonas, in dictis Exercitibus commorantes, ad forum Eccleſiæ quomodolibet pertinentes, etiam ſummariè, ſimplicitèr, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura Judicii, ſolâ facti veritate inſpectâ, audiendi, cognoſcendi, & fine debito terminandi, contra inobedientes quoslibet cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas, etiàm ſæpius aggravandi, auxiliumque brachii ſæcularis invocandi. Prætereà eiſdem Capellanis majoribus, & aliis presbyteris idoneis

ab

ab eorum Ordinariis approbandis, confeſſiones quarumcumque dictorum Exercituum utriuſque ſexus perſonarum audiendi, illaſque à quibuſvis exceſſibus, & delictis, quantumque gravibus, & enormibus, ac etiam in caſibus Nobis, & dictæ Sedi ſpecialitèr reſervatis,& etiam contentis in Literis,in die Cœnæ Domini legi ſolitis (hæreſis, læſæ Majeſtatis, conſpirationis in perſonam, vel Statum Rom. Pont. delationis armorum,& aliorum prohibitorũ ad partes infidelium, falſificationis Literarum, ac ſupplicationum Apoſtolicarum, injectionis manuum violentarum in Clericos, ſeù Prælatos Eccleſiæ, Clauſuræ Monaſteriorum Sanctimonialium, ac Jurisdictionis, ſeù libertatis Eccleſiaſticæ violationis,exceptis) necnon à quibusvis cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, proptèr præmiſſa per eos quomodolibet incurſis, ſi id humilitèr petierint, in reſervatis videlicèt ſemel in vita, & in mortis articulo, in aliis verò cauſis, dictæ Sedi non reſervatis, quotiès opportunum fuerit, injunctâ inde eis modo culpæ pœnitentiâ ſalutari in foro conſcientiæ tantùm abſolvendi, in caſibus tamen, in quibus ſatisfactio foret neceſſaria ea per ſe ipſos, vel eis impeditis per hæredes, aùt alios fieri debeat,nec non eorum Exercituum primariis Viris Altare portatile cum debitis reverentia, & honore, ſi prædictis Capellanis Majoribus videbitur expedire, ſupèr quo in locis ad hoc congruis, & honeſtis etiam non ſacris ſi tamèn locus ſacer haberi non poterit, & cùm qualitas negociorum id exegerit, dumtaxàt celebrari poſſit concedendi,Eccleſias quoque, & Capellas, ac Cœmeteria, & Oratoria polluta in illis partibus, in quibus ipſi Exercitus conſederint, & per quoſcumque idoneos, ad id ſpecialitèr deputatos Sacerdotes, in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutos,aquâ tamèn priùs per aliquem Catholicum Antiſtitem, ut moris eſt,benedictâ recõciliandi,ac demùm quacumque vaſa, tabernacula, veſtimenta, paramenta, & ornamenta Eccleſiaſtica, aliaque ad divinum cultum pro ſervitio dictorum Exercituum dumtaxàt neceſſaria, & pertinentia,exceptis tamèn iis, in quibus ſacra unctio adhibetur, benedicendi, cæteraque faciendi, & exequendi,in præmiſſis neceſſaria, & quomodolibet opportuna. Non obſtan. Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitu-

tioni-

tionibus, & Ordinationibus, necnon Ordinum quorumcumque, quos perſona hujuſmodi profeſſa fuerint, etiam juramento &c. roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis, Ordinibus prædictis, vel eorum Superioribus, aùt ſingularibus perſonis quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, &c. derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Dat. Romæ apud S. Petrum &c. 16. Martii 1646. Anno ſecundo.

Chariſſimo in Chriſto filio noſtro FERDINANDO Rom. Regi Illuſtri, in Imperatorem electo.

INNOCENTIUS PP. X.

CHARISSIME *&c. Cùm ſicùt Majeſtatis tuæ nomine Nobis nupèr expoſitum fuit, in tuo, nunc, & pro tempore Exercitu in Germania multa ſæpè contingere poſſint, in quibus pro ſalubri directione, & animarum ſalute eorum, qui in Caſtris degunt, & verſantur, proque cognoſcendis, & decidendis intèr eos cauſis, & controverſiis, ad forum Eccleſiæ pertinentibus, operâ, & induſtriâ unius, vèl plurium Perſonarum Eccleſiaſticarum opus ſit, properea quod non facilè ad Locorum Ordinarios, & ad Nos, & Sedem Apoſtolicam recurſus haberi poteſt. Idcircò Nos ejuſdem Majeſtatis Tuæ ſupplicationibus, Nobis deſupèr humilitèr porrectis, inclinati, Capellano Majori Exercitus hujuſmodi, à Majeſtate tua pro tempore deputato, facultatem ad noſtrum, & Sedis Apoſtolicæ beneplacitum tribuimus, quoad Bella præſentia in eadem Germania duraverint, per ſe, vel alium, ſeù alios Sacerdotes probos, & idoneos, ac prævio diligenti examine approbatos, ab eis reſpectivè ſubdelegandos, omnem, & quamcunque Juriſdictionem Eccleſiaſticam in eos, qui ibi prò Sacramentis Eccleſiaſticis Militibus miniſtrandis prò tempore erunt, qui tamen, in propria Diœceſi, ſub qua illo-*

rumOrdinarii Juriſdictionem ſuam ordinariam in eos exercere poſſent, non ſint, ſivè Clerici, etiàm Presbyteri ſæculares, ſeù quorumvis Ordinum etiàm Mendicantium Regulares fuerint, exercendi &c. cæteraque faciendi quomodolibet opportuna, non obſtan. Dat. Romæ &c. die 23. Novembris 1647.

Dilecto filio MARCO DE AVIANO Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capuccinorum nuncupatorum profeſſori.

INNOCENTIUS PP. XI.

DILECTE *fili ſalutem &c. Ex injuncti nobis divinitùs paſtoralis officii debito ſpiritualibus militum in Claſſibus, & Exercitibus Clariſſimi in Chriſto filii noſtri Leopoldi Romanorum Regis in Imperatorem electi, nunc & pro tempore exiſtentium, neceſſitatibus quantùm Nobis ex alto conceditur, providere cupientes, Teque, qui Frater expreſsè profeſſus Ordinis Minorum S. Franciſci Capuccinorum nuncupatorum, & in ſacro Presbyteratus Ordine conſtitutus exiſtis, à quibusvis &c. cenſentes, ac de tua fide, prudentiâ, charitate, integritate, vigilantiâ, religioſitate, & Catholicæ fidei zelo plurimum in Domino confiſi, Te Miſſionarium Apoſtolicum ad inſerviendum Militibus prædictis in ſpiritualibus cum infraſcriptis facultatibus, videlicèt, prædicandi verbum Dei, & adminiſtrandi òmnia Sacramenta, prætèr Confirmationem, & Ordinem, in Caſtris militantium, & ubi non ſunt Parochi abſolvendi ab hæreſi, & apoſtaſia à fide, & à ſchiſmate, quoſcumque Eccleſiaſticos, tàm ſæculares, quàm Regulares, abſolvendi ab omnibus caſibus, Sedi Apoſtolicæ reſervatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis, tenendi, & legendi (non tamen aliis concedendi) libros hæreticorum, vel aliorum infidelium, de eorum religione tractantium,*

ad effectum eos impugnandi, celebrandi Miſſam in quocumque loco decenti, etiam ſub dio, & ſub terra, unâ horâ ante Auroram, & aliâ poſt meridiem, & ſupèr Altari portatili etiam fracto, aut læſo, & ſine SS. reliquiis, ac præſentibus hæreticis, aliiſque excommunicatis, ſi alitèr celebrari non poſſit, & non ſit periculum ſacrilegii; dummodò inſerviens Miſſæ non ſit hæreticus, aùt excommunicatus, concedendi Indulgentiam plenariam primo converſis ab hæreſi, atque fidelibus quibuſcunque in articulo mortis ſaltèm contritis, ſi confiteri non poterunt, lucrandi ſibi eamdem indulgentiam, ſingulis ſecundis feriis non impeditis, aùt die immediatè ſequenti, celebrandi Miſſam de requiem in quocumque Altari, etiàm portatili liberandi animam ſecundùm tuam intentionem à Purgatorii pœnis, per modum ſuffragii, commutandi in aliquod opus pium vota quæcumque ſimplicia, etiam Religionis, & Caſtitatis perpetuæ, non tamèn ſolemnitèr emiſſa, & juramenta relaxandi, recitandi Roſarium, vel alias preces, ſi Breviarium tecum deferre, non poteris, vel divinum Officium recitare, non valeas, ac demùm communicandi ſupradictas facultates in totum, vel in parte, prout opus eſſe ſecundùm tuam conſcientiam judicaveris, Dilecto filio Coſmo à Caſtro Franco ſocio tuo presbytero dicti Ordinis profeſſori; ita tamen, ut eiſdem facultatibus in caſtris militantium tantùm utaris, & ipſam facultatem gratis, & ſine ulla mercede exerceas, ac ad biennium proximum tantum; & interim ad noſtrum, & Sedis Apoſtolicæ Beneplacitùm conceſſa intelligantur authoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium ad noſtrum, & ejuſdem Sedis beneplacitum conſtituimus, & deputamus. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, nec non quibuſvis etiam &c. Statutis, & Conſuetudinibus, Privilegiis &c. innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores &c. derogamus. Cæteriſque contrariis, quibuſcumque. Dat. Romæ die 15. Aprilis 1684. Anno Octavo.

Dictum Breve fuit prorogatum ad alterum biennium, die 22. Novembris 1687.

§. II.

Aliqua diſcuſſa præmittuntur ceu neceſſara pro faciliori controverſiæ reſolvendæ perceptione.

1 PRæmittimus primò, celebrem eſſe intèr Canoniſtas, & nonnullos Theologos controverſiam, quam alibi tetigimur: Nùm gratiæ Reſcripta expirent obitu Concedentis, quamque pluribus diſtinctionibus, non parvam confuſionem, à qua penitùs abhorremus, adferentibus, cernimus ſubjacere.

2 Præmittimus ſecundò, dari diſcrimen intèr gratiam abſolutè conceſſam, & intèr gratiam conceſſam cum limitatione, ut ad beneplacitum Concedentis, aùt ad beneplacitum Dignitatis, ut puta, Sedis Apoſtolicæ; ſiquidèm primam durare, etiam poſt obitum Concedentis, conſideranti patet; ſecundam verò cum ſit quid perſonale, morte Concedentis extingui, tradit Zipæus, *de jur. can. nov. reſp.* 1. *de Deleg. Exerc. Belg. num.* 1. & ratio ſuadet, quia voluntas perſonæ morte perit, ut loquiturSanchez infrà citandus, *n.* 49 ac ſubindè peribit gratia conceſſa dum eà voluntas duravit; ſecùs tamèn ſi fuerit conceſſa ad beneplacitum Dignitatis, ſivè Sedis Apoſtolicæ, quæ cum ſit perpetua, debet ſempèr durare, donec disertè revocetur, quod probat Textus punctualis in *Capit. Si gratiosè, de reſcrip. in* 6. *Capit.* 6. & 7. *de offic. deleg. eod. lib.*

3 Præmittimus tertiò, dari pariter diſcrimen intèr gratiam faciendam, & gratiam factam; primam enim volunt DD. eſſe, quando non conceditur abſolutè ei, in cujus favorem impetitur, ſed dependentèr ab alio, cui facienda committitur, v. g. ſi in favorem Sempronii, cum quo diſpenſandum eſt, committatur Titio poteſtas diſpenſandi cum illo: Secundam, aſſerunt iidem DD. intelligi quando perfectè conceditur ei, in cujus gratiam datur; necnon independentèr ab alio, cui facienda committatur, ut puta, cum Summus Pontifex, vel Ordinarius loci diſpenſat omninò cum aliquo.

4 Præmittimus quartò, expoſitam in primo loco controver-

ſiam

ſiam, nempè, nùm gratiæ Reſcripta expirent obitu Concedentis, poſſe in duplici ſenſu intelligi; uno quando moritur Concedens, re integrâ; altero, quando obitus Concedentis contingit, re integrà non exiſtente. Quando verò res dicatur integra, & quando non integra dicatur, vide Sanch.*lib.*8. *de matrim. diſp.*28.*num.*8. ubi triplicem circa hanc materiam opinionem producit, ſubdens, probabiliorem, cui ipſe adhæret, ductus *Capit.Gratum, de offic. Deleg.* illam eſſe, quæ aſſerit, ut res deſinat eſſe integra, utroque jure deſiderari, ac ſufficere partis citationem.

5 Præmittimus quintò, tanquàm quid certum, juriſdictionem, ſivè gratiam conceſſam ad beneplacitum Concedentis, ejus obitu minimè perire, ſi adiiciatur quoque tempus determinatum durationis: ut ſi concedatur ad triennium, aùt ſeptennium, &c. durabit enim hujuſmodi gratia, donec id tempus præſcriptum elapſum ſit, quamvis perſona Concedens deceſſerit; ut tradit Enriquez, *lib.*7. *de indulg. cap.*21.*num.*4. Antonius Gabriel, *tom.*3. *commun. lib.* 6. *tit. de præbendis, concluſ.* 1. *num.* 31. cum aliis aſſerentibus, neque expirare juriſdictionem ordinariam, etſi re integrâ moriatur Concedens, huic fundamento innixis, cum ità poſtulet favor, necnon utilitas publica, quæ in juriſdictione ordinaria conſervandâ verſatur. Sic etiam ſentiunt Bald. *l. Meminiſſe, num.*2. *qu.* 4. *ff. offic. Proconſulis*, Paris de Puteo, & alii, quos producit, & ſequitur Menoch. *de arbitr.jud.lib.*1. *q.*69. *num.*9.

6 Præmittimus ultimò, clauſulam, *ad beneplacitum noſtrum*, ſivè *ad libitum noſtrum*, aùt *meum*, importare liberum, & abſolutum arbitrium, haud juris regulis limitatum; ac proindè, gratiam factam ad beneplacitum Concedentis, durare, donec ille eam revocaverit, aùt ipſe moriatur, cum iſtud Beneplacitum nulli legi ſubjaceat, ut tradunt Bart. & Alex. in *l. Si ſic* 78. *ff. de leg.*1. Card.Tuſch. *tom.*2. *lit. D. concluſ.*307. *num.*1. & alii plures, quos refert, & ſequitur Aug. Barboſ. *de Clauſul. uſufreq. clauſ.*3. *num.*2. & *clauſ.*6.

§. III.

§. III.

Quatuor Brevia enunciata non ampliùs in ſuo robore permanere; ac proindè Delegatorum, & Subdelegatorum, ſeù Confeſſariorum Caſtrenſium facultates, eis tributas vigore hujuſmodi Brevium; omninò expiraſſe, non videtur controvertibile.

7 MOveor primò authoritate Doctorum, Gloſſ. in *Capit. Si gratiosè, verb. morte, in fin. de reſcrip. in 6.* Franch. ibidem, *num.* 10. Sanch. *de Matrim. lib.* 8. *diſp.* 18. *n.* 50. Nav. *conſil.* 2. *in antiq.* aliàs 3. *in nov. de privileg.* Caroc. *de locato, p.* 2. *tit. de beneplacito,* Gozadin. *conſ.* 22. *num.* 18. & DD. *in l. Mandatum, Cod. Mandati, l. Vxorem, §. pen. ff. de leg.* 3. & aliorum, quos congerit Barboſ. *de clauſ. uſufreq. clau.* 3. *num.* 2. aſſerentium, gratiam conceſſam ad beneplacitum Concedentis durare, donec ipſe Concedens revocet, aùt decedat, cum morte, juxtà præmiſſa, volantas ſolvatur, & extinguatur. Conſtat autem in præfatis Brevibus, adeſſe clauſulam: *ad noſtrum beneplacitum*; & Pontifices, nempè Innoc. X. & Innoc. XI. qui dicta Brevia dederunt, de hac vita migraſſe: ergò dicendum eſt, dicta Brevia, quoad delegationem, & ſubdelegationem non amplius in robore permanere.

8 Moveor ſecundò juribus, nempè Textu punctuali in *d. Capit. Si gratiosè, de Reſcr. in 6.* ubi Bonifacius VIII. expreſsè dicit, gratiam à Summo Pontifice conceſſam, per ejus obitum (per quem ipſius beneplacitum omninò extinguitur) eo ipſo expirare, & *Capit.* fin. *§. Officium autèm, de offic. Deleg. in 6.* ubi idem Pontifex ait —

„ Officium autèm quorúmcun-
„ que Conſervatorum, ipſo jure
„ quoad non cœpta negotia per
„ obitum Concedentis volumus

expirare, *Capit. Licèt undique, de offic. Deleg.* ubi expreſsè dicitur, delegationem à Pontifice factam expirare morte ipſius,

re

re integrâ. Et *Capit. ſi cui, nulla. de præben. in 6.* ubi idem exprimitur. Facit quoque Textus in *Capit. Relatum, capit. Gratum, capit. Licèt undique, de offic. Deleg. &* *l. Et quia 6. ff. de juriſdict. omn. jud.* eſtò loquatur expreſsè de poteſtate delegata ex mandato, non ex gratiâ; militat enim eadem ratio, ut conſideranti patet. At hæc jura putant aliqui intelligi in odioſis, & ambitioſis: verùm intelligi de omnibus; atque adeò poteſtatem illam delegatam ad Concedentis beneplacitum expirare morte Concedentis, quamvis res non ſit integra, docet Sanchez, *lib. 8. de matrim. diſp. 28. ſub num. 50.* & conſtat ex ratione tradita in d. *Capit. Si gratioſè*, ibi -- Per ejus obitum, per quem ipſius beneplacitum omninò extinguitur: quam rationem in omnibus conceſſionibus factis ad beneplacitum perſonæ concedentis æqualitèr procedere, innuit Sanch. *loc. prox. cit.*

9 Moveor tertiò rationibus: clauſula, *ad noſtrum beneplacitum*, quæ in præfatis Brevibus conſultò continetur, reſolvitur in clauſulam: *Donec revocaverimus*, ac proindè importat durationem, ac perſeverantiam ejuſdem voluntatis, quæ, mortuo Concedente, durare nequit; nàm morte voluntatem ſolvi, & extingui, probat Textus in d. *Capit. Si gratioſè*, & ſucceſſivè, gratia, quæ in ſua conceſſione ortum habet ab hujuſmodi voluntate, extingui debet. Tùm quia fons & radix juriſdictionis delegatæ & ſubdelegatæ eſt Summus Pontifex, qui illam conceſſit. Ergò ſi hic obierit, & illa debet perire. Præterquam-quòd, in dictis Brevibus exprimitur, gratiam, ſivè juriſdictionem concedi quoad bellum hoc in talibus Regnis duraverit. Pronomen *Hoc* eſſe demonſtrativum rei ad oculum, probat Textus in *l. Nemo, ff. de Hæredib. inſtituen.* & docent Paris, *conſil. 19. num. 7. & conſil. 35. num. 20. lib. 2.* Oſaſc. *deciſ. 52. nu. 13.* Surd. *deciſ. 125. num. 1.* & alii plures, quos refert Barboſ. *de dictionibus uſufreq. dict. 133. n. 1.* & eſſe demonſtrativum non ſolùm ad oculum, ſed etiam ad intellectum, tradunt Bart. in *l. 1. num. 2. & 3. ff. de nov. oper. nunciat.* Oſaſc. *deciſ. 112. num. 4.* Rebuff. *in l. unic. in 4. notab. num. 20. Cod. de ſent. quæ pro eo, &c.* & alii. Conſtat autèm, bellum, cujus intuitu fuerunt Brevia præfata expedita, non ampliùs durare; & de bello præſenti nullatenùs poſſe verificari illud pronomen *hoc*, aùt ad oculum, quia videmus eſſe diverſum à primo, ſeù præterito, aùt ad intellectum, at-

te-

teſtantibus Hiſtoriis, primum bellum, quod Benignitas Pontificia in ſua conceſſione reſpexit, fuiſſe finitum. Additur, dictionem, *quoad*, quæ idem importat, quod *Donec*, *Quandiù*, vel *Quouſque*, ut obſervat Anchar. *conſil.* 220. incip. *Hæc quæſtio*, *num.*4. Card. Tuſch. *pratic. concluſ. tom.* 2. *lit. D. concluſ.* 354. *num.* 1. cum aliis, relatam ad tempus, eſſe limitativam temporis, ut ſubdit idem Card. Tuſch. *loc. cit. num.*1. poſt Cravet. *conſil.*326. *num.* 8. *lib.* 3. quæque paritèr importat conditionem, ut advertit idem Cravet. *conſil.*966. *num.*11. *cum ſeqq. lib.*5. quem refert idem Card. Tuſch. d. *concluſ.* 354. & conditio nihil ponit in eſſe; ideòque actus conditionalis robur non habet, ſeù non valet, niſi exiſtente conditione, *l. Si quis*, *ſub conditione*, *ff. ſi quis*, *omiſſâ causâ*, *l. cedere diem*, *ff. de verbor. ſignif. l. Si quis fundum*, *ff. de contrah. empt. l. Ex facto*, *ff. de hæred. inſtit.* Hinc paria eſſe nihil fieri, vel fieri ſub conditione, quæ non purificetur, advertit Roman. *conſ.*421. *Hic Mathæus*, *num.*2. Inſupèr ſcimus, à conditione formam non levem induci, quâ omiſſâ, diſpoſitio ſuum non habet effectum, *l. Qui hæredi*, *l. Mævius*, *ff. de condit. & demonſtr.* & tenet Rota, *deciſ.*515. *nu.*3. apud Farin. *p.* 1. *recent.* Paris, *conſil.* 79. *num.* 86. *lib.* 1. Menoch. *conſil.* 60. *num.* 48. & *conſil.* 69. *num.* 72. cum pluribus aliis. Attentâ itàque dictione *Quoad*, conjunctâ pronomini *Hoc* in præfatis Brevibus expreſsâ: *quoad bellum hoc duraverit*, cenſendum eſt, Innocentium X. & Innocentium XI. noluiſſe, tranſacto tempore gratiæ, eorum Brevia ullum habere robur. Undè firmitèr ſentimus, dicta Brevia in ſuo robore non ampliùs permanere.

10 Huic aſſerto minimè obſtat, in talibus Brevibus commiſſionem, ſivè gratiam fieri ad beneplacitum Concedentis, & Sedis Apoſtolicæ, quæ perpetua eſt; & naturam hujus dictionis, &, eſſe copulare, *l. Si quis ità ſtipulatus*, *ff. de verb. oblig. l. Titiæ textores* 36. §. *Nibil*, *ff. de leg.*1. & copulare præcedentia cum ſequentibus, *l. Et quia*, junctâ *l. præcedenti*, *ff. de juriſd. omn. jud.* ex quibus infertur, dictam commiſſionem morte Concedentis non extingui, ſed ſempèr durare, cum facta ſit in Brevibus enunciatis ad beneplacitum Pontificis, & Sedis Apoſtolicæ; & hæc ſit perpetua, & dictio & regularitèr ſit conjunctiva, & copulativa. Nàm hiſce non obſtantibus, negamus rectè procedere illationem, nempè commiſſionem

nem obitu Pontificis non perire, ſed ſempèr durare. In primis admittendo, dictionem, *Et*, eſſe propriè copulativam, ſed quando ponitur intèr diverſa; ſecùs verò, ſeù propriam vim non habere ſi ponatur intèr duo, idem ſonantia; tunc enim remotâ copulâ, illa duo reſolvi in unum, tradit Gonzal. *ad regul.* 8. *Cancell.* §. 7. *proem. num.* 123. *&* *Gloſſ.* 3. *num.* 1. Itèm, ſi ponatur intèr duo, quorum unum alteri ineſt, ambo in unum reſolvi, eſſeque unum velut adjectionem alterius, docet Gutier. *lib.* 3. *pract. qu.* 13. *num.* 61. Ex traditis autèm à S. Antonino in *Summ. tit.* 23. *cap.* 3. §. 2. relato in noſtro *Rom. Pontif. Propug. art.* 21. §. 2. *num.* 13. habetur, Summum Pontificem, & Sedem Apoſtolicam eſſe idem. Undè clauſula: *Ad noſtrum*, *&* *Sedis Apoſtolicæ beneplacitum*, nil aliud importare videtur, niſi quòd hujuſmodi conceſſio, ſeù quòd hujuſmodi gratia conceditur à Summo Pontifice, quà tali, nempè quatenùs Summus Pontifex eſt: Ex quo non obſcurè colligitur, ipſo decedente, hujuſmodi gratiam expirare.

11 Præterquàmquod, Textus allegatus in *Capit. Si gratiosè*, *de reſcript. in* 6. de hac re nihil decidit; & ſenſus Doctorum, hunc Textum interpretantium, eſt varius: Quidam ſentiunt, concurrente Dignitate, & Perſonâ, præponderare Dignitatem; & conſequentèr gratiam, ſeù conceſſionem nequaquàm perire obitu Concedentis. Alii verò putant, nomen, quod præcedit, præponderare: ut ſi diceretur -- Ad beneplacitum Sedis Apoſtolicæ; & ideò conceſſionem non perire, dùm nomen Dignitati præcedit. Secùs verò ſi præcedat nomen perſonæ, ut eſt caſus noſter; ſiquidèm in Brevibus relatis ſcribitur -- *Ad beneplacitum noſtrum*, *&* *Sedis Apoſtolicæ*; & tunc conceſſionem morte Concedentis expirare: quas opiniones Sanchez, *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 28. *num.* 60. vocat probabiles, & & ſic noſtro aſſerto unâ cum Authoribus poſterioris ſententiæ apertiſſimè favet.

12 Si quis diceret, non obſtante præfatarum opinionum probabilitate, rem adhùc dubiam remanere, ac proindè neſciri, an conceſſio morte Concedentis expiret, an perpetuò duret: ei reſponderem, retorquendo argumentum. Res eſt dubia? Ergò cenſendum eſt, hujuſmodi conceſſionem expirare, ſiquidèm, ubi res eſt dubia, inſpiciendum eſſe litteræ ordinem, & deducendam Concedentis intentionem, probat Textus in *Capit. Si quis juſto*, in princ. *de elect. in* 6. *Capit. Mandato*, in fin. *de præben. eod.*

lib. & *l. Quotiès*, *ff. de uſufructu*; & docet Bart. *l. More*, in fin. *ff. de juriſd. omn. jud.* Imola, *l. Si Servus communis*, *n.* 2. init. *ff. de ſtipul. ſerv.* Anchar. *in d. Capit. Si gratiosè, in 6.* cum aliis pluribus. Patet autèm litteræ ordinem in dictis Brevibus hunc eſſe, videlicèt -- *Ad beneplacitum noſtrum*, & *Sedis Apoſtolicæ*. Præcedit itàque Perſona concedens. Ergò ejus ſola voluntas, juxtà diſpoſitionem Sacrorum Canonum, & legum civilium, cenſenda eſt menſura durationis gratiæ conceſſæ. Oſtenſum eſt autèm ſuperiùs, voluntatem perſonæ ejus morte perire: Ergò peribit quoque gratia conceſſa dum ea voluntas duravit.

13 Concluditur igitùr, quatuor Brevia enunciata non ampliùs in ſuo robore permanere; ac proindè Delegatorum, & Subdelegatorum Caſtrenſium facultates, eis vigore dictorum Brevium tributas, omninò expiraſſe; præſertìm re integrâ exiſtente. Juriſdictio enim delegata, & ſubdelegata, de qua loquimur, connectitur cum ſuprema juriſdictione Summi Pontificis, qui eſt fons, & radix hujuſmodi juriſdictionis delegatæ, & ſubdelegatæ: quaproptèr, ſicuti decedente Summo Pontifice, tota ejus juriſdictio expirat: ità paritèr juriſdictio ab ipſo delegata, & ſubdelegata intelligitur poſt ejus obitum expirata; Connexorum enim idem eſſe judicium, præſertìm quando connexitas eſt proxima, vult Textus in *Capit. Tranſlato*, *de conſtitut. Capit. Præterea*, *de offic. Deleg. l. Quid ergo*, §. *Judicio tutelæ contrario*, *ff. de contraria*, & *util. act. tutel. l. Proindè. ff. ad leg. Aquil.* & docent Marſil. *ſing.* 251. Decian. *conſil.* 55. *n.* 17. & *ſeqq.* Cravet. *conſil.* 275. *num.* 3. & *ſeqq.* Caſtren. *conſil.* 110. *num.* 2. & *ſeqq. lib.* 2. & alii innumeri.

14 Si quiſpiam velit, ſibi concedi opinionem mihi contrariam eſſe probabilem, ei indulgerem; dummodò mihi concedat, quod negare non poteſt, nempè, meam opinionem, utpotè validioribus fundamentis, ſeù rationibus tùm extrinſecis, tùm intrinſecis fulcitam, eſſe probabiliorem, & tutiorem. At reflectat, juriſdictionem delegatam, & ſubdelegatam verſari circa adminiſtrationem Sacramentorum, ut exprimitur in propoſita facti ſpecie; & circa ſententias, in litibus Caſtrenſibus à Judice proferendas, ut denotat titulus hujus libri: & in Sacramentis conferendis licere ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore: & eſſe probabile Judicem poſſe judicare juxtà opinionem minùs probabilem, eſſe

ambas

ambas propoſitiones ab Innocentio XI.proſcriptas, quæ ſunt in ordine, prima, & ſecunda; & conſequentèr, eas nullatenùs poſſe abſque conſcientiæ laqueo ad praxim deduci. Utinam id ſaperent, ac intelligerent cuncti Exercituum Confeſſarii, ac Judices!

§. IV.

Deducta ex traditis ſub præſenti Capite producuntur.

15 Deducitur primò, perire juriſdictionem ſubdelegatam factam non in totum, nempè, committente Delegato omnes vices ſuas, ſed pro parte, morte Delegati ſubdelegantis contingente, dùm res ex parte Subdelegati eſt integra, ac etiam tenet Barth. Socinus in d. *l. More*, *num.* 74. & ratio ſuadet, quia juriſdictio ſubdelegata pendet ab ipſius Delegati juriſdictione, à quo immediatè profecta eſt. Intellige, ſi primus Ordinarius, qui delegavit, mortuus eſt: ſecùs verò, ipſo ſuperſtite, à quo ſolo tunc pendet juriſdictio ſubdelegata, quæ, quantumcunque decedat, re integrà, Delegatus ſubdelegans, non præſumitur extincta, quia non extinguitur ejus fundamentum, videlicèt, primus Ordinarius delegans, ut obſervat Sanch. *lib.* 8. *de matrim. diſp.*27. *num.*35.

16 Deducitur ſecundò ab aliquibus minimè reprobari ſententiam illorum, qui docent, moriente primo Delegante, re exiſtente non integrâ quoad Delegatum, integrâ verò quoad Subdelegatum, non perire ſubdelegatam juriſdictionem; huic innixi fundamento; quià ne pereat, ſufficit, ipſummet Subdelegatum, vel Delegatum ſubdelegantem cœpiſſe uti juriſdictione ante primi Ordinarii Delegantis interitum; adducentes pro ſe *Capit. penult. de offic. Deleg. in 6.* Qui ità docent, eſt intèr cæteros, Gloſſ. in d. *Capit. penult. de Offic. Deleg. verb. Proceſſum*, Dominicus, *num.* 5. Francus, *num.* 2. Ferretus, *conſil.* 158. *num.* 1. & 2. *vol.* 1.

17 Deducitur tertiò, poteſtatem delegatam ad literas juſtitiæ exequendas expirare morte concedentis, re integrâ exiſtente, videlicèt antequàm Delegatus ſuâ cœperit uti juriſdi-

riſdictione; secùs ſi res non erat integra; quod habetur ex d. *Capit. Gratum*, *Capit. Relatum*, *Capit. Licèt undique*, *de offic. Deleg.* & ratio ſuadet; ſiquidèm mandatum expirare morte Mandantis, re integrà, probat Textus in *l. Mandatum*, *Cod. Mandati*.

18 Deducitur quartò, terminato officio Delegantis, re integrâ, jurisdictionem delegatam extingui: quia officii terminatio, & mors naturalis, quoad extinctionem poteſtatis delegatæ, re integrà, jure optimo æquiparantur. Dictum eſt autèm, morte Delegantis, re integrâ, perire jurisdictionem delegatam: ità ergò idem dicendum videtur terminato Delegantis officio. Sic paritèr ſentit Gloſſ. in d. *Capit. Licèt undique*, in fin. *de offic. Deleg.* & ibi Abb. *num.* 7. Baldus, *num.* 8. cum aliis pluribus. Additur, cauſam reſervandæ ſibi voluntatis, eſſe officium: Ergò finito officio, finitur voluntas, arg. ex *l. Non ſolùm*, §. *fin. ff. de oper. novi. nunciat.* ubi aſſeritur, nunciationem finiri, ceſſante dominio rei, quod ejus cauſa erat, eſtò perſona ſuperſtes ſit.

19 Deducitur quintò obitèr, jurisdictionem Vicarii Generalis Epiſcopi, quamvis ſit ordinaria, utpotè à Canone ei tributa, ut conſtat ex *Capit. 2. de offic. Vicarii*, *in 6.* & probat Sanch. *lib.* 3. *de matrim. diſp.* 19. *num.* 2. & 3. nihilominùs per obitum Epiſcopi expirare, quia jurisdictio Vicarii Generalis cohæret jurisdictioni Epiſcopi; ac proindè, extinctâ jurisdictione principali per mortem Epiſcopi, extinguitur etiam jurisdictio ordinaria Vicarii, quæ eſt acceſſoria. Quod fusè probat d. Sanchez, *loc. cit. num.* 13. ubi ſubdit, jurisdictionem ordinariam morte concedentis minimè extingui, quando non cohæret alteri ordinariæ, tanquam acceſſoria.

20 Deducitur ſextò paritèr incidentèr, omnia geſta per Vicarium generalem, Epiſcopo mortuo, aùt ipſo excommunicato, denunciato, aùt notorio percuſſore Clerici, aùt interdicto, vel ſuſpenſo, nullius eſſe momenti tanquàm geſta à privato quodam, jurisdictione carente, cùm Epiſcopi & Vicarii Generalis ſit prorsùs idem Tribunal, & reputetur eadem utriuſque perſona, ut probat Textus in *Capit. Non putamus*, *de conſuet. in 6.* & *Capit. Romana*, *de appell. eod. lib.* undè dum ceſſat Tribunal Epiſcopi per ejus mortem, aùt excommunicationem, aùt notoriam percuſſionem clericalem, aùt interdictum, aùt ſuſpenſionem, aùt depoſitionem, debet etiam ceſſare Tribunal ejus Vicarii Generalis, & ità docet Imol.

in

in *Clem.cap.fin.de procur.n.*17. Boniſac. *num.* 38. Hoſtien. in *Capit. Quoniam Abbas*, in fin. *de offic. Deleg.* cum aliis innumeris: Quemadmodùm igitùr geſta tunc per Epiſcopum, ad ejus juriſdictionem ſpectantia, ſunt irrita; irrita quoque eſſe debent geſta per ejus Vicarium Generalem. Hoc etiam probat Textus in *Cap.1.de offic.Vicar.* in fin.Et ità tradunt Gloſſ. ibi, *verb.Ipſius*,Archidiac. ibi, *n.* 1. *verb. Gerunt*, Anchar. *num.*2. & alii plures Canoniſtæ, & Theologi, quos producit Sanchez, *lib.*3. *de Matrim.diſp.*30. *num.*3.*& ſeqq.* ubi dicit, hoc verum eſſe, etiam quoad negotia cœpta ante Epiſcopi mortem, excommunicationem &c. ſubdens in hoc differre Vicarium generalem à Delegato,cujus poteſtas non expirat quoad negotia incœpta, obitu, aùt excommunicatione, &c. Delegantis. Utrum verò geſta à Vicario Generali,Epiſcopi mortem ignorante, vel communitèr ignoratam, valeant, inſpice intèr cæteros, qui de hac materia diſertè agunt, Sanchez *lib.*3. *de matrim, diſp.*22.*n.*59.

21 Deducitur ultimò quoad rem noſtram, geſta à Delegato, vel Subdelegatis poſt mortem Summi Pontificis delegantis, præſertim ſi res erat integra, & tempus juriſdictionis delegatæ, ab eo præſcriptum, erat elapſum, irrita eſſe, quod probat Textus in d. *Capit.Gratum*, *d. Capit. Relatum*, *de offic. Deleg. & d. l. More*, *ff. de juriſdict. om. jud.* ubi indiſtinctè dicitur, perire poteſtatem Delegati, re integrâ, morte Delegantis; idque à veritate minimè declinare, tametſi Delegatus mortem Delegantis ignoret, docent Jo: Andr. *tit. de Judice delegato*, *in additione*, *verſ. Ut ibi*, Speculator. *ibid.* §. *Reſtat videre*, *num.* 5. Bart. in *d. l. More*, *n.*18. & ibi Alberic. *num.*22.Bellapertica, *n.*21. Barth. Socinus, *num.*73. Abb. in d.*Capit.Gratum*, *num.*10. & & alii, hac ducti ratione, quia mortuo Delegante, re integrâ, expirat poteſtas Delegati: nec officit *l. Barbarius*, *ff. de off. Prætoris*, ut acutè obſervant Abb. & Soc. *loc.cit.* reſpondentes,ibi diſpoſitum non habere locum in hoc caſu, quia ſolùm adeſt communis error, & deficit titulus; ſiquidèm per mortem Delegantis, re integrâ,ceſſavit titulus, qui à principio officii fuit collatus à legitimo Superiore, ut ipſi loquuntur, & juriſdictio Delegati. Ergò non ſufficit, communem adeſſe errorem, & à principio adfuiſſe Superioris authoritatem; nàm ſi Delegatus novit ſe juriſdictione privatum, quamvis publicè id ignoretur, ipſo jure non valere ejus geſta, docet Bald.

Bald. *l. Si arbiter*, *Cod. de ſent. & interloq.* & ibi Salicet. *n.*5. *qu.*2. Ergò non ſatis eſt,ab initio interfuiſſe Superioris, ſeù Summi Pontificis authoritatem. Id quippè firmatur à Textu in *Capit. Dudum*, il ſecondo, poſt init. *de elect.* ibi -- „ In ſuæ quoque ſalutis, & multarum Animarum diſpendium, „ prædictas Parochiales Eccleſias „ retinebat, cum earum cura,quà „ jam privatus fuerat, ipſo jure, „ ad eum nullatenùs pertineret; & ſic per ipſum eædem Animæ damnabilitèr ſunt deceptæ. Dignetur doctus Lector hunc Textum perpendere; ex quo ſanè conſtat, Prælatum, qui ob juſtam cauſam ipſo jure Parochiale beneficium amiſit, Animas ipſas damnabilitèr decepiſſe, à culpis eas abſolvendo. Dicendum eſt itàque, abſolutionem Sacramentalem invalidam fuiſſe; alioquin Animæ non eſſent deceptæ, & conſequentèr nequaquàm ſufficere ab initio Superioris authoritatem adfuiſſe, ut optimè notat Gloſſ. in d.*Capit. Dudum*, verb. *Deceptæ*, firmitèr ſentiens, & expreſsè tradens, illas abſolutiones fuiſſe nullas: ſubdit tamen, Animas illas ſalutem conſequi in fide Sacramenti, quemadmodùm ſalvatur in fide Baptiſmi Judæus, qui bonâ fide ſe ipſum baptizavit, quamvis hujuſmodi Baptiſmus irritus ſit, juxtà *Capit. Debitum*, *de Baptiſ.* Et ità ſentire videtur Bald. in d. *Capit. Debitum*, *num.*18. & Innoc. *num.* 3. licèt dicant ſub disjunctione, poſſe cenſeri validas eſſe abſolutiones, nec adveniente ſcientiâ amiſſionis tituli, ſeù juriſdictionis, repetitione indigere confeſſiones, præfato Parocho factas; vel non eſſe validas; & ideò fore repetendas. Præterquàmquod, Prælatum ſemel amiſiſſe poteſtatem ſivè ob delictum, ſivè ob hominis ſententiam, ſivè ob revocationem, aùt aliam juſtam cauſam, proindè eſſe, ac ſi nunquam illam habuiſſet, docet Bald. *loc. prox. cit.* ibi dicens -- Qui deſinit eſſe Prælatus, ſtatim efficitur intruſus, „ niſi diſcedat à poſſeſſione: Tanti Viri authoritati innixi, formemus argumentum. Si Prælatus, ſivè Parochus nunquàm habuit titulum, ſed intruſus fuit; geſta per ipſum cenſentur invalida: Ergò nullius valoris cenſenda ſunt poſtquàm poteſtate, ſivè jure, ſivè facto, ſivè publicè, ſivè occultè, ipſo tamèn ſciente, fuit privatus. Quod dicitur de Confeſſionibus acceptis, intelligendum eſt quoque de matrimoniis admiſſis, de ſententiis prolatis, & de aliis, reſpicientibus juriſdictionem, peractis: cùm militet eadem ratio. Id quidèm potiſſimùm intelligi, quando privatio

tio tituli, à legitimo Superiore collati, eſſet per hominis ſententiam, liquidò conſtat; nàm cum ille tunc privetur omninò etiam poſſeſſione, aſtruendum eſt, in eo nil ſupereſſe authoritatis officii, ut geſta per ipſum valeant; ideòque in hoc caſu eſſe irrita, eſtò privatio occulta ſit, adſitque communis error, tradunt Bald. *l. Nihil*, *num.*2. *Cod. de vindict. libertate*, Paulus, *l.*1.*num.*3. *Cod. de teſt.* Scimus, Innocent. Hoſtien. & alios *d. Capit. Dudum* interpretantes dixiſſe, geſta non valere, quando privatio eſt notoria; valere, quando eſt occulta; ſubdentes propterea in caſu d. *Capit. Dudum*, in quo Parochus erat ipſo facto Parochiâ privatus, validas fuiſſe confeſſiones illi factas; nec, detecto vitio, repetendas eſſe, dùm privatio illa non fuit notoria. Quidquid ſit de hac doctrina, à Theologis, & doctis Confeſſariis ponderandâ, quamque reprobare minimè audemus, præſertim quia nobis nullatenùs nocet; quia ſumus in caſu notorietatis, loquimur, inquam, de caſu, in quo notum eſt, Pontifices, qui præfata Brevia conceſserunt, obiiſse. Notum eſt, gratiam ad beneplacitum conceſſam, obitu Concedentis, expirare. Notum eſt, plures locorum Ordinarios ad Sedem Apoſtolicam ſæpè perfugiſſe contra Capellanos Exercituum, tanquam illam exercentes, quâ carebant per mortem Delegati, aut Delegantis, juriſdictionem. Notum eſt, Tribunalia non ſolùm Romana, ſed & alia plura extrà Urbem, non ſemel in contingentia litium, publicè, per decreta, & ſententias declaraſſe, geſta per Delegatum, & Subdelegatum Caſtrenſem abſque debita juriſdictione, vel cum juriſdictione dubia, eſse invalida, & ſucceſſivè ſanatione indigere. Hanc, quæsò, percipiant notorietatem quidam Caſtrorum Miſſionarii, quos intelligo, præſumere ex titulo colorato poſse confeſſiones audire, matrimoniis aſſiſtere, ſententias proferre, aliaque agere, quæ ex defectu juriſdictionis, quâ fuere jure, aut ipſo facto privati, irrita evadunt.

22 Deducitur ultimò, facultates vigore Brevium Pontificiorum conceſſas ad tempus limitatum Miſſionariis Caſtrenſibus, adveniente tempore præſcripto, expirare. Diſpoſitionem enim limitatam, limitatum parere effectum, & non extendi ultrà limites, juribus & rationibus probat Petrus de Anchar. *conſ.* 118. Seraphin. *deciſ.*911. *num.*2. Cephal. *conſil.*284. *num.*13. *lib.* 2. ubi loquitur de delegatione, Angel. *conſ.* 138. *viſis omnibus*, in

princ.

princ.ubi agit de reſcripto,& juriſdictione conceſsâ limitatè: & omnem diſpoſitionem eſse inſpiciendam, interpretandam, obſervandam,proùt verba diriguntur,probat Textus in *l. Miles*, §. *pro parte*, *ff. de legat.* 2. & tradit Caſtren. *conſ.* 252. *viſo puncto*, *col.*2. in princ. *lib.*1. Hujuſmodi autèm facultates ſempèr concedi ad tempus limitatum, videlicèt, aùt ad annum, aùt ad triennium; & quandoque ad ſeptennium, & etiam ad tempus beneviſum Delegato, cum poteſtate eaſdem ſuſpendendi,vel revocandi totiès, quotiès opus fuerit, experimento edocemur, & patet ex litteris,ſivè epiſtolis mihi ad hunc effectum traditis; & per extenſum hîc pro Legentium documento, & eruditione, de verbo ad verbum productis; quarum prima, Italico idiomate exarata, eſt D. Franciſci Ingoli, Sacræ Congregationis de Propaganda fide Secretarii: ſecunda paritèt Italico idiomate conſcripta, eſt Sac. & Supremæ Congregationis S. Officii. Tertia eſt D.Franciſci Tucci Nunciaturæ Apoſtolicæ apud Aulam Cæſaream Auditoris generalis.

Illuſtre Signore:

Conforme al Decreto di Noſtro Signore nella Congregatione del S. Offizio delli 14. *Decembre corrente, hò fatto la lettera à Monſignor Nunzio di Germania per dar' à lui le facoltà de i Miſſionarii per la Germania, & hò copiato una formula cavata dalla formula pro Septentrionalibus Regionibus, con levar diverſi articoli, che non ſervono ne' Miſſionarii per gl' Eſerciti. V. S. ſi compiacerà di reſcriverla al modo ſolito del S. Offizio, ſotto la data delli* 14. *con dire, che Sua Santità concede à Monſignor Camillo Arciveſcovo di Capua, e Nunzio di Noſtro Signore in Germania, colla poteſtà di communicare l'infraſcritte facoltà al Superiore de' PP. Gieſuiti, & alli Sacerdoti della medeſima Compagnia, & ad altri Sacerdoti, così Secolari, come Regolari, pur che ſiano idonei, che ſervono negl' Eſerciti di S. M. Ceſarea, overo potrà fare il reſcritto ſolito, & innanzi l' Articolo* 13. *che diverrà* 14. *aggiongere queſt' altro articolo.*

13. *Communicandi ſupradictas facultates Superiori Societatis Jeſu, & Religioſis ei ſubditis, ac aliis Sacerdotibus idoneis, ſivè Sæcularibus, ſivè Regularibus, in Exercitibus Cæſareæ Majeſtatis in ſpiritualibus inſervientibus ad tempus beneviſum præfato Nuntio, dummodò non ultrà ſeptennium, eaſque ſuſpendendi, vel re-*

revocandi totiès, quotiès opus fuerit, e la faccia ſottoſcrivere dal Signor Cardinal Roma, e me la mandi quanto prima, &c.

Di caſa 20. Decembre 1647.

Affettionatiſs. per ſervirla Franceſco Ingoli.

Copia di lettera ſcritta dalla Sacra Congregatione del S. Offizio al Signor Franceſco Tucci, Miniſtro Apoſtolico in Vienna, li 6. Maggio 1690.

24 *Sù le iſtanze portate da V. S. con lettera de' 2. del caduto in beneficio ſpirituale di coloro, che militeranno ſotto le Inſegne Ceſaree, la Santità di Noſtro Signore, col parere di queſti miei &c. ſi è benignamente compiaciuta concederle tutte quelle facoltà, che dalla s. m. d'Innocenzo X. furono altre volte concedute à Monſignor Melzio allora Nunzio Apoſtolico, e poi Cardinale, con lettera de i 16. Decembre 1647. e di nuovo dalla s. m. d'Innocenzo XI. conferite al Signor Cardinal Bonviſi Nuntio parimente Apoſtolico appreſſo la Maeſtà Ceſarea, con altre lettere de' 13. Maggio, dell' 84. e 16. di Marzo, dell' 89. con aver la Santità Sua condeſceſo, che V. S. poſſa le medeſime communicare al P. Criſtofaro Stettinger della Compagnia di Gieſù, Confeſſore di Sua Maeſtà, e Deputato ſuperiore delle Miſſioni agli Eſerciti Ceſarei: E ciò per un'altro Settennio da cominciare dopo terminato il corrente già conceſſo, affinche poſſa egli oportunamente valerſene, ſecondo che altre volte ſi è pratticato, con impartirle à Capellani, e Confeſſori de' medeſimi Eſerciti, &c.*

Franciſcus Tucci Prothonotarius Apoſtolicus, Nunciaturæ Apoſtolicæ apud Aulam Cæſaream Auditor Generalis, & Deputatus.

25 *Cùm per literas Patentes ex hac Cancellaria, datas Lincii, die 3. Junii 1684. per Eminentiſſimum, & Reverendiſſimum D. Cardinalem Bonviſium, tunc Nuncium Apoſtolicum, communicatæ fuerint Reverendiſs. P. Chriſtophoro Stettinger Soc. Jeſu, Sac. Cæſ. Majeſtatis Confeſſario, variæ facultates ſpeciales pro Cæſareis Exercitibus in Hungaria militantibus; & per alias ſimiles literas, datas Viennæ, die 13. Aprilis 1689. eædem facultates fuerint extenſæ, ſeù conceſſæ, etiam pro Exercitibus in Imperio, ſeù circà militaturis, ac nupèr conſiderato proximo fine Septennii ibidem præſcripti; petitâque temporis prorogatione, Alexander PP. VIII. fel. rec. nobis conceſ-*

ſerit omnes, & ſingulas facultates olim à fel. rec. Innoc. PP. X. conceſſas Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo D. Melzio, tunc Viennæ Nuntio Apoſtolico, ac iterùm à fel. rec. Innoc. XI. collatas præfato D. Cardinali Bonviſio; ſimulque poteſtatem tribuerit ipſas facultates communicandi pro alio Septennio computando poſt finem Septennii currentis, ut latiùs conſtat ex literis tàm Sac. Congregationis S. Officii ſub 6. Maii, tùm Eminentiſſimi D. Cardinalis Otthoboni, ſub die 13. ejuſdem menſis Maii, anni 1690. ad nos directas, quarum vigore ſupradictas facultates d. P. Stettinger communicatas, pro Septennio, ulrâ illud, ad aliud Septennium communicavimus, extendimus, & prorogavimus per noſtras patentes Literas Viennæ datas, 6. Julii 1690. Poſtquàm intellexerimus P. Settinger lethali infirmitate laborare, & petierimus poteſtatem ſubſtituendi in facultatibus prædictis Sacerdotem illum, quem Imperatoris Majeſtas ſibi elegiſſet in Confeſſarium, Eminentiſſimus D. Cardinalis Othobonus 1691. reſcripſit, contentam eſſe Sanctitatem Suam, ut nos ſubſtituamus in iiſdem facultatibus ſupèr Capellanis, ſeù Miſſionariis Caſtrenſibus prædictorum Exercituum novum Confeſſarium Majeſtatis Suæ, ſtatìm ac ab ipſa Majeſtate ſit declaratus, ſivè electus, non expectando aliquid aliud à Pontificio nutu, conceſsâ nobis ad hujuſmodi effectum permiſſione neceſſaria. Idcircò attentis prædictis Reverendiſſimum P. Franciſcum Menegatti Soc. Jeſu, ſcientiâ, & exemplo ſummoperè inſignem delectum Auguſtiſſimi Confeſſarium in omnibus, & ſingulis facultatibus, ut ſuprà communicatis, extenſis, ac prorogatis, ſubſtituimus, ac plenè, & omni, &c. ſubdelegamus. Datum Viennæ Auſtriæ, ex Palatio Nunciaturæ Apoſtolicæ, die 26. Februarii 1691.

Franciſcus Tucci Nunciaturæ Apoſtolicæ Auditor generalis, & Deputatus.

CA-

CAPUT. X.

FACTI SPECIES.

Quidam Miſſionarius Caſtrenſis ſpecialem habens à Summo Pontifice facultatem abſque ulla reſtrictione abſolvendi Perſonas Militares, præſumit, non obſtante modernâ Brevium Pontificiorum diſpoſitione, eas adhùc poſſe à quovis caſu reſervato, quoviſque tempore vigore obtentæ facultatis abſolvere. Controvertitur quid juris?

§. I.

Aliqua propoſitæ Controverſiæ diſcuſsionem, & reſolutionem concernentia, præmittuntur.

1 PRÆMITTIMUS primò, non levè adeſſe diſcrimen intèr Milites, & Perſonas militares. Militares enim perſonas propriè eos dici, qui non actu, ſed habitu militiam exercent, rerum bellicarum Periti teſtantur, eodem planè modo, quo Conſules à Viris conſularibus diſtinguuntur, non incongruè advertit, & ſubdit Franciſcus de Ponte in *Tract. de poteſt. Proreg. tit.7. §.7. num. 31.* ubi dicit, quòd perſonæ militares non ſunt Milites, quia actu militiam non exercent: quem Authorem producit, & ſequitur Tondutus, *vol.2. qu. & reſol. p.3. cap.154. num. 8.*

2 Præmittimus ſecundò, in Brevibus Pontificiis concedi quidèm facultatem Miſſionariis Caſtrenſibus, ſeù Delegato, ac Presbyteris idoneis ab eo ſubdelegandis confeſſiones quarumcunque exercitus utriuſque ſexus Perſonarum audiendi; illaſque à quibuſuis exceſſibus, & delictis quantumcumque gravibus, & enormibus, ac

Digitized by Google

etiam in caſibus, Summo Pontifici, & Sedi Apoſtolicæ ſpecialitèr reſervatis, ac etiam contentis in Literis die Cœnæ Domini legi ſolitis, ut ſuprà tetigimus, abſolvendi. At plures excipiuntur caſus, nempè Hæreſis, læſæ Majeſtatis— Conſpirationis in perſonam, vel Statum Romani Pontificis- Delationis Armorum, & aliorum prohibitorum ad Partes Infidelium — Falſificationis Literarum Apoſtolicarum-Injectionis manuum violentarum in Clericos, ſeù Prælatos Eccleſiæ- Clauſuræ Monaſteriorum Sanctimonialium - ac Juriſdictionis, ſeù Libertatis Eccleſiæ violationis. Et dùm Summus Pontifex reſtringit, ſeù excipit in ſuis Brevibus aliquos caſus, præſumendum eſt, juſtam adeſſe cauſam reſtringendi, nec non rationem particularem hujuſmodi reſtrictionis faciendæ. Et poſſe diſpoſitionem generalem reſtringi ex ratione particulari, probat Text. in *l. Cum pater*, §. *Dulciſſimis*, *ff. de leg.*3. *l. Si certâ re*, *Cod. de tranſact.* & tradit, aliis citatis, Aug. Barboſ. in *axiom. jur. uſufreq. Axiom.*73. *num.*7. *verſ. Limita primò*.

3 Præmittimus tertiò, nullatenùs eſſe controvertibile, poſſe Summum Pontificem, non obſtante quacunque generali conceſſione, ſivè in odioſis, ſivè in favorabilibus, quos vult, caſus excipere. Scimus enim, qui poteſt agere, multò magis poſſe excipere, *Capit. Cum intèr*, *de except. Capit. Qui ad agendum, de reg. jur. in* 6. *L.*1. *ff. de ſuperficieb.* 2. tradunt Alex. *conſ.*62. *in cauſa*, *num.*6. & 7. *lib.* 7. Card. Tuſch. *Pract. concluſ. tom.*2. *lit.E. concluſ.* 374. per totam, Federic. De Senis, *conſ.*90. *num.*3. *verſ. Dixi*; & aliis, quos producit, & probat idem Barboſ. *Axiom. jur. Axiom.*85. *num.*1.

4 Præmittimus quartò, formam inductam dici pluribus verbis, ſivè modis: 1. ex vehementi, & ſtudioſâ animi applicatione, quam Diſponens habet circa modum in diſpoſitione expreſſum, Bocacc. in *Conſtit. Marchiæ*, *Gloſſ.*6. *num.* 268. ubi *num.* 169. reſolvit, per dictiones taxativas cenſeri formam inductam. 2. quotiès dicitur, id, quod diſpoſitum eſt, ſervandum eſſe pro forma, Gozadin. *conſ.*73. *n.*13. Grat. *conſ.*16. *num.*14. *lib.*1. 3. quotieſcunque additur neceſſitas aliquid faciendi, Tiraquell. *de retract. lig.* §.36. *Gloſſ.*2. *n.*35. 4. quando opponitur tempus; cum tempus ordinatum à ſtatuto dicatur eſſe de forma. Oſa. *deciſ.* 163. *num.* 9. cum ſeqq. Roland. *conſ.* 72. *num.* 71. 5. quando diſponitur conditionalitèr: Card. Tuſch. *Pract.*

concluſ.

concluſ. tom. 3. *lit. F. concluſ.* 414. Menoch. *de Arbitr. jud. lib.* 1. *qu.* 30. *num.* 5. 6. Si aliquid ſtatuatur prętèr jus commune, Bocacc. d. *Gloſſ.* 6. *num.* 163. *&* 165. 7. quoad rem noſtram, quando ponitur limitatio, & conceſſio reſtringitur; ut fuit dictum in *Romana pecuniarum, die* 18. *Junii, anno* 1607. *coram Peniâ,* ſalvo &c. impreſſa apud Zacch. *de oblig. Camer. deciſ.* 64. *nu.* 5. & dixit Grat. *conſ.* 106. *nu.* 52. *lib.* 2.

§. II.

Quamlibet facultatem alicui Miſsionario, ſivè Capellano Caſtrenſi per Sedem Apoſtolicam tributam, non alitèr eſſe intelligendam, & ad praxim deducendam (excepto aliquo caſu extraordinario, magna urgente neceſsitate, Viri docti, prudentis, & pii judicio perpendenda) quàm juxta formam, & diſpoſitionem Brevium Pontificiorum, quæ poſtmodùm emanarunt, juribus, & rationibus reſolvitur.

5 Doctorum nullus huic noſtræ reſolutioni faventium producitur, quia nullum de hac materia loquentem, & fortè ne quidèm excogitantem adinvenimus; ideòque ſolo naturæ lumine, quod omnibus inſitum eſt, quodque alio Doctore non indigere, tradit Bald. *conſ.* 477. *num.* 6. in fin. *&* 7. *lib.* 4. apud Fagn. in *Capit. Cum veniſſent, num.* 74. *de jud.* Card. de Luca, *de beneſ. diſc.* 31. *ſub num.* 10. perducti, ad Jura, & ad Rationes, quibus reſolutio fulcitur, ſtatìm tranſimus.

6 Moveor igitùr primò juribus in *l. Quæſitum*, §. *Denique*, *ff. de fundo inſtructo*; ubi habetur

quòd

quod exceptio firmat regulam in contrarium: & idem docet Bart. in *l.* 1. in fin. ubi Dec. *num.*20. Cagnol. *n.*31. *&* 34. *ff. eod. tit.* Everard. in *Topic. legal. loc.*3. cum aliis: & ideò diſpoſitio ſpecialis facultatis, quam noſter Confeſſarius, ſivè Capellanus Caſtrenſis obtinuit antè Brevium Pontificiorum emanationem non poteſt comprehendere caſus in Brevibus Pontificiis exceptos: Et *l. quamquàm, ff. de Rit. nupt.* ubi dicitur, in Arbitrio dato intelligi ne concedatur, quod prohibetur, licèt Concedens arbitrium, concedere illud potuiſſet: Et *l. Si ſervi, Cod. de noxal. action.* ubi habetur, diſpoſitionem ſivè particularem, ſivè univerſalem, eſſe reſtringendam, quando ſecùm defert abſurdum. Magnum autèm abſurdum oriretur in Chriſtiana Republica, ſi cenſerentur comprehenſa, quæ expreſsè prohibentur; ità animadvertunt & ſcribunt plurimi, quos recenſet; & probat Crav. in *Conſil.*200. *num.* 6. *&* *conſ.* 245. *num.* 16. Atqui abſolvere à quibuſdam caſibus reſervatis, & exceptis, reperitur expreſsè prohibitum in Brevibus Pontificiis. Ergò &c. Additur *l. Julianus*, §. *Si quis, ff. ad exhibendum*, ubi formâ non ſervatâ, actus redditur nullus: quam ſententiam procedere, etiamſi forma ipſa non fuerit in aliqua minima ejus parte obſervata, ſcribit Dec. in *Conſil.* 532. *num.* 4. *&* 5. Tiraquell. in *Tract. de retra*, quos producit Menoch. in *conſ.*717. *num.*4. Idemque ſentire videtur Angel. in *conſ.* 36. *pro deciſione quæſtionum*, *num.*2. aſſerens, formam illam dici, quæ in ipſomet actu adhiberi, & obſervari debet. Subditur quoque *l. Mævius*, *l. qui fundus*, *ff. de condit. & demonſtr.* cum aliis omiſſis, quibus probatur, formam ad unguem eſſe obſervandam.

7 Moveor ſecundò rationibus in jure fundatis. In Brevibus Pontificiis ſpecialitèr excipiuntur aliqui caſus. Ergò nullatenùs poteſt facultas noſtro Miſſionario Caſtrenſi tributa ante dictorum Brevium emanationem, quæ ipſe minimè ignorat, ad illos ſe extendere, cum diſpoſitio ſpecialis, quæ eſt poſterior, deroget, vel ſaltèm limitet quamcumque aliam anteriorem diſpoſitionem, *arg.* juxtà *l. Cohæredi*, §. *Qui patrem*, *ff. de vulg. & pupill. ſubſtit.* *l. Uxorem*, §. *Feliciſſimo*, *de leg.* 3. *l. Quæſitum*, §. *ult. de fundo inſtructo*: & docet Bart. in *l. Generali*, §. *Uxori*, *ff. de uſufruct.* Tum quia, quælibet diſpoſitio ità interpretari debet, ut quantùm fieri poteſt, nemini noceat: ità

me

me docet Textus, *arg. in l. In ff. de condit. & demonſtr.* & ità reſpondit Socin. Sen. *in conſ.* 159. *col.* 2. in fin. *lib.* 2. Bald. in *l. Cum allegas*, in fin. *Cod. de uſur.* Atqui Confeſſarius Caſtrenſis exercens facultatem, quam præſumit habere, Brevibus Pontificiis injuriam, & Animabus, quas à Caſibus reſervatis, & exceptis abſolvit, graviſſimum nocumentum adfert, ut infrà in deductionibus clarè patebit: Injuriam, inquam, Brevibus Pontificiis infert, juxtà monitum Innocentii III. in *Capit. Intèr dilectos, de fid. inſtrum.* & diſpoſitionem Textus in *l. Ubi repugnantia, ff. de reg. jur.* ubi dicitur, diſpoſitionis verba ita eſſe intelligenda, ut non contineant repugnantiam; quod etiam docent Scribentes in Tex. *prox. alleg.* intèr quos Menoch. *de arbitr. jud. caſ.* 199. *num.* 23. *& conſ.* 214. *num.* 81. Repugnantia quippè Brevibus Pontificiis in illa facultate contineretur, ſi noſtro Miſſionario Caſtrenſi fas eſſet abſolvere à caſibus, quos Summus Pontifex in ſuorum Brevium diſpoſitione apertiſſimè excepit. Additur id (ſcilicèt facultates ſpeciales Confeſſarii, ſivè Capellanis Caſtrenſibus conceſſis) eſſe intelligendum, juxtà diſpoſitionem Brevium Pontificiorum; & non alitèr, fuiſſe vivæ vocis Oraculo approbatum, & confirmatum, præſente Eminentiſſimo D. Card. Joſepho Sacripante, à SS. Domino Noſtro Clemente XI. Pontifice Optimo in pietate, Maximo in doctrina, ad cujus Sanctiſſimos Pedes, dùm hæc conſcriberem, ſupèr hac re non parvâ perplexitate agitatus, neſciens me reſolvere, humilitèr confugi; ejus Oraculum auditurus.

8 Concluditur itàque, facultatem Miſſionario Caſtrenſi per Sedem Apoſtolicam abſque reſtrictione tributam, non alitèr fore intelligendam, & ad praxim deducendam, quàm juxtà formam, & diſpoſitionem Brevium Pontificiorum; ac proindè, hunc noſtrum Confeſſarium, ſivè Miſſionarium Caſtrenſem, cui nota ſunt hujuſmodi Brevia, non poſſe licitè Milites, aùt perſonas militares à Caſibus in Pontificia diſpoſitione exceptis abſolvere; excepto aliquo caſu extraordinario, magnâ urgente neceſſitate, Viri docti, prudentis, ac pii judicio perpendendâ.

§. III.

§. III.

Aliqua ex traditis enucleatè deducta pro majori firmatæ reſolutionis intelligentia, producuntur.

9 Deducitur primò, Diſponentem in quavis materia cenſeri voluiſſe diſponere id, quod exprimere potuit, & non expreſſit, cum facilè id ei fuiſſet: & id paritèr, juxtà regulam *l. Unic. §. Sin autèm ad deficientis, Cod. de caduc. tollen.* & juxtà doctrinam communitèr receptam, Pari. in *conſil.* 38. *num.* 27. Tiraquell. in *l. Si unquàm, v. Libertus, n.* 3. *Cod. de revocat. donat.* & aliorum, quos congerit Menoch. in *conſ.* 289. *num.* 18. *&* *n.* 44. ubi ſubdit, hanc regulam non valere, ſeù locum non habere, quando adeſt præſumpta mens Diſponentis: quandoquidèm expreſſum illud dici, quod ex conjecturis, & præſumptionibus colligitur, tradunt Jaſ. in *l. Licèt Imperator, num.* 8. *&* 10. *ff. de leg.* 1. Alex. in *conſ.* 80. *num.* 9. *lib.* 1. Afflict. in *deciſ.* 44. *num.* 15. Paſqualig. *de Sacrific. nov. leg. quæſt.* 908. *num.* 2. & meliùs *quæſt.* 238. per totam, & alii, aſſerentes, non ſolùm haberi pro expreſſo, quod verbis ſpecialibus deſignatur, ſed etiam quod colligitur ex mente, & conjecturis.

10 Deducitur ſecundò, mentem magis veriſimilem Summorum Pontificum, excipiendo in eorum Brevibus aliquos caſus, Sedi Apoſtolicæ reſervatos, eſſe, eos voluiſſe limitare quoad abſolutionem à caſibus exceptis, & excipiendis, facultatem alicui tributam. Quæ ſanè deductio fundatur in doctrina laudatiſſimi Bald. dicentis in *conſ.* 343. *examinanda ſunt, col.* 1. *num.* 1. diſpoſitionem à mente magis veriſimili Diſponentis, declarationem, atque interpretationem recipere; cùm veriſimilitudo, ut ipſe ait in *conſ.* 180. *Mortuo filio, lib.* 3. ſit cognata naturæ, & habeatur pro lege, ut inquit Oldrad. in *conſ.* 113. quos ſecutus eſt Crav. in *conſ.* 135.

11 Deducitur tertiò, Miſſionarium Caſtrenſem, qui abſolvit, non ſervatâ diſpoſitione Brevium Pontificiorum, ſeù à Caſibus

ſibus reſervatis, & exceptis, quique ſcit, ſe hoc non poſſe facere, peccare mortalitèr: quod etiam tradit Ricard. in 4. *ſenten. diſt.* 18. Graff. *de caſuum reſervat. lib.* 2. *cap.* 34. *v. Gravitas, num.* 9. cum aliis, & incidere in maledictionem illam, de qua *Deuteron. cap.* 27. *verſ.* 18. *Maledictus, qui errare facit cœcum in itinere*; fundamentum enim præbet credendi, illum Pœnitentem eſſe abſolutum, qui abſolutus non eſt; & quantum in ſe eſt, ipſum ducit in errorem, eſtò quòd bonâ fide illam abſolutionem Pœnitens recipiens, poſſit ſalvari, ut alibi oſtenſum eſt, ſi tamèn in eo actus perfectæ contritionis præceſſerit.

12 Deducitur quartò, abſolutionem à Caſibus exceptis in Brevibus Pontificiis, vigore præfatæ facultatis impertitam, eſſe per ſe nullam; & illam bonâ fide Recipientes, præmiſſo actu perfecto contritionis, poſſe quidèm ſalvari, ut diximus, nihilominùs teneri, adveniente ſcientiâ exceptionis Pontificiæ, Sedi Apoſtolicæ ſe pro reſervatione adhùc durante, præſentare. Fundatur hæc deductio in definitione reſervationis communitèr receptâ, quæ eſt-

» Coarctatio, ſeù reſtrictio juriſ-
» dictionis commiſſæ Inferiori-
» bus, indicta à legitimo Supe-
» riore, ne ab aliquibus peccatis, ſivè à cenſuris, & pœnis abſolvere poſſit. Fundatur quoque in doctrina legali, ſcilicèt, in *l. Mævius*, *l. Qui hæred. ff. de cond. & demonſtr. l.* 1. & 2. *C. quando provocare non eſt neceſſe*; ubi habetur, formam in aliquo actu ſervandam, ſi in illo deficiat, actum eſſe nullum: & ità docet Gloſſ. *v. Irritum, in cap. Cum dilecta*, & ibi Panorm. *num.* 4. & Felin. *num.* 6. *de Reſcript.* Tiraquell. in *l. Si unquàm, v. Revertatur, num.* 67. ubi alios producit; Bart. & Bald. & latè Recentiores in *l. Univerſa*, *Cod. de precib. Imperat. off.* Suarez, *de leg. lib.* 5. *cap.* 31. *num.* 1. Salas in ſimili *tract. qu.* 96. *tract.* 14. *diſp.* 16. *ſect.* 1. *num.* 1. ante med. *verſ. Ex quibus legibus*, & alii, quos refert, & ſequitur Barboſ. *loc. cit. v. Forma, num.* 3.

13 Deducitur quintò, Pœnitentem abſolutum in neceſſitate à reſervatis à Confeſſario habente juriſdictionem coarctatam, quando id ſibi conſtiterit; non teneri omnia peccata iterùm confiteri, ſed tantummodò illa, à quibus Confeſſarius non potuit abſolvere: Ità etiam Navar. in *Manual. cap.* 9. *num.* 7. *verſ.* 4. & omnes Scribentes in 4. *ſenten. diſt.* 17. ut notat Graff. *loc. cit. n.* 11. De hac materia vide S. Antonin. in *ſum. p.* 3. *tract.* 1. *de bonitate Confeſſarii, c.* 23. Syl. *v. Confeſſio.* 3. *n.* 1.

14 Deducitur ſextò, committentem ſcientèr peccatum reſervatum Summo Pontifici, & in Brevibus exceptum, eſtò ignoret reſervationem, & exceptionem, non poſſe abſolvi à quocumque Confeſſario inferiore, non gaudente poteſtate ad reſervata, & excepta; quia hujuſmodi reſervatio, & exceptio præſumitur impoſita peccato non ſolùm in odium peccati, & terrorem Peccatoris, ſed etiam proptèr bonam gubernationem Eccleſiæ, vel Communitatis Caſtrenſis, ut v. g. damna communem diſciplinam evertentia, declarentur; & Subditi ex reſervatione, & exceptione gravitatem delicti noſcentes, quatenùs videant, non poſſe ab ordinariis Confeſſariis abſolvi, ab illo faciliùs ſe abſtineant. Ità etiam videtur ſentire Sanchez, *de matrim. lib. 9. diſp. 32. num. 15.* Card. de Lugo, *de pœnit. diſp. 20. num. 11.* ubi tamèn videtur obſcurè loqui, Hurtad. de Mendoz. in 2.2. *tom. 1. diſp. 48. ſect. 1. §. 8.* cum aliis, quos producit, & ſequitur eruditiſſimus Emanuel Correa ex Soc. Jeſu in ſua præclara *Idea Conſiliariorum, diſp. 3. ſect. 3. §. 1. num. 755.* ubi aſſerit, hanc ſententiam eſſe probabiliorem. Horum Doctorum authoritati favet Textus in *Capit. Cum illorum, de ſent. excomm. & l. Vulgaris*, §. *Si is, qui viginti, verſ. Si quis æs, ff. de furtis*; Secùs verò, ſaltèm probabilitèr, ſi reſervatio, & exceptio eſſet dumtaxàt in odium peccati, & terrorem Peccantis; nàm tunc haberet veram rationem pœnæ, & ſtatueretur ut pœna: pœnam autèm minimè incurri ab ignorante ſtatutum pœnale, docet idem Correa, aliis allegatis, *loc. cit. n. 753.* & ante ipſum doctiſſimus P. Philippinus ex noſtra Religione, *Tract. de privileg. ignorantiæ, privil. 7. cap. 4. num. 114. & privil. 12. cap. eod. num. 132.* ubi variis rationibus, plurimorumque Doctorum authoritate ſuum aſſertum probat, nempè ignorantiam Statuti pœnalis impedire incurſionem pœnæ: intellige, dummodò hujuſmodi ignorantia non ſit affectata, & craſſa, ut ipſemet damnat *loc. prox. cit. num. 115.*

15 Deducitur ſeptimò. Cadentem in peccatum Summo Pontifici reſervatum, & ab eo exceptum cum ſcientia reſervationis, & exceptionis, & etiam cenſuræ illi adnexæ, poſſe in articulo mortis à quovis Sacerdote, etiam ſimplici, nempè, non approbato ad confeſſiones, abſolvi; quod paritèr probat Textus in *Capit. Paſtoralis*, §. *Præterea, de offic. Ordin. Capit. Fures, de furtis*, in fin. quod etiam advertit Graff. *de caſib.*

reſer.

reſerv. lib.2. cap. 34. num. 18. ubi notat, articulum mortis dici, quando mors proximè inſtat per cauſam vel naturalem, vel violentam, quam cauſam optimè explicat idem Graff. *p.* 1. *deciſ. lib.* 1. *cap.* 13. *nu.*82. Nùm facultas, ut obitèr quid dicam ceu ſcitu neceſſarium, abſolvendi à reſervatis Sedi Apoſtolicæ, ſecum ferat facultatem abſolvendi, etiam à reſervatis Ordinariis Locorum: Vide Suarez, *de cenſur. diſp.*7. *ſect.* 5. Vaſq. Laym. Fauſt. & alios in hac materia Scribentes, qui mordicùs tenent, generalem conceſſionem abſolvendi à reſervatis Summo Pontifici ſe extendere etiam ad reſervata Epiſcopis, hac præcipuâ ducti ratione, prætèr praxim, quia Summus Pontifex concedendo facultatem abſolvendi à reſervatis ſibi, tribuit paritèr facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus, à quibus Ipſe poteſt abſolvere; poſſe autèm Summum Pontificem, qui eſt Epiſcopus Univerſalis, Vicarius Chriſti Domini, ut oſtenditur, & declaratur in noſtro *Rom. Pontif. Propugn.art.*35.*&*45. abſolvere à caſibus Epiſcopo reſervatis, non videtur controvertibile. Ergò poteſt eamdem facultatem alteri delegare ſine injuria Epiſcoporum, cum nihil iis adimat, quod ſpectet dumtaxàt ad ipſos; ſiquidèm Concilium Tridentinum, *ſeſſ.*25. *cap.*18. *de reform.* tantummodò vult, quod Epiſcopi poſſint ſibi caſus reſervare, non verò, quòd non poſſit Summus Pontifex ab jis abſolvere, aùt aliis eandem facultatem delegare: Hanc opinionem docuit noviſſimè Dominicus Viva è Soc. Jeſu, Vir univerſalitèr laudatus, in *Tract. de Jubilæo, quæſt.* 11. *art.* 2. ubi ad oppoſita, nempè, quòd Clemens VIII. ſtatuit anno 1601. ne quiſquam poſſit abſolvere à reſervatis Ordinariis Locorum: & quòd Alex. VII. damnavit propoſitionem 12. quæ dicit: *Mendicantes poſſunt abſolvere à caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtentâ ad id Epiſcoporum facultate*, ingenioſè reſpondet.

CAPUT XI.

FACTI SPECIES.

Delegatus, ſeù Vicarius Generalis Exercitus, exhibito ſibi Tranſumpto, ſeù exemplo Commiſsionis, ſivè Brevis Apoſtolici, quo Summus Pontifex facultatem ei concedit alios ſubdelegandi pro Confeſsionibus audiendis, aliiſque muniis ſpiritualibus, ſivè Eccleſiaſticis in Exercitu peragendis, prætendit ante realem Literarum Apoſtolicarum præſentationem, eam, quam præſumit habere, Juriſdictionem exercere. Ordinarius Loci, ubi Exercitus reperitur, hujuſmodi prætenſæ juriſdictionis exercitio conſtantèr opponitur, putans ad ſe ſpectare, quæ agere poſſe præſumit Delegatus. Controvertitur quid juris?

§. I.

Quæ faciliùs ad pręſentis controverſię reſolutionem conducunt, cum aliqua prolixitate, ità materia exigente, pręmittuntur.

1 PRÆMITTIMUS primò, Breve illud nuncupari, quod ſcribitur in membrana alba, & ſubtili, charactere latino eleganti, ac intelligibili, ſigillo plumbeo minimè obſignatum, ſed ſignum tantummodò ex cera rubra cum ſigillo quodam, quod dicitur Annulus Piſcatoris, deferens, ut notat Roſa, *de exec. lit. Apoſt. cap. 2. num. 30.* Amayden. *de ſtylo Datariæ, cap. 28. num. 2.* quodque Breve dicitur cò quòd ſuccincta ibi ſit ſcriptura, brevioribus verbis confecta, quàm in Bullis, quæ longiori ſermone conſcribuntur, in quibuſque magis

gis Pontificia Dignitas explicatur, ut advertunt Gonzal. *ad regul.*8. *Cancell.Gloſſ.*60. *n.*19. Borell. *de Magiſt. cap.* 13. *n.*4. Cherubin. *ad Bullarium, lib.*2. *fol.*86. *ad Bullam* 19. Gregorii XIII. Staphil. *de Liter. Gratiæ, & Juſtitia, Rubr. de reſcript. in forma Brevis, nu.*4. Duard. in *Bull. Cœn. Domini, lib.* 2. *can.*6. *qu.*1.*num.*3.*&* 6.& alii, adnotantes,in Brevibus à quinque circitèr ſæculis apponendi Annulum Piſcatoris in cera rubrâ uſum inoluiſſe, cum priùs adeſſet conſuetudo, etiam ſigillum plumbeum exponendi; ſubdentes, Brevia hujuſmodi ſigillo Piſcatoris frequentiùs fuiſſe ſignata ſub Cœleſtino III. & Paulo II. ad quod probandum referunt quamdam Epiſtolam Clementis IV. qui regnavit *anno* 1264.ad Ægidium Groſſum ſuum Conſanguineum ſcriptam, in qua intèr cætera hæc verba exarantur —

„ Non ſcribimus tibi, nec Con-
„ ſanguineis noſtris ſub Bullâ,ſed
„ ſub Piſcatoris ſigillo, quo Ro-
„ mani Pontifices in ſuis ſecretis utuntur. Quibus addimus Annulum Piſcatoris, quo Brevia ſignantur, ſic dici, quia eo ſimplicitèr uſum fuiſſe S. Petrum in eoque Imaginem S. Petri contineri eo modo, quo è Navicula in Mari piſcabatur, in Eccleſiaſticis Monumentis refertur; & notat Archiepiſcopus Damaſcenus in *Comment. ad Conſtit. Apoſt.tom.*1. *in Proem.* §.2. *num.*1. *& ſeqq.* ubi plura de hac materia eruditè, & clarè producit, & intèr alia, maximam cuſtodiam, quâ Annulus Piſcatoris ſervatur apud intimum Familiarem Papæ, poſt cujus mortem ſtatim frangitur per Cardinalem Camerarium.

2 Præmittimus ſecundò, relativè ad præmiſſum antecedens, intèr Bullas Papales, & Brevia Pontificia hoc adeſſe diſcrimen, inſpecto ſtylo Romanæ Curiæ, nempè, quòd Bullæ ſolito plumbo, ſeù ſigillo plumbeo, & cordulis muniuntur; & tunc illas dici expeditas; & cenſeri authenticas Literas Papæ, tradit Riccius in *prax. for. Eccleſ. reſol.*219. *num.*1.Lotherius, *de re beneſ. lib.*1. *qu.*37. *num.* 11. Rota *coram Duran. deciſ.*324. *num.*7. item Rota, *deciſ.*68. *num.*8. *p.*3. *recent.* Pariſ. *de reſignat. lib.*8. *quæſt.* 2. *num.* 18. Et tunc eas æquiparari inſtrumento publico, docet Gomez in *Reg. de public. reſign. qu.*9. *lit. C.*atq; adeò Bullas Papales dici eas, quæ habent ſigillum plumbeum, firmat Gloſſ. in *Clem.unic. de jur. jur.* Textus in *capit. Licèt, de crim. falſ.* & tradit Rebuff. in *prax. beneſ. Comment. in reg. Cancell. v. Breve Apoſtolicum, verſ. Et quamvis*, cum aliis: imò Bullam dici ipſum ſigillum, & plum-

plumbum pendens, notat Ricius, *loc. laudato, num.* 2. & abſque ipſo ſigillo Bullam non probare, habetur ex d. *Capit. Licèt, de crim. falſ.* Brevia verò carent ſigillo plumbeo, ſolo ſigno ex cera rubra, cum ſigillo quodam, quod dicitur Annulus Piſcatoris, communita, quæque tantummodò à Secretario Brevium, qui ſolet eſſe Prælatus in Canonibus antiquis Conciliorum, atque Apoſtolicis Conſtitutionibus, Eruditionibus Eccleſiaſticis, uno verbo, in maxima doctrina præfulgens, nec non in variis Sedis Apoſtolicæ Stylis funditùs verſatus, ſubſcribuntur. Hinc majorem fidem fore Bullis præſtandam, quàm Brevibus, utpotè ſolemniori ritu conſcriptis, cunctis patenti, tradit Gonzal. *ad Regul.* 8. *Cancell. Gloſſ.* 59. *num.* 6. ubi *num.* 15. ſubdit, Bullas, & Brevia quoad effectum parificari: quam doctrinam libentiùs admittimus circa Literas in forma Brevis à Secretaria Apoſtolica expeditas, ſcientes hujuſmodi Literas tametſi plumbatæ non ſint, eſſe tamèn propriè, & verè Literas Apoſtolicas, proùt ſunt aliæ, quæ ſub plumbo expediuntur, ut advertunt Gomez. *tract. de Brevib. à num.* 5. Lother. *de re benef. lib.* 3. *quæſt.* 11. *num.* 59.

3 Præmittimus tertiò, Delegato nullam competere juriſdictionem, niſi in his, quæ habet in mandato præcisè expreſſo: & ità me admonet Textus in *Capit. Cura olim*, il primo, *de offic. Delegat.* Farin. *conſ. crimin. lib.* 3. *conſ.* 89. *num.* 1. Tuſch. *concluſ.* 434. *num.* 4. *lit. I.* Imò totam ejus juriſdictionem in ipſo mandato radicari, tenet Rota *coram Penia, deciſ.* 72. *n.* 4. Lelius Altograd. *conſ.* 71. *n.* 37. cum aliis concludentibus, omnia à Delegato prætèr ea, quæ in mandato exprimuntur, peracta, eſſe omninò nulla ex defectu juriſdictionis, ut etiam ſentiunt Rota *coram Penia, deciſ.* 338. *num.* 5. Merolla, *to.* 3. *diſp.* 7. *cap.* 4. *dub.* 27. *nu.* 281. & alii innumeri, quos producit, & ſequitur Vincentius de Juſtis, *de diſpenſat. matrimonial. lib.* 1. *cap.* 6. *à num.* 29. Quis dicatur Delegatus: vide noſtram *Theologiam Bellicam tom.* 2. *in Frag. num.* 61. & *Cap. II. bujus Operis, num.* 5. & *ſeqq.*

4 Præmittimus quattò, Literas Apoſtolicas, quæ Romanæ Curiæ minimè ſunt conformes, eſſe de falſo ſuſpectas, quod habetur ex *Capit. Quam gravi,* 6. *de crimin. falſ.* & docet Maſcard. *de probat. concluſ.* 1341. *nu.* 28. Gonzal. *ad Reg.* 8. *Cancell. Gloſſ.* 36. *num.* 86. Barboſ. *in vot. Canonicis, lib.* 2. *Voto* 25. *num.* 58. cum aliis; ac proindè

indè eſſe ad Urbem pro dubii dilucidatione, ſivè ſuſpectus evacuatione recurrendum, niſi appareant correctæ, authoritate D. Regentis Cancellariæ Apoſtolicæ, juxtà formam, quam tradit Curiæ ſtylus, quamque refert Vincentius de Juſtis *loc.prox. landato*, *nu.*19.

§. II.

Vicario Generali Exercitus, delegatę juſdictionis exercitium, ante Brevium Pontificiorum exhibitionem, ſeù præſentationem, omnimodè prępediri, Doctorum authoritate, Jurium diſpoſitione, Rationum validitate demonſtratur.

5 PLures ſunt Doctores huic noſtro Afferto faventes; & intèr eos Bellam. *deciſ.*110. *num.* 12. Stephan. Gratianus, *Diſcept.forenſ. cap.*170. *nu.*20. Achil. de Graſſis, *deciſ.* 53. *aliàs* 2. *de offic. Delegati*, *nu.*1. & 2. Card. Tuſch. *concluſ.* 435. *num.*1. *lit.I.* Garz. *de Beneſ.p.*6. *cap.*2. *num.* 8. Thom. Sanchez, *de matrim.lib.*8. *diſp.* 29. *num.* 10. Sperel. *deciſ.* 85. *num.*31. Auguſt. Barboſ. *in notis Canonic. lib.* 2. *vot.* 47. *nu.* 163. & alii. Favet etiam Guido Papa in *Deciſ. Grationopol.* 286. *num.* 1. & in *deciſ.* 322. dùm dicit, Aſſerenti ſe cum Principis mandato veniſſe, non credi, niſi mandati hujuſmodi literas oſtenderit; Nicol. Boer. in *deciſ.* 282. Philipp. Franc. in *Capit. Supèr*, *col.*4. *de appellat.* Menoch. *de arbitr. jud.lib.*2. *cent.*2. *ca.*112. *nu.*7. & alii, dùm admonent, ante ſimilium literarum exhibitionem, præſentationem, juriſdictionem nequaquàm conferri: quodque probat intèr Regulas Apoſtolicæ Cancellariæ illa, quâ cautum eſt, per commiſſionem cauſæ, niſi conficiantur Literæ, juriſdictionem minimè tribui, ut etiam notat Borell. *de Magiſtrat.edict.lib.*1. *num.*49.

6 Moveor primò juribus tùm Canonicis, tàm Civilibus: Canonicis nempè, in *Capit. Cum in*

in jure peritus, *de offic. Deleg.* ubi quis non creditur Delegatus, niſi delegationem probet, quod dubio procul fit per literarum commiſsionis exhibitionem: Et *Capit. Solemnitates*, in fine, *de conſecrat. diſt.* 1. ubi dicitur, eſſe non præſumi, quod non apparet, *Capit. Fundamenta*, *de elect. in 6. Capit. Super eo*, *de offic. Deleg. capit. Eo*, il ſecondo, *de appell. capit. Paſtoralis*, *de reſcript.* ubi habetur, eos, qui alicui officio præficiuntur, literas ſuæ poteſtatis oſtendere cogi: & aliis, quibus adnectuntur jura civilia, præſertim in *l. Si quæramus*, ubi Jacob. de Aren. Bart. & Bald. *ff. de teſtament.* ubi dicitur, in humanis actibus Agentis poteſtatem priùs eſſe inſpiciendam, *l. Si qua per calumniam*, *Cod. de Epiſc. & Cleric. l.* 1. *Cod. de mandat. Princip. l. cum te*, *Cod. de donat. intèr uxor*, *l. Multum intereſt*, Cod. *Si quis alt. vel ſibi*, *l. In lege*, *Cod. de contrah. empt.* & aliis, quibus omnibus clarè probatur, commiſsionem ſivè juriſdictionem, ſivè ordinariam, ſivè delegatam non eſſe exercendam, niſi præmiſsâ literarum exhibitione, ſivè præſentatione.

7 Moveor ſecundò rationibus in jure fundatis: Commiſsionem poteſtatis in illis tribus, quæ officium concernunt, quæque ſunt Electio, Acceptatio, & Ingreſſus officii, includi, probat Textus in *l. Publicus*, *ff. de condit. & demonſtr.* quæ ſanè, ſemotâ literarum exhibitione non poſſunt intelligi: & proindè commiſſa poteſtas non valet ſuum habere effectum. Tum quia ſcimus, juriſdictionem eſſe Principis, Reipublicæ, & in noſtro caſu eſſe Summi Pontificis; atque adeò ipſius conſenſu fore præſtandum; quam præſtationem ex literis tantùm exhiberi, admonet Rota in Antiquis, in *deciſ.* 12. *ſub tit. de jure Patronatus*, quam refert Borrell. *de Magiſtr. edict. lib.* 1. *c.* 1. *num.* 56. Prætereà neminem latet, juriſdictionem eſſe quoddam accidentale, quod à Natura homini minimè inſitum eſt: ex quo ſequitur, eum, qui prætendit illam habere, teneri illam probare, atque oſtendere, ut argumentatur Gloſs. in *capit. Si fortè*, in verbo, *ſcientiam*, *de elect. in 6.* Quomodò autem poteſt probari, & oſtendi juriſdictio præſumpta? Profectò, literarum exhibitione, qua ſanè neglectâ, juriſdictio delegata non poteſt ſuum ſortiri effectum, ſeù nullatenùs poteſt validè exerceri; atque Judex abſque hujuſmodi exhibitione, cenſetur eſſe ſine juriſdictione; circa hanc rem conſulatur Franc. Hercul. in *tract. de Attentatis*, *cap. 6. num.* 72. cum aliis *ſeqq.* Ludovic. Gomez

in

in *Regula de ſubrogand. qu.* 3.

8 Moveor tertiò exemplo non quidèm hominum, ſed ipſius Dei, qui volens è manibus Pharaonis Populum Iſraeliticum, quem ſummoperè diligebat, eripere, Moyſen elegit, cui eam, quâ ad id peragendum indigebat, poteſtatem commiſit, *Exod. cap.*4. Prævidenſque, quòd petiturus eſſet Pharao poteſtatis ſignum, *Cum dixerit vobis Pharao oſtendite ſigna*, *Exod. cap.* 7. *verſ.* 9. Virgam in colubrum vertendam, ei ſuppeditavit, Pharaoni oſtendendam: *Tolle Virgam tuam, & proiice eam coram Pharaone, ac vertatur in colubrum*, *Exod. ibid.* In Virga Regiam Poteſtatem Moyſi delegatam præſignari, teſtatur S. Hieronymus in *Pſ.* 109. ut quiſque intelligeret, non poſſe poteſtatem tributam exerceri, niſi præmiſsâ alicujus ſigni evidentis, illam fuiſſe conceſſam, exhibitione. Ulteriùs; Datam fuiſſe Chriſto à Patre omnimodam poteſtatem agendi, ſeù Mundum judicandi, de fide eſt, juxtà Matth. *cap.* 28. *verſ.* 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo, & in Terra*; & dum Judæi eum interrogarent, an ipſe Chriſtus eſſet: *Si tu es Chriſtus, dic nobis palàm*, Jo: *cap.* 10. *verſ.* 24. Reſpondit eis Jeſus: *loquor vobis, & non creditis: Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium probibent de me*: Jo: ibid. *verſ.* 25. Ex quibus patet, quòd factâ Chriſto Domino à Patre veritatis nunciandæ, mundique judicandi, poteſtate, pro ſigno oſtendit miraculorum effectum: *Opera, quæ ego facio, &c.* Docuit itàque Chriſtus, ſe miſſum à Patre, & maximam habere poteſtatem; ad quod probandum adducit miracula operanda; eſtò noluerint ei credere, cum non fuerint de ejus ovili: *Sed vos non creditis; quia non eſtis ex ovibus meis.* Jo.*d.cap.*10. *verſ.*26.

9 Concludimus igitùr, Delegato, ſeù Vicario Generali Exercitus nullam quoad exercitium competere juriſdictionem, ſivè poteſtatem alios ſubdelegandi pto confeſſionibus audiendis, pro cauſis decidendis, aliiſque muniis Eccleſiaſticis tùm profanis, ſivè temporalibus, tùm ſpiritualibus peragendis, ante Brevium, ſeù Literarum Apoſtolicarum præſentationem; eſtò ipsâ die Datæ Literarum recipiat juriſdictionem in habitu, quam, ſequutâ hujuſmodi præſentatione, ſibi in actu competere, ſupradicta, & infrà dicenda ſufficientèr demonſtrant.

10 Huic veritati, ſeù noſtræ Concluſioni non obſtat, ſufficere pro legitimo poteſtatis exercitio, Delegatum, ſeù Vicarium

rium Generalem Exercitus ſcire, Literas ad ſe directas, fuiſſe à Sede Apoſtolica expeditas; vim enim ipſius Delegationis, non conſiſtere in ſcientia, aût ignorantia Delegationis, ſed in illa reali Literarum productione, probat Lother. *de re benef. lib.* 1. *qu.* 40. *num.* 27. Vinc. de Juſtis, *loc. cit. num.* 5. Imò neve ſufficere exempli, ſivè tranſumpti Commiſſionis, nempè Delegationis exhibitionem, ſed requiri, ut originale exhibeatur, cum Delegatus ad validè, & licitè operandum, debeat de ſua juriſdictione eſſe certus, docent Paris, *de reſignat. lib.* 9. *quæſt.* 8. *num.* 12. Tuſch. *concluſ.* 435. *num.* 9. Hieronym. Palma, *conſil.* 57. *num.* 18. Coccin. *deciſ.* 322. *num.* 1. & alii.

11 Neque obſtat, Vicarium generalem Exercitus procedere ut Delegatum, & ſucceſſivè exercitium ejus juriſdictionis nullo originali ſcripto indigere: Diximus enim, & probavimus ſuperiùs, juriſdictionem eſſe qualitatem homini naturalitèr minimè inſitam; ac proindè nil ab ipſo agi poſſe, niſi ei conſtet de commiſſione Summi Pontificis, gratiam concedentis, optimè animadvertit Lother. *loc. cit. num.* 50.

§. III.

Pleraque ex præmiſsis, triplicique motu, atque aliis in hoc Capite contentis decerpta, deductione notificantur.

12 DEducitur igitùr primò ex traditis, in omnibus, & ſingulis Exercitibus Chriſtianis neceſſariò requiri Vicarium Generalem, ſeù Delegatum, qui omnimodam, & certam habeat poteſtatem, ſivè juriſdictionem pro cauſis nontantùm ſpiritualibus, ſed etiam profanis; nempè temporalibus, decidendis; cum id expoſcat quævis hominum Congregatio ob differentias, quæ poſſunt contingere. Hoc ſanè, divino Sacræ Scripturæ lumine edocemur. Ex *Exod. cap.* 18. apparet, fuiſſe Moyſen conſtitutum ad judicandas, & definien-

niendas Iſraelitarum controverſias, fuiſſeque per ipſum delectos ex populo Judices, ut eſſent Populi Principes, qui omni tempore plebem judicarent. Ex Paralipom. *lib.2. c.19.* patet, Joſaphat conſtituiſſe in Jeruſalem Sacerdotes, Levitas, ac Principes familiarum, ut judicium, & cauſas Domini facerent, quodque docet Joſephus, *lib.9. Antiquit. Judaicar. cap.* 1. Immò Ethnici ipſi hujuſmodi neceſſitatem ſolo naturæ lumine ducti agnoſcentes, populis Magiſtratus, ac Judices ad eorum cauſas decidendas conſtituerunt.

13 Deducitur ſecundò, Nuncios, & Apparitores meritò nihil agere poſſe, nullamque fidem eis præſtari, poteſtate minimè demonſtratâ, à Principe, & Judice, illis tributâ, quam non præſumi, niſi appareat, probat Textus in *Capit. Prætereà, de dilat. l. Cum Clericis*, §. *Memorati*, *Cod. de Epiſc. & Cleric.* & docent Bart. in *l.* 1. §. *Cura carnis*, *ff. de offic. Præfect. Urb.* Alex. Cin. in *l. fin. Cod. de exhib. reis.* Itèm, idem Bart. in *l. Probibitum*, *Cod. de jur. Fiſc. lib.*10. ubi inquit, Mandatum Officiali eſſe notificandum in Curia Præſidis Provinciæ; quâ notificatione ſequutâ, illi Officiali fides per totam Provinciam exhibetur. Hinc Bald. in dicta *l.* 1. *Cod. de mand. Princip.* aſſerit, nequaquàm ſufficere quempiam probare quaſi poſſeſſionem dignitatis, vel officii, niſi per Concedentis literas doceatur, *arg. l. Decernimus*, *Cod. de Epiſc. & Cleric.*

14 Deducitur tertiò; ad ſuſtinendam Delegationem eos fore delegandos, qui vices Delegantis valeant rectè exercere; videlicèt, qui in ſententiis, & judiciis proferendis, favoribus, aùt muneribus minimè moveantur, ut omnia jura volunt; & monumenta non ſolùm Eccleſiaſtica, ſed etiam profana innunt. In Sepulchro Simandii Ægyptiorum Regis, imagines illorum fuiſſe repertas, qui judiciorum ſententias ferebant; quique veritatis imaginem quandam collo ſuſpenſam tenebant, oculis, ſubclauſis, & conniventibus, author eſt Diodorus Siculus, *lib.2. antiquit.* ſubdens, id factum fuiſſe ad oſtendendum, Judices debere integritate pollere, ſolamque veritatem aſpicere, & præſeferre: quodque eruditè confirmat Marcus Mantua, *Dialog. Denar.*21. *num.* 4. *claſſe* 9. dicens, hanc veritatis Imaginem ſine manibus paritèr fuiſſe ad oſtendendum, Judices oportere nec oculis flecti, ne muneribus moveri.

15 Deducitur quartò, Aſſerenti

ti ſe miſſum eſſe à Papa, Rege, Principe, cum ampla poteſtate negotia tractandi & reſolvendi, & literas commiſſionis minimè exhibenti, non eſſe credendum; niſi eſſet Cardinalis, cui, inſpectâ Dignitatis preeminentiâ, ſine literis credi debet, ad Textum in *capit. Nobiliſſimus*, ubi Gloſſ. 97. *diſt.* & ità tradunt Anaſtaſiùs Germonius, *de ſacror. immunit. lib.3.cap.6. num.*54. Panorm. in *conſil.*18. *vol.*2. Sanchez, *de matr. lib.* 8. *diſp.*17.*à n.* 17. uſque ad *n.*22. & alii. Excipe pariter, niſi agatur in foro conſcientiæ, in quo Confeſſario, ut cuicunque timoratæ conſcientiæ viro, aſſerenti ſibi eſſe tributam facultatem abſolvendi à reſervatis, aùt votum commutandi, aùt juramentum relaxandi, fidem eſſe præſtandam, innuit Sanchez, *loc.cit.nu.*22.Vincent. de Juſtis *loc. cit. num.* 12.

16 Deducitur quintò, obtentâ ab Oratoribus facultate pro diſpenſatione ſupèr impedimento dirimenti; illâ non exhibitâ, nec legitimè exequutâ, matrimonium ſi contrahatur, nullum & irritum eſſe, & Contrahentes novâ egere diſpenſatione. Huic deductioni favet Pyrrhus Corrad.in *prax.diſpenſat. Apoſt. lib.*8. *cap.*1.*num.*44. & conſonat diſpoſitio Concilii Trid. *ſeſſ.*22. *cap.*5. poſt Canones, ubi decernitur, diſpenſationes matrimoniales nullum ſortiri effectum ante factam ab Ordinariis, tanquàm Delegatis Apoſtolicis, tantùm ſummariæ, ac extrajudicialitèr cognitionem. Hîc animadvertimus, Delegatum excedentem limites ſuæ poteſtatis nihil efficere; ut puta, ſi Papa committat Epiſcopis diſpenſandi poteſtatem in tertio gradu, non præſumitur dare facultatem temerè, & iniquè diſpenſandi; undè ſi Epiſcopus delegatus diſpenſet in ſecundo gradu, aùt formâ mandati, ſeù commiſſionis neglectâ, non valet diſpenſatio: quod etiam advertit Laym. *lib.*1. *tract.*4. *cap.* 22. *de leg. num.* 11. ibidem ſubdens ex Sanch. Suar. & communi Doctorum ſenſu, diſpenſationem in voto, vel juramento ſine causâ factam à Papa, vel alio Eccleſiaſtico Prælato irritam eſſe: Quippequod non videtur poſſe controverti, cum hujuſmodi diſpenſatio ſit jure ſuperioris Dei; non eſt autèm credibile; Deum commiſiſſe Papæ, qui vices ejus gerit in terris, aliiſque ab eo Delegatis, poteſtatem temerè, & ſinè cauſa relaxandi vota, vel juramenta ſibi facta; eſſet enim talis poteſtas non ad ædificationem, ſed ad deſtructionem.

17 Deducitur ſextò, Acta cuncta ſequuta per Delegatum poſt Brevium expeditionem, ſeù

poſt

poſt datam Literarum, ſed ante illarum exhibitionem, ſivè præſentationem, eſſe nulla & irrita, & ad illa convalidanda nequaquàm ſufficere ſubſequutam præſentationem; quod etiam tradit Ventriglia in ſua *Praxi*, *Annot.* 38. §. *unic. n.* 1. Sanchez, *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 29. *num.* 10. idque eſſe verum, quamvis à nemine defectus juriſdictionis in Delegato opponatur, dixit Sacra Rota, *deciſ.* 9. *num.* 1. *par.* 4. *recent.* Imò ipſi Delegato non eſſe credendum, aſſerenti, ſe eſſe Delegatum (dummodò non ſit Cardinalis, aùt Summus Pœnitentiarius) ſi de Delegatione non doceat per literarum exhibitionem, tenent Maſcard. *de probat. concluſ.* 1405. *num.* 17. Carolus de Graſſis, *de effect. Cleric. effect.* 1. *num.* 35. & alii: vel niſi agatur de rebus forum internum concernentibus, ut ſuperiùs innuimus.

18 Deducitur ſeptimò incidentèr, incurrere excommunicationem Bullæ Cœnæ *Can.* 6. Summo Pontifici reſervatam Falſificantem Literas Apoſtolicas, aùt ſupplicationes, à quovis authoritatem habente ſignatas; ſivè ante, ſivè poſt earum exhibitionem, ſeù præſentationem, Falſificantem inquam, non ſolùm per ſe ipſum, ſed etiam per alium, *Capit. Ad falſariorum*, ibi, *qui per ſe, vel per alios*, ubi Gloſſ. *verb. Legitimis*, *de crim. falſ.* Hæc deductio non indiget probatione, cum ſit juxtà Textum litteralem; tantummodò animadvertimus, appellatione Literarùm Apoſtolicarum propriè venire Brevia, & Bullas, juxtà præmiſſorum explicationem; non verò ſupplicationes, quæ ab illis plurimùm differunt, ideòque Summus Pontifex volens ſupplicationes hujus Canonis diſpoſitioni ſubjacere, duxit in eodem Canone illas exprimere. Hìc operæ pretium eſt adnotare, ſupplicationes Apoſtolicas, de quibus loquimur, eſſe preces in ſcriptis Romano Pontifici delatas, quæ poſtquàm ab ipſo Romano Pontifice ſunt admiſſæ, Signaturæ nuncupantur; cum hoc tamèn diſcrimine; quòd ſi per eas aliquid petitur gratioſè concedi, v.g. beneficium, facultatem abſolvendi à caſibus reſervatis, &c. dicuntur gratiam continere, cum expoſtulatio de eo fiat, quod jure non conceditur, arg. Tex. in *Clem. Gratiæ*, & *Clem. fin. de reſcript.* Si verò expoſtuletur aliquid, quod à jure conceditur, ſed alio modo, videlicèt, ut detur ſibi Iudex, ut cauſa alicui committatur; & his ſimilia; dicuntur juſtitiam concernentes, cum per eas intendat Summus Pontifex, cauſam à Iudice

dice

dice aſſignato terminari, ſeù definiri. Hujuſmodi diſtinctionem conſultò duximus innuere, ut quiſque aliquo modo percipiat, quando locum habet excommunicatio, Papæ reſervata, Conſtitutionis I. Bonifacii VIII. *Excommunicamus*, confirmatæ à Gregorio XIII. *Conſtit.*24. *Ab ipſo*, & ab Alex.VII. *Conſtit.Intèr graviſſimas, dat. ſub die* 2. *Maii* 1656. quam incurrunt Dantes, vel Promittentes aliquid pro gratia, vel juſtitia apud Sedem Apoſtolicam obtinendâ. Subdimus ad viam confuſionibus, aùt ſcrupulis præcludendam, ſub nomine Literarum, vel ſupplicationum Apoſtolicarum non comprehendi Literas Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium, aùt Sacræ Pœnitentiariæ, aùt Epiſcopi, aùt Nuncii, aùt Legati de latere, aùt Datarii, aùt Gerentium vices prædictorum, quia hæ non expediuntur nomine Summi Pontificis, ſed nomine ipſorum Commiſſariorum: & id me docent Bonac. in explicatione *præfati Canonis* 6. *diſp.*1. *qu.*7. *punct.*1. *nu.*1. Navar. in *Man. cap.* 27. *num.* 62. Suar. *de cenſur. diſp.*20. *ſect.*2. *num.*49. Alter. *de cenſur. Bull. diſp.*7. *lib.*5. *cap.* 1. *verſ. Hinc ſequitur*, & alii, quos producit, & ſequitur Duard. in *Bull. Cœn. Domin. lib.* 2. *can.*6. *qu.*1. *n.*6. Quâ pœnâ dignus ſit, qui audet Literas Apoſtolicas falſare: vide Scribentes, & intèr modernos, Dominum meum Urſaya, *Inſtitution. Criminal. lib.* 3. *tit.* 6. *à num.* 18. Nùm incidat in excommunicationem hujus Canonis Falſificans Literas, vel ſupplicationes Apoſtolicas vim non habentes eò quòd nondum ſunt abſolutæ, aùt præſentatæ, aùt memoratis ſignis munitæ: vide Doctores ultimò allegatos, & ſignantèr Duard. *loc.cit. qu.* 6. *concluſ.*1. 2. *&* 3. An dictâ excommunicatione ligetur Falſificans Literas, vel ſupplicationes Apoſtolicas in parvitate materiæ, immutando ſcilicèt, aliquantulùm ſenſum à Romano Pontifice intentum, aùt grammaticalem errorem in ipſis Literis corrigendo, aùt aliquid modicum, quod non ſit contra mentem Summi Pontificis, addendo, vel adimendo: Conſule d.Duard. *loc.cit. quæſt.* 7. *concluſ.*1. 2. *&* 3. ubi hujuſmodi dubitationes proponit, diſcutit, & ingenioſè, clarè, & perdoctè reſolvit.

19 Deducitur ultimò; ad validitatem diſpenſationis per Delegatum faciendæ; prætèr Literarum Apoſtolicarum præſentationem, formam in illis præſcriptam eſſe ab ipſo Delegato ad unguem ſervandam; aliàs di-

diſpenſatio per eum facta irrita erit & nulla. In omnibus enim Papæ Reſcriptis formam eſſe inſpiciendam, tradit Barboſ. in *Votis Canonicis*, *lib.* 1. *vot.*5. *num.*16. Garc. *de beneſ. par.*6. *cap.*3. *nu.*40. cum aliis: Eaque eſſe ſtricti juris, ac proindè ſtrictè intelligenda, habetur ex Rota *coram Penia*, *deciſ.* 415. *num.*4. Corneo, *conſ.*216. *num.*5. *vol.*1. & *conſ.*163. *n.*2. *tom.* 2. Cæphalo, *conſ.* 338. *num.*12. *tom.*3. Ludovico Portio, *reſol.*71. *num.*33. & *reſol.* 125. *num.*43. & aliis pluribus. Formâ igitur Pontificiorum Reſcriptorum neglectâ, diſpenſatio nullitatem incurrit; nec poſſe, hujuſmodi caſu contingente, illam per quid æquipollens adimpleri, admonet Rota *deciſ.*670. *n.*2. *p.*1. *recent.* Rota *coram Cavalerio*, *deciſ.* 612. *n.*8. Hieronym. Palm. *conſ.*57. Sanch. *de matr. lib.* 2. *diſp.* 11. *num.* 19. cum aliis, quorum fundamentum eſt; quia Delegato nulla prorsùs competit juriſdictio niſi in his, quę in mandato exprimuntur, juxtà Tex. in *Capit. Cura olim*, il primo, *de offic. Deleg.* Tuſch. *concluſ.* 434. *num.*4. *lit. I.* & alios afferentes, in ipſo mandato totam ejus juriſdictionem radicari, quod etiam ſcribit Rota *coram Penia*, *deciſ.* 72. *num.* 4. Lælius Altograd, *conſ.*70. *n.*35. Ex quo ſequitur, nullum, & irritum eſse defectu juriſdictionis, quæ eſt præcipuum judicii fundamentum, quidquid Delegatus prætèr illa, quæ in mandato exprimuntur, audet decernere. Ad arcendam itàque nullitatem, debet Delegatus eâ, quâ par eſt diligentiâ, Literarum Apoſtolicarum formam, ſibi in illis præſcriptam, obſervare: & ut queat omnes, & ſingulas earundem clauſulas exactè, necnon commodiùs conſiderare, obſtrictus ſuum munus rectè adimplere, duxi Literas Apoſtolicas, ſeù quatuor Brevia SS. Domini Noſtri CLEMENTIS Papæ XI. rem, de qua agitur, concernentia, etiam tanquàm Regulam immutabilem Brevium in poſterum circa hanc materiam concedendorum, ceuque formam facultatum à Delegato ſubdelegandis Exercituum tribuendarum, de verbo ad verbum hùc per extenſum deferre.

Vene-

Venerabili Fratri HUMBERTO GUILLELMO Archiepiſcopo Mechlinien.

CLEMENS PP. XI.

VENERABILIS *Frater, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Quoniàm in Exercitu Chariſſimi in Chriſto Filii noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici, in Belgio multa ſæpè contingunt, in quibus pro ſalubri directione, & Animarum ſalute eorum, qui in Caſtris degunt, & verſantur, proque cognoſcendis, & decidendis intèr eos cauſis, & controverſiis, ad forum Eccleſiaſticum pertinentibus, operà, & induſtrià unius perſonæ, in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, opus eſt, propterea quòd non facilè ad Locorum Ordinarios, aùt ad Nos, & Sedem Apoſtolicam recurſus haberi poteſt: Idcircò Nos ſupplicationibus memorati Philippi Regis nomine Nobis ſupèr hoc humilitèr porrectis inclinati, Fraternitatem tuam præſtanti ampliſſimarum Virtutum laude inſignem, huic rei duximus delegandam; Itàque Tibi facultatem, ad quinquennium proximum tantùm, harum ſerie tribuimus per te, vel alium, ſeù alios Sacerdotes probos, & idoneos, àc prævio examine diligenti approbatos à Te, cùm participatione, & conſenſu dilecti filii Joannis Baptiſtæ Buſſi Abbatis S. Salvatoris Urbevetanæ Civitatis, vel Diœceſis Internuncii noſtri in Belgio, Burgundiæque Comitatu; ſeù ejus, quem forſan in ejuſdem Joannis Baptiſtæ locum in eodem munere deputari contigerit, ſubdelegandos, omnem, & quamcumque Juriſdictionem Eccleſiaſticam in eos, qui ibi pro Sacramentis Eccleſiaſticis militibus miniſtrandis pro tempore erunt (qui tamen in propria Diœceſi, ſub qua illorum Ordinarii Juriſdictionem ſuam ordinariam in eos exercere poſſent, non ſint) ſivè Clerici, etiàm Presbyteri ſæculares, ſeù quorumvis etiàm Mendicantium Ordinum Regulares fuerint, exercendi, perindè, ac ſi quoad Clericos ſæculares eorum verus Præſul, & Paſtor, quoad Regulares verò*

illorum

illorum Superior Generalis eſſes, omneſquè cauſas Eccleſiaſticas, profanas, Civiles, Criminales, & mixtas intèr, ſeù contrà prædictas, aliaſque Perſonas, in dicto Exercitu commorantes, ad Forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentes, etiàm ſummariè, ſimplicitèr, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura Judicii, ſolà facti veritate inſpectà, audiendi, & fine debito terminandi: Contrà inobedientes quoslibet cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, etiàm ſæpiùs aggravandi, auxiliumque brachii ſæcularis invocandi. Prætereà, Tibi, ac Presbyteris idoneis à Te approbandis, confeſſiones quarumcumque dicti Exercitus, utriuſque ſexus, perſonarum, audiendi, illaſque à quibuſvis exceſſibus, & delictis, quantumcumque gravibus, & enormibus, ac etiàm in caſibus, Nobis, & dictæ Sedi ſpecialitèr reſervatis, ac etiàm contentis in Literis die Cœnæ Domini legi ſolitis (hæreſis, læſæ Majeſtatis, conſpirationis in perſonam, vel Statum Romani Pontificis, delationis armorum, & aliorum prohibitorum ad partes Infidelium, falſificationis Literarum, & ſupplicationum Apoſtolicarum, injectionis manuum violentarum in Clericos, ſeù Prælatos Eccleſiæ, Clauſuræ Monaſteriorum Sanctimonialium, ac Juriſdictionis, ſeù libertatis Eccleſiaſticæ violationis, exceptis) Necnon à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, cenſuris, & pœnis, proptèr præmiſſa per eos quomodolibet incurſis, ſi id humilitèr petierint, in reſervatis videlicèt, ſemel in vita & in mortis articulo; in aliis verò caſibus, dictæ Sedi non reſervatis, quotiès opportunum fuerit, injunctà indè eis pro modo culpæ pœnitentià ſalutari, in foro conſcientiæ tantùm, abſolvendi; in caſibus tamèn, in quibus ſatisfactio foret neceſſaria, ea per ſe ipſos, vel eis impeditis, per hæredes, aùt alios, fieri debeat. Necnon dicti Exercitus primariis Viris Altare portatile cum debitis reverentià, & honore, ſi Tibi videbitur expedire; ſuper quo in locis ad hoc congruentibus, & honeſtis, etiàm non ſacris; ſi tunc locus Sacer haberi non poterit, & cùm qualitas negotiorum id exegerit, dumtaxàt, celebrari poſſit, concedendi; Eccleſias quoque, & Capellas, ac Cœmeteria, & Oratoria quomodolibet polluta in illis partibus, in quibus ipſe Exercitus inſederit, per quoſcum-

que idoneos, ad id ſpecialitèr deputandos, Sacerdotes, in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutos; Aquâ tamèn priùs à Te, ſeù per alium Catholicum Antiſtitem, ut moris eſt, benedictâ, reconciliandi, cæteraque faciendi, & exequendi in præmiſſis neceſſaria, & quomodolibet opportuna: non obſtantibus Apoſtolicis, & in Synodalibus, vel Provincialibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus; necnon Ordinum, quorum perſonæ hujuſmodi profeſſæ fuerint, etiàm juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; Privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis, Ordinibus prædictis, vel eorum Superioribus, aùt ſingularibus Perſonis quomodolibet conceſſis, ac approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſinguliis, illorum tenores, præſentibus pro plenè, & ſufficientèr expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis, habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxàt ſpecialitèr, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autèm, ut ii, quos pro Sacramentis Eccleſiaſticis militibus, aliiſque Perſonis quibuſcumque dicti Exercitus miniſtrandis, ut præfertur, deputandos duxeris, pro iis tantùm Sacramentis, quæ per ſimplices Parochialium Eccleſiarum Rectores adminiſtrari conſueverunt, & his quidem, eo dumtaxàt tempore, quo Exercitus præfatus in actuali expeditione reperietur; ſecùs verò, quando milites in ſtationibus, & Præſidiis degerint, adminiſtrandis deputati intelligantur. Datum Romæ apud S. Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die 10. *Februarii*, 1706. *Pontificatus noſtri Anno ſexto.*

Venerabili Fratri HUMBERTO GUILLELMO Archiepiſcopo Mechlinien.

CLEMENS PP. XI.

VEnerabilis Frater, Salutem &c. Aliàs emanarunt à Nobis ad favorem exercitus Chariſſimi in Chriſto Filii noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici in Belgio Literæ, in ſimili formâ Brevis, Tibi directæ, tenoris, qui ſequitur, videlicèt à tergo: Venerabili Fratri Humberto Guillelmo Archiepiſcopo Mechlinien. Intùs verò. Clemens PP. XI. Venerabilis Frater Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Quoniam in Exercitu Chariſſimi in Chriſto Filii noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici *in Belgio multa ſæpè contingunt, in quibus, pro ſalubri directione, & Animarum ſalute eorum, qui in caſtris degunt, & verſantur, proque cognoſcendis, & decidendis intèr eos cauſis, & controverſiis, ad forum Eccleſiaſticum pertinentibus, operâ, & induſtriâ unius Perſonæ, in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, opus eſt, propterea quòd non facilè ad Locorum Ordinarios, aùt ad Nos, & Sedem Apoſtolicam recurſus haberi poteſt; Idcircò Nos, ſupplicationibus memorati Philippi Regis nomine, Nobis ſupèr hoc humilitèr porrectis inclinati, Fraternitatem Tuam præſtanti ampliſſimarum virtutum laude inſignem, huic rei duximus delegandam: itàque facultatem ad quinquennium proximum tantùm harum ſeriè tribuimus, per Te, vel per alium, ſeù alios Sacerdotes, probos, & idoneos, & prævio examine diligenti approbatos à Te, cum participatione, & conſenſu Dilecti filii Joannis Baptiſtæ Buſſi Abbatis S. Salvatoris Urbevetan. Civitatis, vel Diœceſis Internuntii Noſtri in Belgio, Burgundiæque Comitatu, ſeù ejus, quem forsàn in ejuſdem Joannis Baptiſtæ locum in eodem munere deputari contigerit ſubdelegandos, omnem, & quamcumque Juriſdictionem Eccleſiaſticam in eos, qui ibi pro Sacramentis Eccleſiaſticis Mi-*

litibus miniſtrandis pro tempore erunt (qui tamèn in propria Diœceſi, ſub qua illorum Ordinarii Juriſdictionem ſuam ordinariam in eos exercere poſſent, non ſint) ſivè Clerici etiam Presbyteri Sæculares, ſeù quorumvis etiam Mendicantium Ordinum Regulares fuerint, exercendi, perinde ac ſi quoad Clericos Sæculares eorum verus Præſul, & Paſtor, quoad Regulares verò illorum Superior Generalis eſſes, omneſque Cauſas Eccleſiaſticas, profanas, Civiles, Criminales, & mixtas, intèr, ſeù contrà prædictas, aliaſque perſonas in dicto Exercitu commorantes ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentes, & ſummariè, ſimplicitèr, & de plano, ſine ſtrepitu, & figurà judicii, ſolà facti veritate inſpectà, audiendi, & fine debito terminandi. Prætereà, Tibi, ac Presbyteris idoneis, à Te approbandis, Confeſſiones quarumcumque dicti Exercitus utriuſque ſexus Perſonarum audiendi, illaſque à quibuſvis exceſſibus, & delictis, quantumcumque gravibus, & enormibus, ac etiam in caſibus Nobis, & dictæ Sedi Apoſtolicæ ſpecialitèr reſervatis, ac etiam contentis in Literis die Cœnæ Domini legi ſolitis (hæreſis, læſæ Majeſtatis, conſpirationis in Perſonam, vel Statum Romani Pontificis, delationis armorum, & aliorum prohibitorum ad partes Infidelium, falſificationis Literarum, & Supplicationum Apoſtolicarum, injectionis manuum violentarum in Clericos, ſeù Prælatos Eccleſiæ, clauſuræ Monaſteriorum Sanctimonialium, ac Juriſdictionis, ſeù libertatis Eccleſiaſticæ violationis, exceptis) necnon à quibuſvis Excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, propter præmiſſa per eos quomodolibet incurſis, ſi id humilitèr petierint, in reſervatis videlicèt, ſemel in vita, & in mortis articulo; in aliis verò caſibus, dictæ Sedi non reſervatis, quotiès opportunum fuerit, injunctà inde eis pro modo culpæ pœnitentià ſalutari, in foro conſcientiæ tantùm abſolvendi, in caſibus tamèn, in quibus ſatisfactio foret neceſſaria, ea per ſeipſos, vel eis impeditis, per hæredes, aùt alios, fieri debeat. Necnon dicti Exercitus primariis Viris Altare portatile cùm debitis, reverentià, & honore, ſi Tibi videbitur expedire, ſuper quo in

in locis ad hoc congruentibus, & honeſtis, etiam non ſacris, ſi tunc locus ſacer haberi non poterit, & cùm qualitas negotiorum id exegerit, dumtaxàt celebrari poſſit, concedendi. Eccleſias quoque, & Capellas, & Cœmeteria, & Oratoria quomodolibet polluta in illis partibus, in quibus ipſe Exercitus inſederit, per quoſcumque idoneos, ad id ſpecialitèr deputandos, Sacerdotes in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutos, Aquà tamèn priùs à Te, ſeù per aliquem catholicum Antiſtitem, ut moris eſt, benedictà, reconciliandi, cæteraque faciendi, & exequendi, in præmiſſis neceſſaria, & quomodolibet opportuna: non obſtan. Apoſtolicis, & Synodalibus, vel Provincialibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon Ordinum, quorum perſonæ hujuſmodi profeſſæ fuerint, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis, ſtatutis, vel conſuetudinibus; Privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis, Ordinibus prædictis, vel eorum Superioribus, & ſingularibus Perſonis quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores, præſentibus pro plenè, & ſufficientèr expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis, habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxàt ſpecialitèr, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem ut ii, quos pro Sacramentis Eccleſiaſticis Militibus, aliiſque Perſonis quibuſcumque dicti Exercitus miniſtrandi, ut præfertur, deputandos duxeris, pro iis tantùm Sacramentis, quæ per ſimplices Parochialium Eccleſiarum Rectores adminiſtrari conſueverunt, & his quidèm, eo dumtaxàt tempore, quo Exercitus prædictus in actuali expeditione reperiatur; ſecùs verò quando Milites in ſtationibus, & præſidiis degerint adminiſtrandis deputati intelligantur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die xiij. Februarii MDCCVI. Pontificatus Noſtri anno ſexto. Nupèr autèm pro parte tua Nobis expoſito, quòd occaſione mutationis quarumdam Belgii Regionum, ſeù Dominiorum, nonnulli Tibi animo ſcrupuli inciderant, an nihilominùs facultates, Tibi per Noſtras præinſertas

ſertas Literas attributæ, pro Militibus ſub dicto Philippo Rege ſtipendia merentibus, adhùc durarent; & an eiſdem facultatibus, etiam quoad aliòs Catholicos in Belgio militantes uti valeres, attento præſertim, quòd dictarum Regionum Epiſcopi curam dictorum Catholicorum militantium à ſe abdicaverant, illamque Tibi uti Delegato Apoſtolico attribuere videbantur. Tuque propterea, ne Milites ipſi neceſſariâ in ſpiritualibus ope deſtituerentur, in nonnullis caſibus authoritate Delegati Apoſtolici utendum duxeras, ac ſub noſtro, & Apoſtolicæ Sedis beneplacito uti pergebas, quo tamèn ſecuriùs id perageres, de opportuna deſupèr declaratione à Nobis provideri ſummoperè deſiderabas. Nos ſupplicem libellum, pro parte tuà Nobis ſupèr hoc humilitèr porrectum, ad Congregationem Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum pro Voto remiſimus; propoſitis verò in ipſa Cardinalium Congregatione tribus infraſcriptis dubiis, primò ſcilicet: An præinſertæ Literæ ſuffragari poſſent, tàm pro dicto Philippi Regis Exercitu, quàm pro aliis Catholicis in Belgio Militantibus, & quatenùs negativè pro altero. Secundò, an eſſent concedendæ novæ Literæ, & quomodò. Tertiò denique, an, & quomodò eſſet conſulendum pro Matrimoniis contractis in vim memoratarum facultatum, Tibi per Literas Noſtras præinſertas attributarum in caſu &c. Eadem Congregatio Cardinalium, ad primum reſpondit affirmativè, quoad primam, negativè quoad ſecundam partem. Ad ſecundum reſpondit affirmativè juxtà modum. Ad tertium verò, cenſuit recurrendum eſſe in Caſibus particularibus. Nobis propterea humilitèr ſupplicari feciſti, ut ſupèr prædicta Cardinalium Congregationis ad ſecundum dubium reſponſo hujuſmodi opportunè Tibi in præmiſſis conſulere, & ut infrà indulgere de benignitate Apoſtolicâ dignaremur. Nos igitur Votis Tuis hac in re quantum cum Domino poſſumus benignè annuere volentes, Teque à quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de eorumdem Cardinalium conſilio Literas Noſtras præinſertas ad omnes Catholicos in Belgio militantes, itaut omnibus, & ſingulis quibuſcumque facultatibus, Tibi

pro

pro memorati Philippi Regis Exercitu per eas quomodolibet conceſſis, & quoad illos ſimilitèr, & pariformitèr uti liberè, & licitè poſſis, & valeas, ſervatis tamèn, cæteroqui ipſarum præinſertarum Literarum formâ, diſpoſitione, & tenore, aliiſque clauſulis in illis contentis, authoritate Apoſtolicâ tenore præſentium extendimus, & ampliamus; ſalvâ tamèn ſempèr in permiſſis authoritate prædictæ Congregationis Cardinalium. Non obſtan. Apoſtolicis, & in Synodalibus, vel Provincialibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus; necnon omnibus, & ſingulis illis, quæ in eiſdem Literis præinſertis, voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die xxviij. Julii MDCCVIII. Pontificatus Noſtri Anno viij.

Venerabili Fratri JULIO Archiepiſcopo Nazareno, apud Chariſſimum in Chriſto Filium noſtrum JOSEPHUM Romanorum Regem, in Imperatorem electum, noſtro, & Apoſtolicæ Sedis Nuncio.

CLEMENS PAPA XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Quoniam in Chariſſimi in Chriſto Filii Noſtri Joſephi Romanorum Regis, in Imperatorem electi, nunc & pro tempore, Exercitu in Germania multa ſæpè contingere poſſunt, in quibus pro ſalubri directione, & Animarum ſalute eorum, qui in Caſtris degunt, & verſantur, proque cognoſcendis, & decidendis intèr eos Cauſis, & Controverſiis, ad Forum Eccleſiaſticum pertinentibus, operâ, & induſtriâ unius, ſeù plurium perſo-

narum

narum Eccleſiaſticarum opus ſit; propterea, quòd non facilè ad Locorum Ordinarios, aùt ad Nos, & Sedem Apoſtolicam recurſus haberi poteſt; Idcircò Nos, Fraternitati tuæ hujus rei curam duximus demandandam; Itaque eidem Fraternitati tuæ per præſentes concedimus, ut Capellano majori Exercitus hujuſmodi, à dicto Joſepho Rege, in Imperatorem electo, pro tempore deputato, facultatem, quoad Bella præſentia in Germaniâ duraverint, per ſe, vel alium, ſeù alios Sacerdotes probos, & idoneos, ac prævio diligenti examine ab Ordinario approbatos, ab eo ſubdelegandos, omnem, & quamcumque Juriſdictionem Eccleſiaſticam in eos, qui ibi pro Sacramentis Eccleſiaſticis Militibus miniſtrandis pro tempore erunt (qui tamèn in propriâ Diœceſi, ſub quâ illorum Ordinarii Juriſdictionem ſuam Ordinariam in eos exercere poſſent, non ſint) ſivè Clerici, etiam Presbyteri Sæculares, ſivè quorumvis etiam Mendicantium Ordinum Regulares fuerint, exercendi, perindè ac ſi quoad Clericos Sæculares eorum veri Præſules, & Paſtores; quoad Regulares verò, illorum Superiores Generales eſſent, omneſque Cauſas Eccleſiaſticas, profanas, Civiles, Criminales, & mixtas, intèr, ſeù contra prædictas, aliaſque perſonas in dicto Exercitu commorantes, ad Forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentes, etiam ſummariè, ſimplicitèr, & de plano, ſine ſtrepitu, & figurâ judicii, ſolâ facti veritate inſpectâ, audiendi, & ſine debito terminandi: Contra inobedientes quoslibet cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, etiam ſæpiùs aggravandi, auxiliumque brachii ſæcularis invocandi. Præterea eidem Capellano, & Presbyteris idoneis, ab eorum Ordinariis approbandis, Confeſſiones quarumcumque d. Exercitus utriuſque ſexus perſonarum audiendi, illaſque à quibuſvis exceſſibus, & delictis quantumcumque gravibus, & enormibus, ac etiam in caſibus, Nobis, & dictæ Sedi ſpecialitèr reſervatis, ac etiam contentis in Literis, die Cœnæ Domini legi ſolitis (hæreſis, læſæ Maeſtatis, conſpirationis in Perſonam, vel Statum Romani Pontificis, delationis Armorum, & aliorum prohibitorum ad partes Infidelium, falſificationis Literarum, & ſupplicationum Apoſtolicarum, injectionis manuum violentarum in Clericos,

ſeù

ſeù Prælatos Eccleſiaſticos, clauſuræ Monaſteriorum Sanctimonialium, ac Juriſdictionis, ſeù Libertatis Eccleſiaſticæ violationis,exceptis) Necnon à quibuſvis Excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, propter præmiſſa, per eos quomodolibet incurſis, ſi id humiliter petierint, in reſervatis Ordinario ſemel in vita, & in mortis articulo; in aliis verò caſibus, d. Sedi non reſervatis, quotiès opportunum fuerit, injunctà inde eis pro modo culpæ pœnitentià ſalutari in foro conſcientiæ tantùm abſolvendi; in caſibus tamèn,in quibus ſatisfactio foret neceſſaria, ea per ſe ipſos, vel eis impeditis, per hæredes, aùt alios fieri debeat; Necnon Eccleſias, & Capellas, ac Cœmeteria, & Oratoria quomodolibet polluta in illis partibus, in quibus ipſe Exercitus conſederit,per quoſcumque idoneos ad id ſpecialitèr deputandos Sacerdotes, in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutos; Aquà tamen priùs per aliquem Catholicum Antiſtitem, ut moris eſt, benedictà, reconciliandi, cæteraque faciendi, & exequendi, in præmiſſis neceſſaria, & quomodolibet opportuna concedendi,ad tuum, Noſtrumque, & Sedis Apoſtolicæ beneplacitum, authoritate noſtrà Apoſtolicà tribuere, & impertiri, liberè, & licitè poſſis, & valeas. Non obſtan. Apoſtolicis,ac in univerſalibus,Provincialibus et Synodalibus Conciliis editis generalibus,vel ſpecialibus Conſtitutionibus,& Ordinationibus, necnon Ordinum, quorum perſonæ hujuſmodi profeſſæ fuerint, etiam, &c, conſuetudinibus, privilegiis,&c. Apoſtolicis ordinationibus prædictis, vel eorum Superioribus, aùt ſingularibus perſonis quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores, &c. derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut ji, quos idem Capellanus Major pro Sacramentis Eccleſiaſticis Militibus, aliiſque perſonis quibuſcumque d. Exercitus miniſtrandis,ut præfertur ,deputandos duxerit, pro jis tantùm Sacramentis, quæ per ſimplices Parochialium Eccleſiarum Rectores adminiſtrari conſueverunt, & his quidèm, eo dumtaxàt tempore, quo Exercitus prædictus in actuali expeditione reperietur; ſecùs verò, quando Milites in Stationibus, & præſidiis degerint, adminiſtrandis deputati

intelligantur. *Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die* xxvii. *Januarii MDCCX. Pontificatus noſtri Anno Decimo*.

Venerabili Fratri JULIO Archiepiſcopo Faventin. apud Chariſſimum in Chriſto Filium noſtrum JOSEPHUM Romanorum Regem, in Imperatorem electum, noſtro, & Apoſtolicæ Sedis Nuncio.

CLEMENS PAPA XI.

VENERABILIS *Frater, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Quoniam in Chariſſimi in Chriſto filii noſtri Joſephi Romanorum Regis, in Imperatorem electi, nunc, & pro tempore Exercitu in Hungariâ multa ſæpè contingere poſſunt, in quibus pro ſalubri directione, & animarum ſalute eorum, qui in Caſtris degunt, & verſantur, proque cognoſcendis, & decidendis intèr eos cauſis, & controverſiis, ad forum Eccleſiaſticum pertinentibus, operâ, & induſtriâ unius, ſeù plurium perſonarum Eccleſiaſticarum, opus ſit, propter eà quòd non facilè ad Locorum Ordinarios, aùt ad Nos, & Sedem Apoſtolicam recurſus haberi poteſt. Idcircò Nos Fraternitati tuæ hujus rei curam duximus demandandam; Itaque eidem Fraternitati tuæ per præſentes concedimus, ut Capellano majori Exercitus hujuſmodi, à dicto Joſepho Rege in Imperatorem electo, pro tempore deputato, facultatem, quoad bella præſentia in Hungariâ duraverint, per ſe, vel alium, ſeù alios Sacerdotes probos, & idoneos, ac prævio diligenti examine ab Ordinario approbatos, ab eo ſubdelegandos, omnem, & quamcumque juriſdictionem Eccleſiaſticam, in eos, qui ibi pro Sacramentis Eccleſiaſticis militibus miniſtran-*

miniſtrandis pro tempore erunt, qui tamen in propria Diœceſi, ſub quà illorum Ordinarii Juriſdictionem ſuam ordinariam in eos exercere poſſent, non ſint, ſivè Clerici etiam Presbyteri, Sæculares, ſivè quorumvis, etiam Mendicantium Ordinum, Regulares fuerint, exercendi, perindè ac ſi quoad Clericos Regulares, eorum veri Præſules, & Paſtores, quoad Regulares verò illorum Superiores Generales eſſent, omneſque cauſas Eccleſiaſticas, profanas, Civiles, Criminales, & mixtas, intèr, ſeù contra prædictas, aliaſque perſonas in dicto Exercitu commorantes, ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentes, etiam ſummariè, ſimplicitèr, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura judicii, ſolà facti veritate inſpectà, audiendi, ac fine debito terminandi, contrà inobedientes quoslibet cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, etiam ſæpiùs aggravandi, auxiliumque brachii ſæcularis invocandi. Prætereà eidem Capellano, & Presbyteris idoneis ab eorum Ordinariis approbandis, Confeſſiones quarumcumque dicti Exercitus utriuſque ſexus perſonarum audiendi, illaſque à quibuſvis exceſſibus, & delictis, quantumcumque gravibus, & enormibus, ac etiam in caſibus, Nobis, & dictæ Sedi Apoſtolicæ ſpecialitèr reſervatis, ac etiam contentis in Literis, die Cœnæ Domini legi ſolitis (hæreſis, læſæ Majeſtatis, Conſpirationis in Perſonam, vel Statum Romani Pontificis, delationis Armorum, & aliorum prohibitorum ad partes Infidelium, falſificationis Literarum, & ſupplicationum Apoſtolicarum, injectionis manuum violentarum in Clericos, & Prælatos Eccleſiaſticos, Clauſuræ Monaſteriorum Sanctimonialium, ac Juriſdictionis, ſeù libertatis Eccleſiæ violationis, exceptis) Necnon à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, cenſuris, & pœnis, propter præmiſſa per eos quomodolibet incurſis, ſi id humilitèr petierint, in reſervatis videlicèt, ſemel in vita & in mortis articulo; in aliis verò caſibus, dictæ Sedi non reſervatis, quotiès opportunum fuerit, injunctà indè eis pro modo culpæ pœnitentià ſalutari, in foro conſcientiæ tantùm, abſolvendi; in caſibus tamèn, in quibus ſatisfactio foret neceſſaria, ea per ſe ipſos, vel eis impeditis, per hæredes, aùt alios, fieri debeat. Necnon Eccleſias, & Capellas, ac Cœmeteria,

& Oratoria quomodolibet polluta in illis partibus, in quibus ipſe Exercitus inſederit, per quoſcumque idoneos, ad id ſpecialitèr deputandos Sacerdotes, in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutos; Aquâ tamen priùs per aliquem Catholicum Antiſtitem, ut moris eſt, benedictâ, reconciliandi, cæteraque faciendi, & exequendi in præmiſſis neceſſaria, & quomodolibet opportuna concedendi, ad tuum, Noſtrumque, & Sedis Apoſtolicæ beneplacitum, authoritate noſtrâ Apoſtolicâ tribuere, & impertiri, liberè, & licitè poſſis, & valeas. Non obſtan. Apoſtolicis, ac in univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon Ordinum quorumcumq; perſonæ hujuſmodi profeſſæ fuerint, etiam &c. conſuetudinibus, privilegiis, &c. Apoſtolicis ordinationibus prædictis, vel eorum Superioribus, aùt ſingularibus Perſonis, quomodolibet conceſſis, ac approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores, &c. derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus aùtem, ut ji, quos idem Capellanus Major pro Sacramentis Eccleſiaſticis Militibus, aliiſque perſonis quibuſcumque dicti Exercitus miniſtrandis, ut præfertur, deputandos duxerit, pro iis tantùm Sacramentis, quæ per ſimplices Parochialium Eccleſiarum Rectores adminiſtrari conſueverunt, & his quidem eo dumtaxàt tempore, quo Exercitus prædictus in actuali expeditione reperietur; Secùs verò, quando Milites in Stationibus, & Præſidiis degerint, adminiſtrandis, deputati intelligantur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die xvi. Aprilis, MDCCXI. Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Finis Diſcuſſionis Theologico-Juridicæ Controverſiæ intèr Locorum Ordinarios, & Capellanos Majores Exercituum, Belli, & Pacis tempore crebrò excitatæ.

VA-

VARIÆ DIFFICULTATES
IN
THEOLOGIA BELLICA
PRÆTERMISSÆ.

Eâdem, quà cæteræ fuerunt, methodo reſolutæ, Lib.I. III. IV. VII. VIII. reſpectivè adduntur.

Lib. I. Diffic. pertin. ad Reges, & Principes, additur ſequens Difficultas.

Immaniſſimo Turcarum Tyranno bellum adversùs aliquem ex Regibus, aùt Principibus Chriſtianis gerente, dubitatur nùm alii Reges, & Principes Chriſtiani teneantur Arma ſumere, & Invaſum propugnare.

1 NOTANDUM primò, juxtà noſtræ Conſuetudinis diſpoſitionem, à qua non eſſe recedendum in ſequentium difficultatum exhibitione exiſtimamus. notandum, inquam, ab Eccleſia Romana per Turcas, & Sarracenos, omnes Gentes intelligi, quæ Mahometanæ Sectæ adhærent, ut ſunt Tartari, Mauri, aliique quamplures Populi, partem magnam Chriſtiani Imperii injuſtè occupantes; ſemperque ſaltèm habitu,

Chri-

Chriſtianam Religionem oppugnantes.Unde Turcæ,& Sarraceni dicantur : Quomodo intèr ſe diſtinguantur : Quænam fuerit eorum origo, oſtendimus in *Theol. Bellic. tom.* 1. *lib.* 1. *diffic.*31. *num.* 2. & noviſſimè ſcribit ſuo eruditiſſimo calamo Illuſtriſſimus Petra in *Comment. ad Conſtit. Apoſt. tom.*1. *in Conſtit.* 3. Eugenii III. quæ incipit, *Quantum*, *num.*4.Præſens igitùr difficultas comprehendit bellum, ſivè à Turcis, ſivè à Sarracenis, ſivè à Tartaris, ſivè à Mauris alicui Principi, aùt Regi Catholico indictum.

2 Notandum ſecundò, arma ſumere adversùs Turcas licere Regibus,& Principibus Catholicis, ut demonſtravimus Doctorum authoritate, jurium diſpoſitione, & potiſſimùm rationibus,in *Theol. Bell. loc. cit. num.6.*

3 Notandum tertiò,juſtum eſse quodcunque bellum, quod ex edicto geritur, ſi fiat ad recuperanda Bona, aùt propulſandorum hominum,ſeù Hoſtium causâ, *Capit. Juſtum*, *cauſa* 23. *quæſt.*2. eſſeque bonum, & laudabile pro Reipub. utilitate peractum, *Capit. Summa*, *eâd. causâ*, *q.*1. præſertìm pro recuperatione rerum Eccleſiæ, ut habetur ex variis Canonibus, præcipuè *capit. Authoritatem*, §. *Quin etiam*, *cauſa* 15. *quæſt.*6.*Capit.Omnium veſtrum*, *cauſa* 23. *quæſt.* 5. ubi Nicolaus Papa Exercitui Francorum ſcribens, ait, Morientibus in belli certamine contrà Infideles Regna Cœleſtia minimè denegari.

4 Notandum quartò, robur, in quovis bello neceſſarium, mirè augeri propinquitate; & amicitiâ; ſed quandoque magis amicitiâ, quàm propinquitate. Contemplemur, ait Valerius Maximus Author graviſſimus, *cap.*7. *lib.*4.nunc amicitiæ vinculum potens, & prævalidum, neque ulla ex parte ſanguinis viribus inferius: intellige ſi morum probitas ſit fundamentum amicitiæ.HincTullius,*lib.*1.*officiorum*,ſcriptum reliquit-Sanguinis conjunctio, & benevolentia devincit charitate homines, &c. Omnium ſocietatum nulla præſtantior eſt, nulla firmior; quàm cum viri boni moribus ſimiles ſunt familiaritate conjuncti. Idem quoque in Lælio hanc ſententiam hac item ratione comprobat -- Ex propinquitate benevolentia tolli poteſt -- Ex amicitia non poteſt; ſublatâ enim benevolentiâ, amicitiæ nomen tollitur, propinquitatis remanet. Ergò illud, in quo neceſſariò benevolentia permanet, anteponendum eſt ei, à quo benevolentia removeri poteſt. Hæc ille. Ex propinquitate autèm

tèm

tèm poſſe benevolentiam tolli; imò verò plerùmque tolli; ſatis oſtendit illud Ovidii, Eruditis notiſſimum, *lib.* 1. *Metamorph.* apud Tiraq. *de pœn. temper. aùt remit. cauſa* 22. *num.* 2. & 3. & ideò plerumque, ait S. Amb. apud Tiraq. *loc. cit. num.* 2. Amici ſe potiùs benevolentiæ quiſque committit, quàm fratris neceſſitudini: *Fratrum quoque gratia rara eſt.* Ex quibus deducitur, ad tutiùs contrà Hoſtes bellandum, à Propinquis quidèm, ſed quandoque magis ab Amicis ſuppetias fore expoſcendas.

5 Notandum quintò, obligationem, quæ rem noſtram concernit, eſſe juris vinculum, quo neceſſitate adſtringimur alicujus rei ſolvendæ ſecundùm uniuſcujuſque Civitatis jura, *Inſtit. de oblig.* in princ. eſſeque duplicem, videlicèt, civilem, & prætoriam; primam eſſe, quæ aùt legibus conſtituitur, aùt certo jure civili comprobata reperitur: alteram verò eſſe, quæ per Prætorem vigore ſuæ juriſdictionis conſtituitur: quamque etiam Juriſconſulti honorariam appellant. Dari diſcrimen intèr obligationem, contractum, & actionem, notat Gloſſ. *Inſtit. de oblig.* §. *fin.* dicens, contractum eſſe verborum conceptionem, vel conſenſum; obligationem verò eſſe, quæ inde naſcitur; at actionem eſſe id, quod poſteà inde ſurgit; ac proindè nullum eſſe alterum. Ut faciliùs titulus præſentis difficultatis, ejuſdemque reſolutio percipiatur, operæ pretium ducimus animadvertere, obligationem diſtingui in naturalem, & antidoralem. (Antidora dicitur obligatio non efficax ad agendum, ut advertit Alex. Scot. in vocab. *Utriuſque juris*, *lit. A.*) naturalem eſſe, quæ ex jure gentium per conſenſum proficiſcitur; quamque multiplicem eſſe, docet Bart. videndus in *l.* 1. *ff. de juſt. & jur.* & antidoralem, quæ ex græco interpretatur remuneratio, ſivè retributio; quâque Beneficiatus ab aliquo tenetur neceſsariò Benefacienti ad antidora, & ſic ad remunerationem, juxtà Tex. in *l. Sed & ſi lege*, §. *Conſuluit*, *ff. de petit. hæred. cap. Cum in officiis*, ibi -- Illis teneamur obnoxii, à quibus beneficium nos cognoſcimus recepiſſe, *de teſtam.* Hanc obligationem non eſſe taxatam, neque debitam ex juſtitia, ſed ex amicitia, non ex neceſſitate, ſed ex voluntate, tradit Roman. *conſil.* 500. quem refert Card. Tuſch. *practic. concluſ. to.* 1. *concluſ.* 48. *nu.* 2. ubi *num.* 3. cum eod. Roman. d. *conſil.* 500. *num.* 9. ſubdit concludentèr, hujuſmodi obligationem ad antidora non poſſe in pactum deduci. Huic doctrinæ,

pro

pro majori noſtræ mentis explicatione, addimus, obligatum dici eum, qui exceptione defendere ſe minimè poteſt, ad Tex. in *l.Vel obligatus*, §. 1. *ff. de lib. cau.*

6 His cum aliqua prolixitate, ità re noſtrâ exigente, adnotatis, ad difficultatem propoſitam, nùm Immaniſſimo Turcarum Tyranno bellum adersùs aliquem ex Regibus, aùt Principibus Chriſtianis gerente, teneantur alii Reges, & Principes Chriſtiani Arma ſumere, & Invaſum propugnare, negativè videtur reſpondendum: nàm ſi Reges, & Principes tenerentur arma ſumere, & Invaſum à Turcis propugnare, maximè Summus Pontifex, cui nomen Principis, & Regis jure congruere demonſtravimus in *Rom. Pontif. Propug. art.* 14. §. 2. hujuſmodi obligationi ſubjaceret: Atqui prohibitum eſſe Summo Pontifici, aliiſque Eccleſiaſticis exercitum convocare ad pugnandum contra Hoſtes, probat Textus in *Capit. de Epiſcopis verò*, *capit. Quicunque Clericus*, *capit. Omni timore*, & aliis, *cauſa* 23. *quæſt.* 8. & maximè ubi timetur ſanguinis effuſio: Neminem autèm latet, illum dici facere, cujus authoritate fit; ideòque ſi Papa Exercitum congregaret, eſſet occiſor, & humani ſanguinis effuſor.

7 Præterea, Turcæ non inferunt aliis Principibus, & Regibus moleſtiam; ergò iſti non poſſunt eos bello impetere; & ità videtur ſentire Gloſſ. in *Capit. Diſpar*, *cauſa* 23. *q.* 8. Inſupèr, Infidelibus quietè degentibus nullam eſſe moleſtiam inferendam, habetur ex *l. Chriſtianis*, *Cod. de Pag. & Sacrif.*

8 Præterea, Deum variis modis hominum ſcelera punire; & quandoque etiam Infidelium armis, teſtantur Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ: unde arma ſumere contra Turcas, aliquem Principem, aùt Regem Catholicum invadentes, cenſetur velle repugnare, ac reſiſtere Deo, qui eorum flagellis, ſeù armis illum fortè punit proptèr ſcelera ejus, aùt proptèr ejus ſubditorum delicta.

9 Præterea, ſi Reges, & Principes forent obſtricti arma ſumere contrà Turcas, aliquem eorum bello impetentes, id eſſet ad imminuendam Turcarum potentiam creſcentem, quam victoriis auctam timerent ſibi nocituram. Atqui id illicitum eſſe, probat Textus in *Capit. fin. extrà, de præſumpt.* ubi habetur, neminem regularitèr præſumi malum; & *l. Meritò*, *ff. pro Socio*, ubi paritèr dicitur, neminem præſumi in dubio velle delinquere; ac proindè alii Reges, & Principes conſpicientes Turcarum Poten-

tentiam bello, quod contra aliquem eorum geritur, creſcere, cum non poſſint, neque debeant præſumere illam ſibi, aùt eorum Regnis, & Principatibus nocituram, non poſſunt rectè arma ſumere ad illam imminuendam.

10 Prætereà, plures in bello decedere, atque damnari, non videtur controvertibile, atqueadeò Reges, & Principes Catholici exercitum adversùs Turcas convocantes, plures & morti, & quod lacrymabilius eſt, æternæ perditionis periculo exponunt, quod pietati chriſtianæ, quæ decet Reges, & Principes, directè repugnat. Ergò &c.

11 Demùm, quod reſpicit Reges, & Principes Acatholicos, qui etiam Chriſtiani dicuntur, hos nequaquàm eſſe de Eccleſia, ſeù de Fidelium Republica, ſcribit Cyprianus *Epiſt.65. ad Rogatianum*, pag. mihi 158. *col.2.* & oſtendit eorum diviſio, ſeù ſeparatio ab ea; Ergo hi nullo jure poſſunt obſtringi eorum armis aliquem Regem, & Principem de Fidelium Republica, contra Turcas propugnare.

12 Hiſce cunctis rationibus pars negativa ſuffulta non infimum probabilitatis gradum oſtendit; nihilominùs partem affirmativam, videlicèt teneri Reges, & Principes Chriſtianos arma ſumere, & Regem, ſeù Principem Catholicum à Turcis invaſum propugnare, variis ſpectatis obligationis acceptionibus, & in prænotatis enucleatè expoſitis, eſſe firmitèr ſuſtinendum, non ambigo.

13 Ad hoc meum firmandum aſſertum, rationem extrinſecam, ſeù Doctorum authoritatem non refero; quia hanc, quam pro Chriſtianæ Reipublicæ utilitate excogitavi, difficultatem à nullo explicitè, aùt implicitè, conſultò, aùt obitèr reperi agitatam.

14 Moveor igitùr primò juribus, in *Capit. Si propterea, capit. Principes, & capit. Res autèm, cauſa* 23. *q.* 5. ubi habetur, Imperatores, Reges, & Principes eſſe à Deo in Chriſtiana Republica conſtitutos, ad Infidelium conatus contrà eamdem Rempublicam, vel partem illius coercendos, vel infringendos; & proindè licere Eccleſiæ adversùs eos, qui verâ carent Religione, eique inſultant, atque Chriſtum confitentes moleſtant, ſuppetias Principum implorare, admonet Textus in *Capit. Noſtri adversùs, cauſa* 23. *quæſt.* 3. & *capit. non invenitur, eâd. cauſâ, quæſt.*4. ad eorum temeritatem, ſivè in totum, ſivè in partem Chriſtianæ Reipublicæ præjudicium tùm temporale, tùm etiam ſpirituale redun-

dantem propulſare -- „Cognoſcant Principes Sæculi, inquit Iſidorus in d. *Capit. Principes*, ſe Deo debere eſſe reddituros rationem proptèr Eccleſiam, ſeù Chriſtianam Rempublicam, quam à Chriſto tuendam ſuſcipiunt. Nàm ſivè augeatur pax, & diſciplina Eccleſiæ per fideles Principes, ſivè ſolvatur; Ille ab eis rationem exigit, qui eorum poteſtati ſuam tradit Eccleſiam. Hiſce Canonibus, alii plures, quibus aſſertum noſtrum apertiùs,validiùſque firmatur, adnectuntur in *Decreto, diſt.*45. & in *Decretalibus,lib.3.de Judæis,& Sarracenis* per multa capitula; ubi dicitur, nullatenùs eſſe permittendos in Terris fidelium Infidelium progreſſus; & ideò ſpectare ad Reges, & Principes Catholicos, eorum armis reſiſtere, nè acquirant in Fideles novum dominium; quod ſanè cederet in ſcandalum, in periculum fidei, & Animarum perniciem: poſſe enim authoritate Dominantium Infidelium, fideles ſubditos facillimè perverti, advertit Valentia, *tract. de infidelit. diſp.* 1. *quæſt.* 10. *punct.*8.

15 Moveor ſecundò rationibus, quæ militant pro Regibus, & Principibus non tantùm Catholicis, ſed etiam Acatholicis; ſiquidèm Turcæ, ſivè Saraceni, aùt Mori, quamvis actu non impugnent cunctos Principes Cathoticos, & Acatholicos, creduntur tamèn habitu eos velle impugnare, ſi potentia, & opportunitas eis adfuerit, ut oſtendimus in *Thol.Bellic. tom.*1. *lib.*1. *diffic.*31.*n.*10. quaproptèr, licèt nunc arma non fumant contra omnes Principes, & Reges Chriſtianos ex defectu potentiæ, vel opportunitatis, iſti tamèn poſſunt rationabilitèr timere, quòd in futurum, triumphato Principe, contra quem actualitèr bellant, potentiores effecti, atque victoriâ audaciores arma ſument contra alios: undè debent Principem ab eis bello impetitum defendere, ne illius expugnatione augeatur eorum potentia, & audacia; meliùs enim eſſe prævenire, quàm præveniri, & ante tempus violentiis obviare, atque intacta Fidelium jura, ac dominia ſervari, quàm poſt cauſam vulneratam, remedium quærere, exprimit Tex. in *l. fin. Cod. In quibus cauſ. in integ. reſt.* & poſtulat Bonum publicum, necnon utilitas ſubditorum, quos eorum Princeps debet tractare tanquàm filios,& nepotes, ad Textum, *l. Si quis filium*, ubi Jaſ. *Cod. de inoff. teſtam.*Bal.in *conſil.*460. & ſucceſſivè ab eis quaſcunque violentias, & injurias, præſertìm Chriſtiani nominis Hoſtium propulſare.

16 Tum

16 Tum quia, ſcimus, Reges, & Principes Chriſtianos fratres ad invicem vocari, non quidem perperâm, aùt inconſultò: Quare igitur ità ſe nominant? niſi ad illam, quam habent obligationem, exprimendam, ſe invicem contra Hoſtem, maximè communem, defendendi, & quidèm fortiùs, ſi hujuſmodi denominationi ſit adnexa propinquitas, ſeù ſanguinis conjunctio, quam plerùmque adeſſe intèr omnes, vel ferè omnes Reges, & Principes non ignoramus. Vetus apud Platonem, *lib. 2. de Rep.* adagium reperitur, nempè, *Frater viro adeſto, de fido auxilio dici ſolitum*, quoniam in rebus periculoſis vix unquam frater ſolet deeſſe fratri; quod ex Homero ſumptum idem Plato teſtatur in Protagonæ, ubi Socrates Prodicum advocans, ut Simonidem ejuſdem Civitatis hominem à Protagonæ calumniâ tueatur. Videor equidem (inquit) advocare te (quemadmodùm ait Homerus *lib. Iliad.* 21) Scamandrum ab Achille obſeſſum Simoentem advocaſſe hiſce verbis -- *Dilecte frater fortitudinem viri ambo impediamus*: ſic refert Tiraq. *loc. cit. num. 9.* advertens hoſ Gentiles ſolo lumine naturæ ductos, cognoviſſe in affectione fraterna ſolicitam contineri obligationem reciprocæ defenſionis adversùs quoſcunque adverſarios; ideòque quemquam poſſe à Conjuncto vim impunè propulſare, tradit Bald. in *l. Raptores in 2. no. Cod. de Epiſc. & Cleric.* cum aliis.

17 Additur, obligationem intèr Reges & Principes mutuæ defenſionis, ubi propinquitas, ſeù fraternitas abeſſet, enaſci paritèr ab Amicitia, quæ animos, ſtrictè, & laudabilitèr unit ad bellum, juſtâ causâ interveniente, ſuſcipiendam; Amicitiam eſſe veluti quamdam fraternitatem, tradit Textus in *l. Verum 64.* in principio, junctâ Gloſſ. *ff. pro ſocio*: ubi dicitur, quòd ſocietas jus quodammodo fraternitatis in ſe habet: & Gloſſ. ibi: *quia ſocietas eſt vinculum quoddam fraternitatis*, idemque ſcribit Jaſon. in *l. quæ dotis, col. 13. in 3. caſu, ff. ſol. matrim.* Idcircò, quos impensè diligimus, plerùmque fratres vocamus, ut notat etiam Juriſconſultus in *l. Nemo*, §. 1. *ff. de hered. inſtit.* Cui conſonat quod Pythagoras dixit, videlicèt, in amicitia unum ex pluribus fore efficiendum; quod etiam tradit Tullius, *lib. 1. offic.* Hanc amicitiam, hancque plurium unionem debere intèr Reges, & Principes Chriſtianos, ſi fortè forent diſcordes, illicò excitari, foveri, firmari, quando Turcarum Tyrannus contrà aliquem eorum armis in-

inſurget, ratio naturalis ſuadet; quia communis Hoſtis eſt;undè omnium vires contra illum debent uniri ad illius robur infirmandum; debet fieri in amicitia cor unum, & anima una; quia virtus unita fortior: in quo ſenſu liceat nobis intelligere verba Apoſtoli ad *Epheſ. cap.4. verſ.* 5. dicentis -- Soliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis; ac ſi dicat. Doctor Gentium: Audite Reges: Audite Principes Chriſtiani: Deus, qui vos creavit, eſt unus: Chriſtus, qui vos redemit,eſt unus:Baptiſma, quod ſuſcepiſtis, eſt unum: Fides, quam profitemini, eſt una. Ergò ſi Turcarum Tyrannus, ſi Hoſtis communis aliquem ex vobis aggreditur, debetis hanc unitatem oſtendere, Arma veſtra, homines veſtros, potentiam veſtram, vires veſtras in dirum Aggreſſorem unientes, in favorem Aggreſſi unanimitèr militantes; præſertim, ſubdo ego, ſi ab eo aliquod beneficium accepiſtis; quo in caſu intrat obligatio antidoralis,quà quiſq;benefacere tenetur benefacienti; quamque non eſſe taxatam, neque debitam ex juſtitia, ſed ex amicitia, probant jura ſuperiùs in *not.*5. allegata. Audiendus itàque eſt Ariſtoteles,dicens,*Retb.ad Alex.cap.*3.-- Oportere quemque, aùt pro ſe arma ſumere (intellige juſtâ cauſâ interveniente) aùt pro Benefactoribus, aùt Sociis, injuriâ affectis, auxilia ferre.

18 Demùm ultima, & forſan validior, quâ moveor, ratio, deſumitur ex humanæ naturæ communione, ſeù hominum intèr ſe conjunctione,quam vel ſolam ad ſuppetias ferendas ſufficere probat Bart. ad *l. Hoſtes, ff. de cap. num.* 9. Innoc. *ad capit. Sicut, de jurejur. & ad Capit. Olim, de reſtit. ſpoliat. num.* 10. Sylv. in *v. Bellum, qu.* 8. cum aliis, Democrito in admiſſione hujus veritatis adhærentibus, ſcribenti -- „ Injuriâ oppreſſos defendere pro „ viribus oportet: illud enim „ juſtum, bonumque eſt, cui conſonat, quod ſcribit Seneca, *de ira, lib.2. cap.7.*dicens - Ho„ mo in adjutorium mutuumge„ neratus eſt. Idemque voluiſſe. S.Amb. *de offic. lib.* 1. *cap.* 5. ſuadere videtur Regibus, & Principibus, quos præcipuè decet juſtitia, & fortitudo, dùm ſcripſit: *Fortitudo, quæ defendit infirmos, plena juſtitiâ eſt.* Obſtringit itaque Reges, & Principes vel ipſa Natura humana, etiam cæteris deficientibus, opem ei ferre; qui bello ab Hoſtibus, præſertim Infidelibus,impetitur.Hinc conſuetum eſſe hominum morem in anguſtiis, & in negotiis,

præ-

præſertìm arduis aliorum, nempè non ſolùm Fœderatorum, ſed etiam Amicorum, opem adhibere, probat Textus in *l. Amiciſſimos*, in princ. *ff. de excuſa. tutor. & in l. Sciendum, ff. de uſur. & l. Scio*, in princ. *ff. de ann. leg.*

19 Moveor tertiò exemplo (pluribus aliis brevitatis gratiâ prætermiſſis) in S. Pio V. in Philippo II. Hiſpaniarum Rege Catholico, in Aloyſio Mocenico Venetorum Duce, qui conſpicientes Solymanum, & deinceps Selynum ejus filium Turcarum Tyrannos Cyprum expugnare tentantes, quam Selynus victor occupavit, referente Ciacconio mox citando, putantes ſibi ex debito curam incumbere Turcarum conatus coercendi; atque Inſulam ad Chriſtianam Rempublicam ſpectantem, defendendi, inito intèr ſe fœdere, & claſſe communibus juribus comparatâ, pugnæ Navalis Duce Joanne de Auſtria Philippi II. Fratre creato; & Pontificiæ Claſſi M. Antonio Columna, à S. Pio V. præfecto, adversùs eos Navalem expeditionem miſerunt, quam Pontifex ſolemni ritu, navibus, ac Militibus luſtratis, ſacris benedictionibus eſt proſequutus; Militibus pecuniam diſtribuens, hiſce verbis alacritèr hortatus eſt — Ite victoriam relaturi, ſi ſpem in Chriſto habueritis: incœpto prælio, Chriſtianorum Arma, Deo auxiliante, victoriam, omni Poſteritati commemorandam, reportaverunt die 7. Octobris, anno 1571. ideòque ſub illa die quotannis celebratur Feſtum S. Mariæ de Victoria, ſub Invocatione Roſarii, ut videre eſt in *Conſtit. Monet* 11. Greg. XIII. Expoſitum factum exprimitur in d. *Conſtit.* Greg. & in *Conſtit.* 142. *Poſtquam nupèr*, ac in *Conſtit.* 146. *Cum nos*, S. Pii V. atque refertur à Ciacconio, *to.* 3. *hiſt. Pontificum in Vita S. Pii V.* Signantèr §. *Solymano, ſub anno Chriſti* 1566. pag. mihi 993. Plura alia exempla rem noſtram concernentia hîc omittuntur, quia relata in *Theol. Bell. tom.* 1. *lib.* 1. *diff.* 11. *num.* 9. & ea, quæ ſemel dixi, aùt ſcripſi, repetere, nunquàm abſque urgente neceſſitate, mihi placuit.

20 Concludimus igitùr; immaniſſimo Turcarum Tyranno bellum adversùs aliquem ex Regibus, aùt Principibus Catholicis gerente, teneri alios Reges, & Principes non tantùm Catholicos, ſed etiam Acatholicos arma ſumere, & Regem, ſivè Principem invaſum propugnare.

21 Ad oppoſita reſpondetur: Ad primum; negando minorem, nempè Summo Pontifici prohiberi exercitum convocare

re contra Hoſtes; præſertim infideles. Papæ enim competere jure Divino utramque poteſtatem ſpiritualem, ſcilicèt, & tempotalem, habetur in *Capit. omnes*, *diſt.* 22. ubi Gloſſ. *v. Cœleſtis*, inquit: Papa utrumque gladium habet ſpiritualem ſcilicèt, & temporalem: & aſſerit S. Bernardus, *lib.* 4. *de conſiderat. ad Eugenium III.* quem alloquens ſic dicit -- Qui gladium materialem tuum negat, non ſatis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis: Converte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo & ipſe, nutu tuo ſorſitan, & ſi non tuâ manu evaginandus: alioquin ſi nullo modo ad te pertineret; dicentibus Apoſtolis: ecce gladii duo hic, non reſpondiſſet Dominus, ſatis eſt, ſed nimis eſt. Uterque ergo Eccleſiæ, ſcilicet gladius ſpiritualis, & materialis; ſed is quidem pro Eccleſia, ille verò ab Eccleſia exercendus eſt, ille Sacerdotis; is Militis manu, ſed ſanè ad nutum Sacerdotis, & juſſu Imperatoris: Undè in Pontificum geſtis ſummè laudantur hi, qui Exercitum contra Turcas, ſeù Sarracenos convocaverunt, ut ſunt intèr alios, Eugenius III. *Conſtit.* 3. *Quantum*, Gregorius VIII. *Conſtit. unic. Audita*, Innocentius III. *Conſtit.* 12. *Ad liberandum*, S. Pius V. *Conſtit.* 142. *Poſtquam nupèr*, & *Conſtit.* 146. *Cum nos*. Ad jura; quæ in contrarium producuntur, patet reſponſio ex verbis allegatis Melliflui Doctoris, videlicèt Eccleſiaſticis interdici gladium materialem exercere manu propriâ; ſecùs verò Eccleſiaſticorum nutu, juſtâ causâ interveniente: Idemque ſentit Card. Turrecr. in *Capit. Omni timore*, *num.* 1. *cauſa* 23. *qu.* 8.

22 Ad ſecundum: admittendo à Turcis injuriam, & moleſtiam aliis Principibus minimè inferri ſempèr actu; ſecùs verò habitu: Quamvis enim Turcæ actualitèr non impugnent Reges, & Principes Chriſtianos, fortè ex defectu potentiæ, aùt opportunitatis, ut ſuperiùs notavimus, ſempèr tamèn creduntur habitu velle eos impugnare; undè veriſimile eſt, quòd auctâ eorum potentiâ, eiſque opportunitate adveniente, armis contra ipſos inſurgent, & Eccleſiam Dei, cujus ipſi ſunt Defenſores, perſequentur. Turcis igitur, quamvis aliquando ſint in pace, nullamque adferant toti Chriſtianæ Reipublicæ inquietudinem, ſed tantùm alicui ex ejus principibus, non eſſe indulgendum, ſed bello eos impetendos, admonet Textus in *Capit. Noli*, in fin. *cauſa* 23. *quæſt.* 1.

23 Ad tertium: nobis nequaquàm conſtare, velle Deum nos punire per Turcas, cum poſſit

poſſit tot aliis modis ſuam in nos juſtitiam punitivam exercere. Re itaque ignotâ, nobis jus competit nos, & noſtra tuendi, & conſequentèr arma vindicativa contra eos ſumendi, ad moleſtiam actualem adversùs Principem invaſum, & habitualem contra alios reparandam: & ità etiam ſentire videtur D. Th. 2.2.*p.*10. *art*.8. Ulteriùs: quando Deus Chriſtianos punit ſivè Turcarum armis, ſivè aliis flagellis, non eſt præſumendum, Divinam punitionem eſſe perpetuam; cum Deus ipſe dicat per Ezechielem, *cap*. 18. *verſ*.30. *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas*; ſed eſſe ad aliquod tempus, quo tranſacto, poſſumus præſumere, Deum velle à punitis remedia adhiberi, quibus queant malis, quæ adhibuit ejus punitiva Poteſtas, obviare. Hinc rectè fuit proſcripta à Leone X. *Conſtit*. 40. *Exurge*, Propoſitio Lutheri, quæ eſt 34. in ordine: *Præliari adversùs Turcas, eſt repugnare Deo viſitanti iniquitates noſtras per illos*.

24 Ad quartum: admittendo, non licere Principibus arma ſumere ad imminuendam Potentiam creſcentem, quam auctam timent ſibi, vel ſuæ Reipublicæ nocituram; quando timor non eſt rationabilis, ideſt rectæ rationi conformis; quando non conſtat de animo Potentis, neque de ejus Potentia, præſertìm quando agitur de Principibus Chriſtianis, quos in dubio, pace exiſtente, non eſt præſumendum velle alteri nocere, niſi ad ſummum experientiâ probaretur oppoſitum: quo in ſenſu intelligenda ſunt jura contra nos allegata; Secùs verò loquendo de Turcis, quos Chiſtianorum hoſtes, quandoque actu, ſemperque habitu eſſe, ſuperiùs oſtendimus; quorum cupiditas Chriſtianæ Reipublicæ nocendi, crudelitas ulciſcendi, libido dominandi, animus imperium dilatandi, experientiâ probatur in tot Populis ſacro Fonte ablutis, eorum tyrannide oppreſſis, in tot Civitatibus, Provinciis, Regnis, Chriſtianæ Reipublicæ ereptis. Decrevit Chriſtianorum imperium, quia imperium Turcarum crevit. Ergò creſcente eorum potentiâ, licet Principibus Chriſtianis arma ſumere ad illam imminuendam, quam auctam rationabilitèr timent ſibi, vel Chriſtianæ Reipublicæ nocituram.

25 Ad quintum: concedendo in bello multos decedere; ſed negando multos in bello decedentes damnari, nàm Milites in bello contra Infideles rectâ intentione arma ſumentes placere

cere Deo, habetur ex *Capit. Noli exiſtimare*, & *Capit. Quid culpatur, cauſa* 23. *quæſt.* 1. & & *Capit. Omnium, eâdem cauſâ, qu.* 5. ubi dicitur, in bello juſto morientes ob ſolam rationem belli nequaquàm damnari, & pugnantes contrà Infideles ſalvari: aliàs nunquàm liceret juſtè bellare, quod repugnat Sacræ Scripturæ, ubi præcipitur bellum. *Num. cap.* 10. *verſ.* 2. *Deuter. cap.* 23. *verſ.* 9. & *Pſ.* 143. *verſ.* 1. ubi Deus ipſe bellare edocet David; & alibi: Ideòque S. Aug. *in Epiſt.* 1. *ad Bonifacium Comitem*, relatus *in d. Capit. Noli*, inquit - Noli exiſtimare, neminem Deo placere poſſe, qui armis bellicis miniſtrat: In his erat S. David, cui Dominus tam magnum perhibuit teſtimonium: In his etiam plurimi illius temporis Juſti. In his erat ſanctus ille Centurio, qui Domino dixit: Non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum. Hoc ergò primum cogita, quando armaris ad pugnam, quia virtus tua etiam ipſa corporalis donum Dei eſt.

26 Ad ultimum, fatendo, Acatholicos verè non eſſe de Eccleſia, ſed ad Eccleſiam aliquo modo pertinere, demonſtravi in *Rom. Pontif. Prop. Art.* 19. *num.* 105. ubi apparet, eos præceptis Eccleſiæ fore obſtrictos, de illiſque Eccleſiam judicare, & ſententiam excommunicationis in illos proferre, ad Text. *in Capit. Ad abolendam, de hæret. in Capit. Quod quidam, Capit. Si quis inquit*, cum ſeqq. *cauſa* 1. *qu.* 1. Si igitur Acatholici ad Eccleſiam, ſeù Chriſtianam Rempublicam aliquo modo ſpectare cenſentur, dicendum eſt, etiam illos teneri arma ſumere, contrà Turcarum Tyrannum, & Regem, ſivè Principem Catholicum ob illo invaſum propugnare.

27 Infero primò ex dictis, ad invaſi Regis, ſivè Principis nocumentum impediendum, Regibus, ac Principibus Catholicis, & Acatholicis licere arma ſumere, & bellare, non ſolùm contra Turcas, ſed etiam adversùs eorum Fautores, atque Defenſores; ità paritèr ſentire videtur Bonacin. *de reſtit. diſp.* 2. *qu. ult. punct. ult. num.* 6. cum aliis, quos refert Caſtropal. *de charit. Tract.* 6. *diſp.* 5. *punct.* 3. *num.* 4. & intèr Juriſconſolatos, Tiraquel. *de pœn. temp. aùt remit.* ubi alios producit.

28 Infero ſecundò, Principes Catholicos teneri omni, quo poſſunt, conatu, Turcarum tranſitum per ſuas Provincias impedire; præſertìm, ſi conſtet, eos velle tranſire contra aliquem Principem Catholicum pugnaturos, & aliàs facien-

ciendo,ſeù eis tranſitum tacitè, & fortiùs expreſſè concedendo, incurrere excommunicationem Bullæ Cœn. tanquàm Infidelium auxilium præſtantem,eorumque Fautorem,quod etiam tradit Reginal. *lib.6. ſuæ praxis*, *num.*298.

29 Infero tertiò, Fidelibus, contra Turcas ituris,tranſitum innoxium, ideſt ſine damno, & detrimento, ab aliquo Principe ſivè Catholico, ſivè Acatholico per ſuas Terras poſtulantibus, eſſe indulgendum; quod etiam monet Textus in *Capit. Notandum eſt,cauſa* 23. *quæſt.* 2. & hujuſmodi tranſitum denegatum juſtam eſſe cauſam belli, cum debita poteſtate indicendi Deneganti, probat factum enixè laudatum, in *lib.Numerorum,cap.*21.*verſ.* 21. *& ſeqq.* memoratum Filiorum Iſrael,qui bellantes,jubente Deo,ut notat Card.Turrecrem. in d.*Cap. Notandum eſt*, contra Sehon Regem Amorrhæorum ob tranſitum per ſuam Ditionem eis denegatum: Exercitu profligato, Rege occiſo, Ditione occupatâ, felicitèr triumpharunt. Quod quippè bellum vocatur juſtum à S.Aug. *in quæſtionibus Numerorum*, relato in *d. Capit. Notandum eſt*, ibi ſic dicente -- Notandum eſt
„ ſanè, quemadmodùm juſta
„ bella gerebantur à Filiis Iſrael
„ contra Amorrhæos: innoxius
„ enim tranſitus denegabatur,qui
„ jure humanæ ſocietatis æquiſ-
„ ſimo patere debebat.

30 Infero quartò, bellum contra Catholicæ Fidei Hoſtes,preſertìm Turcas, nedùm licitum, & juxtà temporum opportunitatem, neceſſarium, ſed etiam meritorium eſſe dicendum: Huic illationi favet etiam Textus in *Capit.Omni timore*, *cauſa* 23. *qu.*8.ubi ſi quiſpiam pro veritate fidei, & ſalute Patriæ, ac defenſione utilitèr omni timore, ac terrore depoſito, contra Adverſarios mortuus fuerit, à Deo cœleſte præmium conſequetur. Quod paritèr notat Criſpolt. *in ſuis caſib. militaribus*, *caſ.*2. *num.*8.

31 Infero quintò, bellum ſacrum contra Turcas juvantes ſivè in perſona, ſivè pecuniarum oblatione, ſivè armorum delatione, ſivè quocunque alio modo,dùm pro univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ bono operantur, laborant, patiuntur, & mortis periculo ſe etiam exponunt, meritò multis gratiis ſpiritualibus, & temporalibus gaudere: atque à multis oneribus eximi, ut videre eſt in præallegata *Conſtit.*146. *Cum nos*, *Pii V.* Vocamus bellum ſacrum illud, quod fit authoritate Summi Pontificis contra Infideles; quod etiam advertit Illuſtriſſimus Petra in ſuis*Comment. ad Conſtit. Apoſtol. to.*2.

in Conſtit. unic. Greg. VIII. *Audita, ſect. 1. num.* 4. Quomodo bellum contra Infideles, præcipuè bellum Cruciatæ adversùs Turcas, & Sarracenos ſit indicendum; & quibus privilegiis fruuntur, qui illud adjuvant; vel ad illud accedunt; vide præallegatas Summorum Pontificum Conſtitutiones; præſertìm Conſtitutionem 12. *Ad liberandum*, Innoc. III. Conſtitutionem 3. *Quantum*, Eugenii IV. Conſtitutionem 146. *Cùm nos*, S. Pii V.

32 Infero ſextò, Principes, qui non ſatagunt, quando poſſunt & debent, propulſare Turcarum, aliorumque Infidelium violentias, quibus populi Chriſtiani opprimuntur, culpam gravem committere contra charitatem, & contra ſtrictiſſimum naturæ vinculum de damno, & detrimento proximi, & moltò magis Chriſtianæ Religionis, impediendo.

33 Infero ſeptimò, & ultimò, Principes Catholicos noſcentes, bellum, quod intèr ſe gerunt, ſuppetias Principi à Turcis invaſo præſtandas præpedire, ſtatim teneri, ſi periculum eſt in mora, à bellando deſiſtere, & pacem intèr ſe firmare. Bella enim, atque diſcordias, quibus Chriſtiana Reſpublica vel quoad partem, vel quoad totum notabilitèr offenditur, fore à Chriſtifidelibus, potiſſimùm Principibus, odio habendas, & penitùs evitandas, Chriſtianam Rempublicam defenſuris, clarè oſtendimus in noſtro *Rom. Pontif. Propug. Art.* 15. §. 4. Pace verâ tùm publicâ, tùm privatâ, nihil utilius, nihil jucundius, nihil deſiderabilius ſenſibilitèr in Orbe reperiri, fuit paritèr à nobis, communi omnium ſenſui adhærentibus, demonſtratum in *eod. art.* 52. Nil aliud nunc addendum ducimus, niſi monitum S. Bernardi, dicentis *ſerm.* 41. *de mod. ben. viven.* pag. mihi 1283. in fin. eum eſſe maledictum, qui amat, & ſeminat diſcordias. Huic maledictioni non eſt dubitandum eos potiſſimùm ſubjacere, qui ſeminant, & fovent diſcordias, & bella intèr Principes, & Succeſſorem Principis Apoſtolorum, quod ipſi directè repugnaret tanquàm Pacis Amatori, uti Vicario Chriſti, pacem Orbi per Angelos annunciantis, dum naſcitur, *Luc. cap.* 2. *verſ.* 13. & pacem Orbi relinquentis, dùm moritur, *Joann. cap.* 14. *verſ.* 27. Quodque opus eſt diaboli, ſummo odio pacem, & unitatem Fidelium, tanquàm Diſſenſionum Authoris, ſempèr habentis. Diſcordias itàque & bella cupiens Rex David in Orbe extingui, & diaboli triumphos præpediri, cuilibet ſuadet, dicens, *Inquire pacem,*

&

& perſequere eam, Pſ.33. verſ. 15. idemque ſummo zelo replicat Marcus Evangeliſta, *Pacem habete intèr vos, cap. 9. verſ. fin.* Audite Principes vocem Domini, audite. Pacem habete intèr vos. Perquirite Principes, qui bellatis, perquirite hanc pacem: Vos eſtis Legati, & Proconſules Dei, Gloſſ. *in rubr. in Authen. de hære. & falc.* qui vult pacem: Ergò oportet vos eſſe pacificos. Diligite pacem, ò Reges, ò Principes, qui vicem geritis in Terris Domini Dei Exercituum, Jer. *cap.46. verſ.* 10. ſi cupitis contra Turcas, aliosque Infideles bellum felicitèr gerere. Firmate, ò Reges, ò Principes, firmate intèr vos pacem, ut omnes in Chriſto Domino indiſſolubilitèr uniti valeatis præſtantiùs & fortiùs adversùs quoſcunque Chriſtianæ Reipublicæ Hoſtes bellare, Honorem Divinæ Majeſtatis ubique ſuſtinere, concupitam Fidelium unitatem jugitèr conſervare; ut tandem adimpleatur, quod toto ſui ſpiritus ardore optabat Apoſtolus, ad *Epheſ. cap.4. verſ.4. Unum corpus, & unus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ. Unus Dominus, & una Fides; unum Baptiſma; unus Deus & Pater omnium, qui eſt ſupèr omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.*

Lib. III. Diff. pertin. ad Officiales Exercitus, additur ſequens Difficultas.

Auditor Generalis Exercitus mandat exequi in quemdam Militem ſententiam mortis, quam ejus Miniſtri certò ſciunt eſſe injuſtam, dubitatur, nùm Miniſtris illis liceat hujuſmodi mandato parere.

1 NOtandum primò, cuivis Exercitus Duci dari Miniſtrum, qui Auditor Generalis nuncupatur; cui onus incumbit omnium Militum culpas inquirendi, eoſque puniendi nomine Ducis, ut advertit Maſtrill. *de Magiſtr. lib.5. cap.16.* & fuit per me notatum *diff.9. hujus libri.* Et hunc Miniſtrum, qui habet brachium regium, ut notat Criſpolt. *de*

caſib. milit. caſ. 14. *n.* 13. & arbitrium procedendi nullo juris ordine ſervato, idem *ibid.* poſſe fidem adhibere cuicunq; Teſti, notato etiam pluribus infamiæ maculis, tradit Cavalcan. *de Brach. Reg. part.* 1. *n.* 147. & in ſpecie Satellitum, qui ex diſpoſitione juris communis excluduntur, idem, *par.* 2. *n.* 74. & 75. Bardellon. *conſ.* 22. *num.* 28. *lib.* 1. ubi ſubdit, ratione abſoluti arbitrii, Judici à Principe dati, poſſe, non attentâ juris diſpoſitione, adhibere fidem Teſtibus etiam reprobatis, præſertìm, ſi habeat facultatem procedendi de facto & more, & ad modum belli, cum tunc poſſit etiam probationes extrajudicialitèr attendere, & ſecundùm conſcientiam judicare, nullâ actorum, & probatorum habitâ ratione, ut docet Cavalcan. *par.* 1. *num.* 144. & *nu.* 273. Criſpolt. *loc. cit. num.* 15. citans pro ſe D. Thomam in 2. 2. *qu.* 64.

2 Notandum ſecundò, Duci Exercitus hunc aſſignari Miniſtrum, quia non videtur expediens, ut Dux ipſe in delictis militaribus perquirendis curam impendat, aliis gravioribus negotiis intendens.

3 Notandum tertiò, hunc Miniſtrum ſoli Duci ſubeſſe; & in omnes militiæ Officiales animadvertere, appellatione poſtpoſitâ, ſolo recurſu ad ipſum Ducem permiſſo, tenet Ginuz in ſua *Diſciplina Militari, lib.* 3. *tit. de Auditore*; & Tullius Criſpolt. in ſuis *Caſib. Militar. caſ.* 29. *num.* 15. ubi dicit, ità experimentum docere.

4 Notandum quartò, prætèr Auditorem generalem, adeſſe quoque Auditores particulares uniuſcujuſque Regimenti, ſeù Tertii, ſaltèm in aliquo Exercitu, ad quos pertinet vice Tribuni Militum, vulgò *Maeſtro di Campo*, ſeù *Colonnello*; cui ſubſunt, delicta militaria paritèr perquirere, atque punire, eſtò hi non valeant Milites delinquentes, Duce inconſulto, ad mortem damnare; ſicut nec ipſi Militum Tribuni, ſeù *Maeſtri di Campo*, quos ipſi repræſentant.

5 Notandum quintò, aliis Miniſtris, Duce inferioribus, vitæ, neciſque poteſtatem nequaquàm competere, & probat Textus in *l. Officium*, in fin. *ff. de re militari*, ibi — Delicta ſecundùm ſuæ authoritatis modum caſtigare, &c. Quod notat Ayal. *de offic. & jur. bell. lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 8. Martin. Laud. in *Tract. de Milit. q.* 37. cum aliis, quos refert Criſpolt. *loc. cit. num.* 21. Ab hiſce proptereà Miniſtris datur recurſus, & appellatio ad Ducem, vel ad Ducis Auditorem generalem, qui de cauſa Delinquentium, ſivè Recurrentium ſummariè co-

cognoſcat, ut tradit Ginuz, *loc. cit.*

6 Notandum ſextò; Auditori generali, Auditoribus particularibus, aliiſque Officialibus, extrà exercitium militiæ, & extrà pugnam actualem, in quà delicta, juxtà eorum qualitatem, & exceſſus, ſempèr tamèn æquo, ſivè juris ordine ſervato, poſſunt etiam uſque ad mortem puniri, nequaquàm licere Militem delinquentem vulnerare; quod juribus, rationibus, ac exemplis demonſtravimus hoc *lib. diſſ. 9. num.* 8. nunc tantummodò addimus, quamdam, ſeù modicam eis permitti coercitionem; quod probat Textus in *l.unic. Cod.de emenda. ſervorum*, ubi Conſtantinus Imperator concedit Dominis modicam coercitionem circa ſervos delinquentes, ut notat ibi Gloſſ. *v. Virgis, aùt loris*; & dominorum ſævitiam in eos abſolutè proſcribit, apertè declarans, illos Dominos reos eſſe homicidii, qui voluntate ſervum ictu fuſtis, aùt lapidis occiderint, aùt enſe, ſivè gladio lethale vulnus inflixerint, aùt alio modo eis vitam ademerint.

7 His cum aliqua prolixitate, ità re noſtrâ exigente, adnotatis, ad difficultatem propoſitam, an quando Auditor Generalis Exercitus mandat exequi in quemdam Militem ſententiam mortis, liceat ejus Miniſtris certò ſcientibus hujuſmodi ſententiam eſſe injuſtam, mandato Auditoris Generalis parere, videtur affirmativè reſpondendum; nàm licitum eſſe id, quod ſecundùm ordinem juſtitiæ putatur, non videtur ambigendum; ſed poteſt quandoque contingere, quempiam cogi ſecundùm ordinem juſtitiæ mortem dare innocenti: Judex enim, qui obſtringitur ſecundùm allegata judicare, condemnat ad mortem eum, quem ſcit innocentem, per falſos teſtes convictum reum. Ergò ſimilitèr licita erit ejus ſententiæ exequutio facta per Miniſtros, injuſtitiam ſententiæ certò noſcentes. Tum quia, *l.* 1. *ff. de his, qui ſui, vel alien. juris ſunt*, dicitur, ſervos eſſe in poteſtate Dominorum; hancque poteſtatem eſſe juris gentium; cùm apud omnes peræque Gentes animadvertere poſſimus, Dominis in ſervos vitæ, neciſque poteſtatem adfuiſſe. Tum quia, Textus in *Capit. Paſtoralis*, §. *Quia verò, de offic. & pot. Deleg.* dicit, quòd Innocentius III. mandat Ordinario executionem ſententiæ Delegati, eſtò ſciat eſſe injuſtam. Prætereà, Apoſtolus, ad *Epheſ. cap. 6. verſ.* 5. ità admonet ſervos: *Servi obedite Dominis carnalibus cum timore, & tremore in ſimplicitate cordis veſtri*: Et

in

in *Epiſt. ad Coloſſ. cap.* 3. *verſ.* 22. repetit -- *Servi obedite per omnia Dominis carnalibus, non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed in ſimplicitate cordis, timentes Deum.* Item 1. ad *Timot. cap.* 6. *Servi Dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini, & doctrina blaſphemetur.* Demùm, idem videntur docere SS. Patres, & intèr cæteros, S. Aug. contra Fauſtum Manichæum, relatus in *Capit. Quid culpatur, cauſa* 23. *q.* 1. Milites ſic erudiens -- Vir
» juſtus ſi fortè etiam ſub Re-
» ge homine ſacrilego militet,
» rectè poteſt, illo jubente, bella-
» lare; ſi vice pacis ordinem
» ſervans, quod ſibi jubetur, vel
» non eſſe contrà Dei preceptum,
» certum eſt; vel utrum ſit, cer-
» tum non eſt: Et Subditum non teneri inquirere ſupèr hac certitudine, tradit Navar. *lib.* 2. *de reſtit. cap.* 3. *p.* 2. *dub.* 12. *num.* 206. cum aliis, quos producit Diana, *tom.* 7. *tract.* 7. *de bello, reſ.* 36. *ſub num.* 5. Item D. Th. in 1. *ad Timot. cap.* 6. *lect.* 2. dicens -- Si enim Domini infideles ſervos ſuos intuitu fidei rebelles ſentirent, damnarent nomen Chriſti, & blaſphemarent doctrinam noſtram. Additur Concilium Gangrenſe, quod *Can.* 3. contrariam proſcripſit ſententiam, quæ dicebat, obedientiam à ſervis non eſſe præſtandam ſuis Dominis, etiamſi Ethnicis, & Paganis: En Canon -- Si quis doceat ſervum
» pietatis prætextu Dominum
» contemnere, & à miniſterio re-
» cedere, & non cum benevolen-
» tiâ, & omni honore Domino ſuo
» inſervire, ſit anathema, *in nova Summa Concil. to.* 1. *pag.* 70.

8 Fateor, hoc reſponſum primâ facie aliquam veritatis ſpeciem oſtendere; cui propthereà acquieſcere cogitabam. Re tamèn maturiùs perpensâ, contrarium duxi ſuſtinere; nempè, nequaquàm licere Miniſtris Auditoris Generalis Exercitus ejus ſententiam mortis in Militem prolatam executioni mandare, evidentèr noſcentibus, illam eſſe injuſtam. Nobis favent Felin. in *Capit. Paſtoralis*, §. *Quia verò, num.* 24. *de off. & poteſt. Deleg.* Card. Turrecr. in *Capit. Qui reſiſtit*, §. *Ad ſecundum ſub num.* 9. in fin. *cauſa* 11. *q.* 3. Laym. in d. *Capit. Paſtoralis*, *eod.* §. *Quia verò, num.* 7. & *in capit. De cætero, num.* 3. *de ſent. & re jud.* & etiam SS. Patres, D. Th. 2. 2. *qu.* 64. *art.* 6. *ad* 3. & alii mòx in motu primo tangendi: Dein, Innoc. in *Capit. Ad aures, de tempo. ord.* Abb. in *Capit. Paſtoralis*, §. *Quia verò, off. & poteſt. Deleg.* Turrecrem. in *Capit. Si dominus, cauſa* 11. *q.* 3. Suarez, *de Charit. diſp.* 13. *ſect.* 6. *num.* 8. Caſtropal. *tom.* 1. *tract.* 1. *diſp.* 2. *punct.* 8.

punct. 8. *num.* 2. Dian. *tom.*7. *tract.*7. *reſ.*36. *ſub num.*5. cum aliis.

9 Movemur primò juribus in *Capit. Qui juſtus*, *cauſa* 11. *qu.*3. ubi S. Aug. ait, ſubditos non poſſe cogi ad malum, ſcientes, obedientiam non eſſe ſervandam Prælatis in rebus illicitis. In *Cap. Si quis Epiſcopus*, *ead. cau. & qu.* ubi Eutychianus Papa prohibet parere Epiſcopo, qui pro hæreticis Miſſam cantare jubet. In *Capit. Non ſempèr*, *eadem cau. & q.* ubi idem Aug. docet, non ſempèr malum eſſe non obedire præcepto, cum Dominus poſſit jubere ea, quæ ſunt Deo contraria; *Capit. Si Dominus*, *ead. cauſa*, *& q.* ubi S. Hieronymus aſſerit, ſervum ſubiici quidem Domino jubenti ea, quæ Sacris Scripturis minimè adverſantur, contraria verò præcipienti non debere obedientiam præſtare; *Capit. Julianus*, *ead. cau. & q.* ubi S. Ambroſius admonet, non eſſe audiendos eos, qui contrà Deum aliquid jubent. Alia innumera adſunt jura, non ſolùm canonica, ſed etiam civilia, brevitatis cauſa omiſſa, quibus noſtrum aſſertum mirè, & punctualitèr roboratur.

10 Movemur ſecundò, rationibus in Sacrâ Scripturâ fundatis, præſertim, *Act. cap.* 5. *verſ.*29. ubi habetur — *Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.* Ergo nefas eſt hominibus parere, ea præcipientibus, quæ Deo, cui magis parendum eſt, adverſantur. Neminem autem latet, quamcunque ſententiam, quæ injuſta eſt, Deo, qui juſtus eſt, *Quoniam juſtus Dominus, & juſtitias dilexit, Æquitatem vidit vultus ejus. Pſ.*10. *ver.* 8. omnimodè adverſari. Tum quia, motus obedientiæ ſubditorum procedit à motu præcepti Superiorum; atqueadeo Superiorum præcipere debet ſempèr correſpondere ſubditorum obedire. Si igitur motus Superiorum in præcipiendo eſt injuſtus, motus ſubditorum in obediendo erit injuſtus; & ſucceſſivè illicitus reputabitur. Poſtremò, docet D. Th. 2.2. *qu.*104. *art.*5. *in corp.* quòd obediens movetur ad imperium præcipientis quadam neceſſitate juſtitiæ, cum Ordo juſtitiæ requirat, ut inferiores ſuis Superioribus obediant, quod tradit idem D. Th. *loc. cit. art.* 6. *in corp.* quando tamen juſtum ſupponitur Superioris imperium. Ergo ſi Obedienti conſtaret præcipientis imperium eſſe injuſtum, quâdam neceſſitate injuſtitiæ moveretur. Ergo illicitus ejus evaderet motus.

11 Movemur tertiò innumeris factis, ſeù exemplis, ab Eccleſiaſtica Eruditione productis, tot

tot Miniſtrorum, ſeù Carnificum, qui exequentes in conſtantes Fidei Chriſtianæ Confeſſores injuſtam Præſidum, ſivè Tyrannorum mortis ſententiam, fuerunt à Deo ſeverè, & quandoque illicò puniti. Horrendum autèm foret aſſerere, ſeveritatem Divinæ Juſtitiæ in Miniſtrorum, ſeù Carnificum obedientiam, quæ illicita minimè eſt, exerceri.

12 Concludimus igitùr; nefas omninò eſſe Miniſtris Auditoris Generalis Exercitus, & cujuſvis Officialis, & Judicis, ei parere, certò ſcientibus, ejus ſententiam mortis in Militem latam, eſſe injuſtam.

13 Ad oppoſita reſpondemus: Ad primum reſpondet Doctor Angelicus *loc.cit.* dicendo, Judici, qui ſcit aliquem eſſe innocentem, qui falſis teſtibus convincitur, onus incumbere omni, quà poteſt, diligentiâ teſtes examinandi, ut valeat motivum, ſeù occaſionem invenire Innoxium dimittendi, ſicut Daniel fecit; ſi verò id agere nequeat, teneri illum Superiori reſtituere ab eo judicandum: ſubdens, viâ ad hoc faciendum omninò præcluſâ, Judicem non peccare, ſi ſuam ſecundùm allegata ferat ſententiam; cum ipſe minimè occidat innocentem, ſed illi, qui eum aſſerunt nocentem. Ex quo ſequitur, ut ibidem ait S. Doctor, Miniſtrum Judicis, qui innocentem condemnat, ſi ſententia intolerabilem contineat errorem illi patentem, nullatenùs debere obedire; aliàs excuſarentur Carnifices, qui ad mandatum Gentilium Præſidum Martyres interfecerunt. Secùs verò, ſi non contineat manifeſtam injuſtitiam: tunc, concludit Doctor Angelicus, Miniſtrum non peccare, præceptum exequendo; cum ad ipſum haud ſpectet diſcutere Superioris ſententiam; neve ipſe infert innocenti mortem, ſed Judex, cui miniſterium præſtat.

14 Ad ſecundùm, nempè ad Legem, Dominis concedentem viræ, neciſque poteſtarem in ſervos, fuiſſe correctam Conſtitutione Antonini Pii, ut notat Borell. *de Magiſtr. Edictis, lib. 1. cap. 1. num.* 182. & infrà, §. *His, aliiſque fortiùs probabitur*: Unde Modeſtinus in *l. Circumcidere, ff. de leg. Cornel. de ſicar.* inquit -- Servo ſine judice ad beſtias dato, non ſolùm qui vendiderit, verùm & qui comparaverit pœnâ tenebitur. Additur, illam poteſtatem, quæ priùs erat Dominorum in ſervos, fuiſſe quoque per Adrianum Imperatorem, ut advertit idem Borell. *loc.cit. ſub n.* 186. moderatam; ſubdens, nequaquàm fuiſſe per ipſum ſublatam modeſtam coercitionem,

quæ

quæ non reſultaret in ſævitiam, ut in d. *l. unica*, *Cod. Emenda. Servor.* Cui conſonat adnotatio Alexandri ab Alex. *Dier. Genialium, lib.3. cap.20.* dicentis -- Supèr Servis quoque ne in eos graviùs æquo Domini animadverterent, pœnæ ſunt conſtitutæ.

15 Ad tertium, nempè ad reſponſum Summi Pontificis Innocentii III. quòd Ordinarius loci, ſeù Judex, accepto Delegati Papæ mandato, volebat cognoſcere ejus ſententiæ vires; undè Papa juſtè admonet, quòd Ordinarius tenetur obſequi Delegato; qui mandans executionem ſententiæ, non mandat cognitionem illius; & ſucceſſivè, quòd is, cui mandatur nuda ſententię executio, non poteſt aſſumere cognitionem ſupèr viribus ſententiæ; quod etiam docet Abb. *loc. cit.*

16 Pro majori hujus doctrinæ intelligentia, advertendum eſt, dari diſcrimen intèr Executorem merum, & Executorem mixtum, ut docet Gloſſ. in d. *Cap. Paſtoralis*, *d.* §. *Quia verò*, *de off. Deleg. verſ. Et ſi ſciat*, Imol. hìc, *num.19.* Layman. hìc, *num.* 7. §. *Adverte*, Anton. Butr. hìc, *num.9.* Illum appellamus merum executorem, cui nulla cognitio, ſed ſola executio cauſæ plenè cognitæ, & deciſæ committitur, quique deputatur ad ſuſpendendum, ad adducendum in poſſeſſionem, vel citandum, vel quid aliud ſimile peragendum in cauſa civili, vel criminali; & hic dubio procul nullam poteſt exceptionem admittere, cum ſit quaſi pica & organum, ut per Tex. in *l. Magis*, §. *Ne tamèn*, *ff. de reb. eorum*, *l.1.* §. *pen. ff. de offic. Præfect. Urbis*. Et colligitur ex *l. Sicut proponis*, *Cod. de execut. re. jud.* Et tradit Gloſſ. communitèr recepta in *Capit. De cætero*, *de judic.* Illum verò dicimus mixtum executorem, cui non mera executio, ſed etiam cognitio mandatur, quod probat Tex. punctualis in *l. Etſi*, *Cod. Si contra jus*. Talem, ſubdimus, eſſe Delegatum, & appellari Executorem; talemque eſſe Executorem, qui à Summo Pontifice per reſcriptum deputatus eſt ad conferendum alicui beneficium, aùt aliquid in alio genere peragendum, ut notat Laym. *loc. cit.* Hunc Executorem habere juriſdictionem, poſſeque legitimas exceptiones admittere, probat Butr. *loc. cit. num.* 9. Primum Executorem, nempè merum, ſivè nudum, de quo tota eſt difficultas; cuique ſola executio cauſæ cognitæ, & deciſæ mandatur, non poſſe exceptiones admittere, & ſucceſſivè, teneri ſententiam Iudicis executioni mandare, libentèr fatemur, dummodò ei

Pp non

non conſtet illam eſse ex aliquo titulo injuſtam; ſecùs verò quando ei conſtat, ſententiam latam in cauſa, ſivè criminali, dùm agitur de occiſione, vel mutilatione hominis innocentis eſſe injuſtam, & ipſe ſciat Reum reipſa eſſe innocentem, & ex falſis allegationibus damnatum fuiſſe, ut notat Laym. in d. *Capit. de cætero, de ſent. & re jud.* ſivè in cauſa civili, & ei conſtet, ſententiam eſſe non ſolum injuſtam, ſed etiam irritam, ut latam contra jura manifeſta, & nullo juris ordine obſervato; tunc nullatenùs licere ei, ſeù Miniſtro Iudicis hujuſmodi ſententiam exequi, oſtendit validiſſimis rationibus Felin. quem producit, & ſequitur Laym. *loc. cit.* Ant. Butr. *loc. cit.* dicens, mandato evidentèr iniquo non eſſe parendum: Et eo in caſu debere Miniſtrum Iudicis, cui exequenda mandatur iniqua ſententia totum factum ad Principem, ſeù Superiorem referre, probat Tex. in *Capit. Supèr eo, de crim. falſ.* & tenent DD. allegati.

17 Ad quartum, nempè ad monita Apoſtoli concernentia obedientiam Superioribus præſtandam, reſpondet D. Th. 2. 2. *qu.* 104. *art.* 5. *in corp.* hæc eſſe intelligenda ſecundum rationem ſuperioritatis, & ſucceſſivè, non teneri inferiorem ſuo Superiori parere, ſi ei aliquid præcipiat, in quo ei non ſubdatur, aſſerente Seneca, 3. *de benef.* eum errare, qui exiſtimat ſervitutem in totum hominem deſcendere, cùm pars melior, videlicèt mens, quæ eſt ſui juris excepta ſit: propterea in his, quæ reſpiciunt interiorem motum voluntatis, hominem non teneri homini obedire, ſed ſolummodò Deo, ſenſus eſt Doctoris Angelici *loc. prox. cit.* ibi adducentis exemplum Militis obſtricti Duci obedire in his omnibus, quæ ad bellum pertinent; Servi obſtricti ſuo Domino parere in his, quæ ſpectant ad ſervilia opera exequenda; filii obſtricti obtemperare Patri in his, quę ordinantur ad diſciplinam vitæ, & ad curam domeſticam.

18 Sed clariùs, & meliùs ad rem noſtram reſpondet S. Doctor, Textus allegatos explanans, ad *Epheſ. lect. 2. dicens* -- Obedite Dominis carnalibus ſicut Chriſto, in his, quæ non ſunt contra fidem, nec contra ipſum. Obedite per omnia Dominis carnalibus, ad *Coloſſ. lect.* 4. per omnia, quæ ſcilicèt non ſunt contra Deum, cui conſonat Diony. Carthuſ. in eumd. Tex. Servi obedite per omnia, ideſt in omnibus bonis. Quis neſciat quamcunque ſententiam injuſtam Deo adverſari? Quis neſciat quodlibet mandatum iniquum intèr mala,

la, non intèr bona enumerari? Dicendum eſt igitùr, non fuiſſe mentem Apoſtoli in præfatis monitis ſervis ſuadere, ſivè præcipere obtemperare Dominis temporalibus in his, quæ Deum offendunt.

19 Ad quintum, ſcilicèt ad authoritatem S. Aug. aſſerentis, poſſe virum juſtum ſub Rege ſacrilego rectè militare. Reſpondetur, id eſſe verum, quotiès ipſi non conſtat de injuſtitia belli; cum tunc præſumere debeat eſſe juſtum, præſertìm ſi ſit ſubditus illud Inferentis. Reus enim quamvis malus juſtum poteſt indicere bellum. Hunc eſſe ſenſum S. Aug. non dubitamus; ità docent Valentia, *tom.* 3. *diſp.* 3. *quæſt.* 16. *punct.*2. Molina, *to.*1. *tract.*2. *diſp.*11. *col.* 3. Navar. *lib.*2. *de reſtitut. cap.* 2. *par.* 2. *dub.* 12. *num.*250. Thom. Sanchez in *Decal. lib.*9. *cap.*3. *nu.*15. Suarez, *de charit. diſp.* 13. *ſect.*6. *num.*8. & alii, quos producit, & ſequitur Diana, *to.*7. *tract.*7. *reſ.*36. *ſub num.* 5. Cæterum, ſi bellum eſſet omninò injuſtum, & ei conſtaret de injuſtitia belli, nullatenùs ei licere in tali bello pugnare, mordicùs tenet Card. Turrecr. in d. *Capit. Quid culpatur*, *cauſa* 23. *qu.*1. *nu.*3. & probat Textus in *Capit. Qui reſiſtit*, & *Capit. Julianus*, *cauſa* 11. *quæſt.* 3. ubi apparet, ſubditum non teneri obedire Domino ſuo præcipienti in hujuſmodi bello pugnare. Secùs verò, ſi tantummodò dubitat de injuſtitia belli, & dubium non ſit practicum: tunc teneri, depoſito tali dubio, parere ſuo Principi, fuit oſtenſum in *Theol. Bellic. tom.* 1. *lib.* 1. *Diff.* 39. *num.*20. & alibi.

20 Ad ſextum, nempè ad authoritatem Doctoris Angelici, patet reſponſio ad quartum, *verſ. Sed clariùs*, ubi liquidò conſtat, mentem hujus Sancti Doctoris eſſe, ſervos teneri obedire ſuis Dominis in rebus licitis, aùt indifferentibus, ſeù in his, quæ Deum minimè offendunt; aliàs ſequeretur, licitam eſſe actionem ex ſui natura malam, ſeù peccaminoſam, ſi ſervo fideli illam mandaret Dominus infidelis; v. g. Chriſtianus Servus Domini Gentilis poſſet inculpatè, ſeù licitè, & impunè Idola venerari, ſi hujuſmodi veneratio à ſuo Domino ei præciperetur, quod ſanè non eſt credendum, voluiſſe aſſerere Doctorem Angelicum.

21 Ad ſeptimum, nempè ad authoritatem Concilii Gangrenſis reſpondetur, contrariam ſententiam rectè fuiſſe proſcriptam, quia abſolutè & abſque ulla limitatione aſſerebat, obedientiam non eſſe à ſervis ſuis Dominis, etiam Ethnicis, & Paganis præſtan-

Pp 2 dam,

dam, minimè ſpecificando, quando Domini eorum præciperent res illicitas, & ab intrinſeco malas; in quo caſu non eſſet cenſurâ notanda, ſeù non eſſet proſcribenda, vel quando ſervi dubitarent de rectitudine præcepti: quo in caſu, depoſito dubio practico, ut ſuprà diximus, tenentur ſervi ſuis Dominis obedire. Præterquàmquod proſcriptio præfati Concilii ſufficientiſſimè juſtificatur per expoſita in ſex ſuperioribus reſponſis.

22 Infero primò ex dictis, eum gravitèr peccare, qui ſervos hortaretur Domino parere, eis præcipienti mortem, aùt aliud notabile damnum proximo inferre, & ipſe evidentèr cognoſceret hujuſmodi præceptum eſſe iniquum, ſivè injuſtum.

23 Infero ſecundò, Officiales lethalem culpam committere, ſi extrà caſus prædictos, nempè extrà exercitium militiæ, & pugnam actualem, in Milites delinquentes, crudelitèr ſæviant, eos vulnerando, aùt occidendo; Secùs verò eos moderatè coercendo. Ad quid teneantur hi Officiales, qui extrà prædictos caſus vulnerant, aùt occidunt Milites delinquentes, cernatur noſtra *Theolog. Bellicæ, tom. 1. lib. 3. diſſ. 9.* per totam.

24 Infero tertiò, præfatam coercitionem in delicta communia militum, extrà caſus memoratos commiſſa, eſſe exercendam apud Auditores privativè quoad alios Officiales; alioquin, ſi unicuique Officiali libertas concederetur Militum delicta coercendi, ſeù caſtigandi, magna oriretur in exercitu confuſio, quæ Rei bellicæ ſummè repugnat: nàm quemadmodùm Exercitus benè ordinatus jucundiſſimus eſt Amicis, & moleſtiſſimus Hoſtibus, ut ex Xenophonte ſcripſit Lipſius in *civil. doctrin. lib. 5. cap. 13.* ità confuſus, ſeù ordine nequaquàm ſervato, Amicis eſt moleſtiſſimus, Hoſtibus verò jucundiſſimus.

25 Infero quintò, ab Auditoribus, aliiſque cujuſvis gradus Judicibus judicium de Reis, non alitèr eſſe faciendum, quàm juxtà allegata & probata, atque perpenſa, quod etiam vult Textus in *l. Illicitas, §. Veritas, ff. de off. Præſid.* nec ità ſummariè eſſe peragendum, ut à præcipiti judicio Reis adimatur defenſio, præſertìm ubi agitur de vita. Scimus enim, Judices in civilibus negotiis obſtringi omnia plenâ diſquiſitione perpendere, & examinare, *l. Judices, & Authen. Jubemus, Cod. de judic.* Ergò exactiùs, & diligentiùs ſe gerere debent, quando agitur de hominum vitâ, quæ eſt ſummum Naturæ bonum.

26 In-

26 Infero ſextò, Judici competenti Militum nullam competere extrà res bellicas juriſdictionem in Incolas Provinciæ, qui Militiæ non ſunt adſeripti; ſaeit quoque Textus in *l. Si Viri illuſtres*, *Cod. de off. Magiſt. Milit. l.* 1. *Cod. de off. Milit. jud.* & apertiùs in *l. Præcipimus*, la ſeconda, *Cod. eod. tit.* Siquidèm, ſieut in Milites nulla eſt aliorum Judicum poteſtas, Milites enim gaudent privilegio, ut non poſſint coram aliis extra Iudieem ſuum conveniri, *l. Si quis*, *ff. de judic. l.* 2. & 3. *Cod. de off. Magiſtr.* ità nec Iudex Militum debet in alios juriſdictionem exereere, ne in Tribunalibus confuſio exoriatur. Diximus extrà res bellicas; nam ubi de Armis, equis, aliiſque rebus ad militiam quovis titulo ſpectantibus ageretur, judieium ad Militum Iudicem privativè quoad alios Iudiees pertineret. Has enim res Militum membra nuneupari, tradit Caball. *reſolut. crimin. caſ.* 294. *n.* 317. *cent.* 3. Et ideò ſicut controverſias Militum ad eorum Iudicem privativè quoad alios, jus, ſivè poteſtas competit cognoſcendi; ità & de eorum membris ipſe ſolus habet judieare; eum de toto ad partem idem ſit judicium, *l. Qua, de tota*, *ff. de rei vendic.* & docent Surd. *Conſil.* 435. *nu.* 21. Gambar. in *Dialectica legali*, *lib.* 1. *loc.* 4. Everard. in *Topic. loc.* 8. Huic noſtræ illationi ſavet exemplum Iudieis Eccleſiaſtici, cui quamvis in Laicos nulla prorsùs eompetat juriſdictio, ſaltèm directa in cauſis merè laicalibus, *Capit. Si clericus*, *de for. compet.* nihilominùs, ſi eontroverſia adſit ſupèr rebus, & caſibus certò Eccleſiaſticis, ipſum eſſe Iudicem competentem, etiam intèr puros Laicos; & quidem privativè quoad alios, probat Textus in *Capit. Tuam*, & ibi Abb. *de ordin. cognit. capit. Cum Laicus*, *de reb. Eccleſiaſt. non alien. capit. Auditis*, *de præſcript. capit. Quanto*, *de judic.* & docet Bart. in *l. Titia*, *num.* 2. & *ſeqq. ff. ſolut. Matrim.* eum aliis, quos producit Criſpolt. *de caſib. Militar. caſ.* 30. *n.* 10. ubi notat, hoc valere, ſivè cauſa ſit civilis, ſivè eriminalis, ſivè realis, ſivè perſonalis. Quando verò apparet, rem non eſſe Eeeleſiaſtieam, aùt propriam Clerici; vel ſaltèm id controvertitur, tunc cauſam eſſe cognoſeendam à Iudiee Sæculari, niſi alitèr in aliqua Regione diſponat Conſuetudo, habetur ex d. *Capit. Si Clericus*; & notat Imola hìc, *num.* 2. Alex. de Nevo, *num.* 1. Laym. *num.* 1. & 2. & ante omnes, Ant. Butr. hìc paritèr, *nu.* 1. ubi quinque caſus ponderat, explieando,

do, in quibus agat Iudex Eccleſiaſticus, & in quibus Iudex Sæcularis. Si igitùr conſtat, rem, de qua naſcitur controverſia, eſſe militarem, ſeù ſpectare ad Milites, vel ſaltèm rationabilitèr dubitatur, fatendum eſt ex paritate rationis, vigore juris allegati, cauſam ad Iudicem Militum pertinere.

27 Inferò ſeptimò obitèr, ad Eccleſiaſticorum eruditionem, quòd ſi Clericus contrà Laicum agat perſonali, aùt reali actione, ad proprium ejus Iudicem, qui eſt forenſis, ſeiù ſæcularis, illum trahere debet; ut etiam habetur in *Capit. Cum ſit, de for. compet. & in l. Actor, Cod. ubi in rem actio*, ubi dicitur Actor Rei forum ſivè in rem, ſivè in perſonam ſit actio, ſequitur: & ità clariſſimè docet Fagn. *loc. cit.* dicens, quòd Laicus, à quo Clericus, vel Eccleſia rem vendicat, debet coram ſuo Iudice laico conveniri: ibidem ſubdens ex Abb. Alex. de Nevo, & Farin. ſupèr re Eccleſ. vel Cleric. poſſe conveniri Laicum coram Eccleſiaſtico Judice. Idem, videlicèt, Clericum contra Laicum agentem perſonali, aùt reali actione debere cauſam ad Iudicem Sæcularem deferre, docet paritèr Laym. *loc. cit.* ubi tres ponit exceptiones, quarum prima eſt, ſi conſuetudine receptum ſit, à Iudicibus Eccleſiaſticis Laicorum cauſas etiam profanas cognoſci. Secunda, niſi cauſæ profanæ, deficiente Iudice Sæculari, ad Eccleſiaſticum deferantur. Tertia, niſi cauſæ adhæreat qualitas, ob quam ad Iudicem Eccleſiaſticum pertinére poſſit. Quæ verò ſit qualitas, in quà fundetur Iudicis Eccleſiaſtici authoritas, & juriſdictio, videatur idem Laym. *loc. cit.* §. *Excipe, &c.*

28 Infero octavò paritèr incidentèr in gratiam Eccleſiaſticorum, Clericum, qui controverſiam habet adversùs alterum Clericum, debere eam in primâ inſtantiâ deferre ad proprium Epiſcopum, qui eſt ſuus competens Iudex; Textus eſt punctualis in *Capit. Si quis Clericus, de for. compet.* ubi ex Concil. Calcedonenſ. ſic habetur – Si quis Clericus adverſùs Clericum negotium habeat, non deſerat Epiſcopum proprium, ſed priùs apud ipſum actio ventiletur, vel conſilio ejuſdem apud alios, quos utraque pars voluerit, judicium obtinebunt. Animadvertendum eſt, conſilium hìc accipi pro conſenſu, ſeù licentiâ, ut notat Ant. Butr. hìc, *num.* 2. & 3. Hoſt. Ioan. Andr. quos producit Fagn. hìc *num.* 5. cum ſolum conſilium non ſufficiat, *Capit. Romana, eod. tit. in 6.* Hinc deducitur, non ſufficere illud petere, & expectare, ſed eſſe

eſſe obtinendum, vult Gloſſ. cum DD. in *Capit. ſi pro debilitate, de off. Deleg.* Et prætèr conſenſum proprii Epiſcopi, ut juriſdictio Iudicis non proprii, ſeù non ſui poſſit exerceri, requiri etiam utriuſque partis conſenſum ratio ſuadet; juſtum enim, & honeſtum eſt, ut Iudex communitèr eligatur, quod probat Textus in *Capit. Placuit, cauſa 2. qu. 6.* Appellatione verò negotii hìc venire cauſam, ſeù controverſiam, advertunt Innoc. & Abb. antiquus hìc in princ. Hoſt. *v. Negotium*, & Io. And. *n.* 2. & alii, qui obſervant, intèr negotium, & negotiationem magnum eſſe diſcrimen, & quidèm rectè; nàm negotium in cauſis, negotiationem in commerciis dici, legitur in *Capit. Forus*, §. *Negotium, de verb. ſignif.*

29 Infero nonò quoad rem noſtram, Militi licere ſe defendere contra Officialem, eum injuſtè caſtigantem, vel modum in caſtigando excedentem; ei enim aſſiſtit jus naturæ, & tradit Criſpol. *de caſib. Milit. caſ. 29. in ſum. num. fin.*

Eidem Lib. III. Diffic. pertin. ad Officiales, additur ſequens Difficultas.

Urbs obſeſſa non valet ruinam effugere, niſi occiſione Officialis illam obſidentis, & ignem & ſanguinem minitantis, ſi per tres dies adhùc reſiſtat, dubitatur, nùm liceat Gubernatori hujuſmodi occiſionem, ſeù mortem Officiali, cujus eſt filius, directè machinari.

1 Notandum eſt primò, ne diſcedamus à noſtro conſueto modo difficultates reſolvendi; Urbem obſeſſam patriam eſse Obſeſſoris, quia fuit ab ea per ſententiam Judicis proſcriptus; quique alterius Principis ditioni ſe ſubdidit, eum in bello aſſentaturus.

2 Notandum ſecundò, incontrovertibile eſſe, dari in Republica jus quoddam publicum puniendi Malefactores, qui ei nocent; ac proindè eâ utendi punitione, quæ cenſeatur utilis Bono communi, & cujus timore ſimilia delicta impediantur, juxtà illud Exodi, *cap. 22. verſ. 18. Maleficos non patieris vivere.* Hinc Princeps Apoſto-

ſtolorum *Act. cap.*5. morte punivit Ananiam, & Saphiram ejus uxorem ob ſacrilegam negationem, ſeù de pretio agri fraudationem in damnum Collegii Apoſtolici, ſivè Fidelium Communitatis tendentem; Docet itaque S. Auguſt. *lib.* 1. *de Civit. Dei*, *cap.* 20. -- Contra præceptum non faciunt, qui gerentes perſonam publicæ poteſtatis, ſceleratos interficiunt.

3 Notandum tertiò, occidere Malefactores licitum eſſe, inquantum eorum occiſio ordinatur ad totius Communitatis ſalutem, ut docet, intèr alios, D. Thom. 2. 2. *qu.* 64. *art.* 3. *in corp.* & ſucceſſivè, modum occidendi per juſtitiam punitivam illis tantummodò competere, qui habent publicam authoritatem, juxtà formam eiſdem tributam authoritate legum: quod ex S. Aug. tradit Dicaſtill. *de juſt. & jur. lib.*2. *tract.*1. *diſp.*10. *dub.*1. *num.*3. ubi, pluribus citatis, notat, hanc aſſertionem eſſe communem, & certam.

4 Notandum quartò, Reipublicæ, ſivè Magiſtratui jus competere ſubditos ſuos mortis periculo exponendi, ſi recta ratio oſtenderit, eorum mortem ad Reipub. tutamentum neceſſariò requiri, eoſdemque morte puniendi, ſi eorum delicta ita mereantur, & Reipub. Bonum ità depoſcat. Sic advertit ex D. Th. Laym. *lib.*3. *de juſt. & jur. ſect.* 5. *tract.* 3. *par.*3. *cap.*2. *num.*1. ibi dicens, contrarium fuiſſe errorem Waldenſium apud Caſtrum, *verb. Occidere*, *hær.*1.

5 His adnotatis, aliis pluribus prætermiſſis, ad difficultatem propoſitam, quam à Scribentium nemine reperi in terminis agitatam, an liceat Filio ad avertendam ruinam imminentem Urbi, ſeù Patriæ, cujus ipſe eſt Gubernator, necem proprio Patri, qui eam obſidet, atque ignem, ferrumque minatur, ſi adhùc per tres dies reſiſtat, directè machinari: Negativè videntur reſpondere plures apud Th. Tamburinum in *Decalog. lib.* 1. *cap.* 2. §.2. *num.*16. quos ipſe ſequitur; & apud Diana, *p.*8. *tract.*7. *reſ.* 42. quos & ipſe probat, dùm ſuſtinent, nefas omninò eſſe filio occidere Patrem proſcriptum, & è contra, Patri proſcriptum filium occidere. Plures ſunt rationes, quibus ipſi moventur: prima fundatur in Scriptura Sacra, *Exod. cap.* 32. *verſ.* 27. ubi Moyſes dicit — *Occidat unuſquiſque Fratrem, & Amicum, & proximum ſuum, & verſ.*29.-*Conſecraſtis manus veſtras hodiè Domino; unuſquiſque in filio, & in fratre ſuo, ut detur vobis benedictio*. Pater tacetur. Cur, inquiunt Sacri Interpretes, Moyſes

Moyſes Patrem tacuit? Quare ante omnia nón dixit etiam -- Occidat unuſquiſque Patrem ſuum, nec aliquem Parricidam commendavit? Nemo quæsò miretur, ait Simanc. *de Cathol. Inſtit. tit.* 29. *num.* 38. verbis Ciceronis utens, nempè -- quia
„ portentum, atque monſtrum
„ eſt, eſſe aliquem humanâ ſpe-
„ cie, & figurâ, qui tantùm im-
„ manitate beſtias vicerit, ut pa-
„ rentes occidat, cum etiam fe-
„ ras intèr ſe ſe partus, atque edu-
„ catio, & natura ipſa conciliet.

6 Altera deſumitur à jure ſanguinis, junctâ legum, ſivè jurium civilium diſpoſitione: nàm eſtò Pater ſit à patria proſcriptus, & data ſit à Principe libera poteſtas proſcriptos occidendi; nihilominùs cognatus, ſanguine conjunctus manet; naturalem enim conſanguinitatis, ſivè ſanguinis affectionem nullo pacto aboleri, nulloque jure dirimi poſſe, perſpicuum eſt, juxtà diſpoſitionem Textus in *l. Jus agnationis* 34. *ff. de pactis*, *l. Jure ſanguinis* 8. *ff. de reg. jur.* Inſupèr malitia Patris non eximit filium à patria poteſtate, ut tradunt Bal. Ang. & Alexand. in *l. Si cum dotem* 23. §. *Si patri, ff. ſol. matrim.* ſiquidèm, Pater quamvis ſit impius, & legum violator, ſempèr tamèn Pater eſt, ſempèr filius ejus eſt filius; & ſic ſempèr obſtrictus eam, quam debet, Patri reverentiam præſtare: Cum hujuſmodi autèm reverentiâ filii erga Patrem fore incompatibile Patrem occidere, ratio naturalis oſtendit. Filius itàque Patris, etiam publici hoſtis, vel ipſa humanâ naturâ movente, & veluti cogente, ejus ſaluti potiùs conſulere, quàm eidem necem machinari, videtur omninò obſtrictus; & facit *l. Mutus* 76. §. 1. *ff. de jur. dot. Authen. Inceſtas*, *Cod. de inceſtis, & inutilib. nupt.* ubi habetur, parenti in exilium, vel in inſulam relegato alimoniam eſſe præſtandam. Meritò igitùr in hiſtoriis potiùs vituperari, quàm extolli legimus, quemdam, qui vigore ſtatuti aliquarum Civitatum præmium Proſcriptos occidentibus promittentium, caput Patris ſui proſcripti amputavit, & Magiſtratibus obtulit, ac præmium recepit, quod tangit Azor. *par.* 2. *Inſtit. Moral. lib.* 2. *cap.* 2. §. *Legimus ſtatuta.*

7 Huic ſententiæ abſolutè, & univerſim abſque ulla conditione prolatæ adhæreo, nempè, nefas eſſe filio proprium Patrem, quamvis legum contemptorem proſcriptum, & impium interficere. Verùm aliquibus inſpectis, perpenſiſque circumſtantiis, ac conditionibus, quæ controverſiæ addi, & facto contingere poſſunt, con-

trariam opinionem aſtruentem, licere filio Patrem interimere, ſi Pater arma ſumat contra Patriam, vel Principem; ſi grave nocumentum Patriæ, vel Principi conetur adferre, ut ſupponitur in caſu noſtro, & aliud non adſit remedium, ruinam, quam ipſe minatur, avertendi, crederem non eſſe reprobandam. Huic aſſerto ſuffragatur authoritas, intèr Juriſperitos, Bar. in *l. Minimè*, *ff. de Relig. & ſump. funer.* & *l. Si adulterium*, §. *Liberto*, *ff. de adult.* Ang. in *conſ.* 223. ubi ad rem noſtram dicit, Patriam oppugnantes occidi poſſe à Liberis, vel à Parentibus, *conſ.* 12. *intèr conſilia* Albert. Brun. Abb. in *cap.* 1. *de converſ. Infidel.* Tiraquell. in *l. Si unquam*, *de poe. temper. aùt remit. cauſa* 20. *num.* 6. Simanc. *de Cathol. Inſtit. tit.* 29. *de fil. & minor.* ubi citat Ciceronem, *lib.* 3. *de offic.* Intèr Theologos, & Canoniſtas, Azor. *p.* 2. *Inſtit. Moral. lib.* 2. *cap.* 2. §. *Decimoquarto*, & §. *Obiicies*, Dicaſtill. *lib.* 2. *de juſt. et jur. tract.* 1. *diſp.* 10. *dub.* 1. *num.* 15. Gaſp. Hurtad. *de juſt. & jur. diſp.* 10. *diff.* 3. & etiam Diana, *p.* 8. *tractat.* 7. *reſ.* 41. §. *Nec obſtat*, ubi conſentit, filio licere tàm ad Patriam, quàm ad ſe defendendum, Patrem occidere, cum hac limitatione, nempè in ipſo tantùm actu oppugnationis; ſecùs verò poſt Patriam jam oppugnatam; inſupèr, niſi Pater proſcriptus ſit nimiùm nocivus Reip. ſivè Patriæ, & illi nocumento nequeat alitèr obviari: Thomas Tamburinus, nobis contrarius, videtur aliquo modo nobis favere, dùm dicit *loc. cit.* licere filio alimenta denegare Patri, arma ſumenti contra Rempublicam, vel Principem; at ſe non audere permittere filio poſitivè eum interficere.

8 Moveor primò juribus in *l. Poſtliminium*, §. *Filius quoque famil. ff. de capt. & poſtl. reverſ.* ubi Hoſtis publicus, & rebellis, ut ibi notat Tiraqu. *loc. cit. num.* 5. perdit cognationem, & agnationem; & ideò Pater, qui inſurgit contra Patriam, non ampliùs habetur, ſeù conſideratur ut Pater, ſaltèm ex jure civili, *d. l. Minimè* 35. *ff. de Relig. & ſump. funer.* ubi Marcellus J. C. aſſerit, licere filio mortem inferre Patri accedenti ad Patriam oppugnandam, & delendam, & Liberos interficiendos. Has leges Patri adverſantes vigorem tantùm habere, quando alitèr non poteſt nocumento, quod Pater patriæ, ſivè Reipub. adfert, obviari, non dubitamus; & in hoc ſenſu eſſe eas intelligendas animadvertimus contra eos, qui abſque deſtinctione dicunt, leges, quæ filium

non excipiunt, impias eſſe propterea meritò jam deſinere.

9 Moveor ſecundò rationibus in jure, tùm civili, tùm canonico, tùm gentium, tùm naturæ, fundatis. Legi non ſubjacere neceſſitatem, ſed neceſſitati legem ſubjacere, axioma eſt commune, & tradit Textus in *l. Non ſolùm*, §. fin. *ff. de excuſ. tutorum*, *l. Aliquando*, *ff. de off. Proconſul. l. Si quis filio*, *ff. de injuſto rupto*, *l. Pro Tyronibus*, *Cod. de privileg. domus Auguſtæ*, *lib.* 11. *capit. Licèt, de feriis*, *capit. Quanto*, in fin. *de conſuet. capit. Ad limina*, *cauſa* 30. *qu.* 1. & *capit.* 1. *cauſa* 34. *qu.* 1. cum aliis pluribus, quibus edocemur, inculpabile eſſe judicandum, quod neceſſitas intulit; quod etiam oſtendit Jaſ. in *l. Si ex toto*, in fin. *ff. de leg.* 1. ubi plura producit exempla de bello, fame, peſte, & ſimilibus. Non igitùr culpatur filius in occiſione Patris, ſi alitèr non poteſt impedire ruinam Civitatis ab eo obſeſſæ, quam ipſe tenetur defendere; nulla enim culpa poteſt intelligi, ubi nulla lex intelligitur violata, quod quippè intellexit Ancharan. dùm ſcripſit in *conſil.* 191. *in auxilium veritatis*, *num.* 4. & 5. & *in conſil.* 243. *num.* 4. quod neceſſitas non habet legem humanam, neque Divinam; cùm multa prohibita de jure Divino, & humano, fiant permiſſa ex neceſſitate; & è contrà, permiſſa fiant prohibita; ad quod probandum refert exempla furti, homicidii, & ſimilium. Fatemur itàque, nefas eſſe filio, generalitèr loquendo, quâvis circumſtantiâ, & conditione ſemotâ, occidere Patrem, etiam Reipublicæ nocivum; at secùs, ſi neceſſitas adeſt, videlicèt, ſi alia via non aperitur, quâ illud Patriæ publicum malum amovere non valet, ſi inquam, aliud remedium adhibere non poteſt ad ruinam arcendam à Civitate obſeſsâ, quam ipſe vigore muneris tenetur defendere: Nobis, prætèr jura allegata, favet Textus in *Capit. Quod non eſt licitum*, *de regul. jur.* ubi habetur, quòd neceſſitas facit licitum, quod aliàs de jure, ſivè Divino, ſivè humano nequaquam liceret, & ità docet Bal. in *l. Si Divus Pius*, in princip. *notab.* 2. *ff. de petit. hæred.* Tiraq. *de pœnis temper. cauſa* 33. *nu.* 3. Felin. in *Capit. Querelam*, *num.* 19. *de jurejur.* cum aliis.

10 Prætereà, Patrem proditorem Reipub. aùt Principis, fore Judicibus deferendum, docent omnes Juriſconſulti, idque ſcriptum reliquit Cicero, *lib.* 3. *offic.* hiſce verbis -- Quod ſi
„ Pater cuniculos agat in ærarium.
„ Indicet ne id Magiſtratibus Filius? Nefas id quidem eſt: quin
„ etiam defendat Patrem, ſi argua-
„ tur.

„ tur. Ipſi Patriæ conducit, pios „ habere Cives in parentes. Quid „ ſi tyrannidem occuparet, ſi Pa- „ triam prodere conabitur Pater? „ Silebit ne filius ? Imò verò „ obſecrabit Patrem, ne id faciat: „ ſi nihil proficiet, accuſabit: „ minabitur etiam ad extremum, „ ſi ad perniciem Patriæ res ſpe- „ ctabit, Patriæ ſalutem antepo- „ neret ſaluti Patris: & tradunt etiam Theologi, & Canoniſtæ, intèr quos, Simanc. *de Cathol. Inſtitut. tit.* 19. *de fil. & minor. num.* 42. & 45. Dicaſtill. *de juſt. & jur. lib.* 2. *tract.* 1. *diſp.* 10. *dub.* 1. *n.* 15. Azor. *p.* 2. *Inſtit. Moral. lib.* 2. *c.* 2. *q.* 11. *et* 13. & alii, quorum fundamentum eſt, quia Reipubl. Proditore Magiſtratibus nequaquàm detecto, univerſa Reſpublica perire poteſt. Quid eſt Urbem, ſeù Patriam copiis militaribus circumvallare, niſi Patriam prodere? niſi perniciem, & exitium Patriæ machinari? Ergo ſi Filius alitèr non poteſt exitium Patriæ, quam gubernat, impedire, niſi defenſione occiſiva Patris, non cenſetur culpandus.

11 Additur, potiorem eſſe cauſam Patriæ, quàm Parentum, ut ferè communitèr volunt in jure, tùm civili, tùm canonico, tùm etiam in Theologia verſati: & intèr primos, Tiraq. *de pœn. temp. aùt remit. cauſa* 20. *num.* 11. & intèr ſecundos, omnes proximè allegati; aſſerentes proptereà, ſalutem Patriæ præferendam eſſe ſaluti Patris. Ergò exiſtente neceſſitate, aùt Patris, aùt Patriæ cauſæ, ſeù ſaluti conſulendi, ſaluti Patriæ eſt conſulendum; ac proindè Patri ſalus, ſivè vita eſt adimenda.

12 Demùm, omnem partem ordinari ad ſuum totum, ut imperfectum ad perfectum, & conſequentèr omnem partem naturalitèr eſſe proptèr totum, doctrina eſt D. Th. 2. 2. *qu.* 64. *art.* 2. *in corp.* ibidem ſubdentis, quamlibet perſonam ſingularem Communitatis comparari ad totam Communitatem, ſicùt pars ad totum; ſeù ut explicat Laym. in *Theol. ſect.* 3. *tract.* 3. *par.* 3. *cap.* 2. *num.* 3. Communitatem ita ſe habere ad Cives ſingulos, ſicut ſe habet homo quiſque ad membra ſingula. Atqui homo quamvis non ſit Dominus membrorum ſuorum, ſed tantummodò Cuſtos; nihilominùs, aliquo eorum incipiente ſaluti totius corporis humani eſſe nocivo, ut puta, cum incipit putreſcere, eſſeque aliorum membrorum corruptivum, ratio naturalis, à Deo condita, docet illud eſſe abſcindendum. Ergò, concludit Doctor Angelicus, *loc. cit.* pari ratione, ſi aliquis homo ſit Communitati noxius, & corruptivus ipſius, quiſquis

ille

ille ſit, per eum, qui Reipublicæ curam, atque cuſtodiam gerit, laudabilitèr, & ſalubritèr occiditur, ut bonũm Communitatis integrum conſervetur.

13 Moveor tertiò exemplo in Judice à Republica conſtituto cum poteſtate quadam publica puniendi etiam pœnâ mortis Malefactores, qui eidem nocent Communitati, ut notavimus, præcedente tamèn debitâ probatione, & ſententiâ, Filium autem, qui efficitur Judex, poſſe judicare Patrem, ipſumque ad mortem damnare, ſi ejus delicta allegata & probata mortem merentur, non videtur negandum, & intèr alios, tradit Card. Turrecrem. in *Capit. Quis dubitet*, *num.* 1. *diſt.* 96. ubi ſubdit, tunc filium non judicare quâ filium, ſed quâ Judicem. Gubernatorem autèm, de quo loquimur, eſſe â Republica, ſivè Principe velut Judicem conſtitutum Civitatis, ad illam cuſtodiendam, & defendendam; ac propterea illi authoritatem, ſivè jus publicum competere per juſtitiam punitivam laudabilitèr Malefactores, præcipuè noxios communitati, puniendi, dubitat nemo. Ergò ſciens, à Patre ſuo damnum, ſeù exitium non poſſe alitèr reparari, licitè poteſt illius occiſionem mandare.

14 Concludimus igitùr, nullatenùs poſſe reprobari ſententiam aſſerentem, licere Filio, qui Urbem, ſeù Patriam obſeſſam cuſtodit, & defendit, necem machinari Parenti illam obſidenti, atque ignem, & ſanguinem minitanti, ſi adhùc per tres dies ſuis armis reſiſtat; ſi aliud non adeſſet remedium hujuſcemodi damnum avertendi; id Bono univerſali Reipublicæ poſtulante.

15 Ad rationes pro prima ſententia productas, non reſpondemus, quia jis rectè probatur, quod & nos lubentèr admittimus, nempè, nefas eſſe filio poſitivè, & directè occidere Patrem, Patriæ, ſeù Reipub. noxium, ſi alitèr poteſt nocumento obviari; ſi inquàm, alia viâ Pater poſſit ab armis contra Patriam ſumptis averti.

16 Infero primò ex dictis, licere filio accuſare Patrem de crimine læſæ Majeſtatis humanæ per conſpirationem adversùs Principem, & de cæteris, quæ vergunt in damnum commune, etiamſi certò ſciat indè Patrem fore occidendum, niſi ſit aliud remedium, quo hujuſmodi damnum avertatur; quod etiam docet Diana *p.*8.*tract.*7.*reſ.*42. in fin. Azor. *loc. cit. quæſt.* 11.

17 Infero ſecundò, teneri quidèm filium alimenta Patri proſcripto ſuppeditare, ut dicit Bart. *l. Si quis à liberis*, §. *ſed utrum*, *ff. de libe. agnoſc.* per Tex. junctâ Gloſſ. in §. *Si verò*

con-

contigerit, in Auth. de inceſt. & neſ. nup. & in l. Mutus, §. Manente, ff. de jur. dot. at non eſſe reprobandam ſententiam Alex. & aliorum apud Tiraq. *loc. cit. num.* 11. ſubtrahentium filium ab ejuſmodi obligatione, ſi cauſa proſcriptionis fuiſſet armorum ſumptio adversùs Patriam.

18 Infero tertiò, filium, qui noſcit patrem eſſe hæreticum, eum Inquiſitoribus prodere jure compelli, & huic obligationi filium ſubjacere non ſolùm quando noſcit à patre alios falsâ doctrinâ corrumpi, aùt operâ ejus à vera Dei Religione averti, aùt veriſimilitèr credit, multos ab eo eſſe decipiendos; ſed etiam quando ſcit patrem eſſe hæreticum occultum, & ſoli ſibi nocere haud aliis; & etiam quando rationabilitèr dubitat, nùm pater ſit aliis ſuæ hæreſis labe nociturus: Quidquid dicant aliqui arbitrantes, patrem non eſſe à filio denunciandum, niſi quando pater hæreticus aliis nocet; & præſertìm, quando filium ſuum ad hæreſim pertrahere conatur; quos non eſſe audiendos exiſtimamus. Noſtræ illationi favent Suarez, Bonae. quos noviſſimè refert Viva in *Propoſ. 5. Alex. VII. n.* 13. ubi dicit, hanc opinionem eſſe communem, Azor. *Inſtitut. Moral. p. 2. lib. 2. cap. 2. qu.* 13. Simanc. *de Cathol. Inſtit. tit.* 29. *num.* 35. ubi loquitur cum aliqua limitatione, alios pro ſe allegans: Sed potiſſimùm ſavent rationes, nàm oſtendimus, filium teneri Magiſtratibus indicare patrem proditorem Patriæ, præſertìm ſi Principem velit occidere. Ergò & patrem hæreticum alios corrumpentem debet Judicibus Eccleſiaſticis prodere. Tùm quia, extrà controverſia eſt, magis diligendum eſſe Deum, quàm patrem; atque odio habendum eſſe patrem proptèr Deum, ut docet S. Heronymus, *Epiſt. ad Heliodorum, & ad Marcellam* alia in Epiſtola ſcribens -- Calcandum eſſe patrem pro Religione, ac ſolidum pietatis genus eſse, in ea re eſse crudelem, & genus fore pietatis, impium eſse pro Domino. Nec filium eximere ab onere patrem denunciandi, quòd ſit hæreticus occultus, ſibi ſoli noxius, arbitramur, quia hæreſis peſtiferum venenum paulatìm ſerpit, & in dies longiùs emanat, & in partes, ſeù Cives diffunditur, & in perniciem Reipublicæ vertitur; ſcimus autèm ſalutem communem eſse privato bono præferendam: Nec quòd dubitat, à patre eſse alios ſuâ labe, ſuo veneno inficiendos, quia in dubio potiùs inſpicienda eſt ratio boni communis, quàm proprii; & aliorum ſalutem patris ſaluti eſse præferendam, tradit

Azor.

Azor. *loc.cit.*§.*Quid dicendum.* Nec quòd timet infamiâ notari hujuſmodi denunciatione: nàm Federicum Imperatorem conſtituiſse, ut qui occultam patris hæreſim revelaverit, aliorum filiorum pœnis nequaquàm ſubjaceat, ſcribit Simancas, *loc. cit. num.*47. ubi notat, hanc conſtitutionem imperialem Pontificiâ, & regiâ lege confirmari, *Capit. Si quis Papa, diſt.* 79. addenſque, impunitate, laude, & præmio illum dignum eſse, qui ardore, ac zelo fidei, ac Religionis inflammatus, nè parenti quidèm parcere ducit; & ſic honore potiùs, quàm ignominiâ, utpotè de Republica, & Catholica Eccleſia benemeritum, fore perſequendum. Quod dicitur de obligatione filii denunciandi patrem hæreticum, intelligitur etiam de obligatione patris filium hæreticum denunciandi, etiam Uxoris denunciandi Maritum; & è converſo, Mariti denunciandi Uxorem, Fratris denunciandi Fratrem, & viceversâ; currit enim eadem ratio.

19 Infero quartò, obligationem, quam habet filius prodendi patrem hæreticum, non ſolùm reſpicere Chriſtianę Reipublicæ bonum, ſed etiam concernere utilitatem, non tantùm ſpiritualem, quæ eſset correctio, & purgatio errorum, ut ſupponitur, ſed etiam temporalem, quæ eſt pœnæ diminutio: Patrem enim hæreticum à filio Judicibus indicatum, vel è contrà, filium hęreticum à petre eiſdem oblatum, mitiùs eſſe puniendos, tenet Alphonſ. Caſtrenſis, *lib. de juſta hæreti. punit. cap. ult.* Simanc. *loc. cit. num.*50. Tiraq. *de pœn. temper. aut remit. cauſa* 18. & 19. & probat Textus elegans in *l. Milites agrum*, §. *Deſertorem*, & ibi Gloſs. *ff. de re milit.* & id quidèm, nè videantur ſe ipſos ad ſupplicium obtuliſse.

20 Infero quintò, eamdem indulgentiam, & quidèm fortiùs, quâ gaudet pater hæreticus, accuſatus à filio; & è contrà, quâ gaudet filius hæreticus accuſatus à patre, eſse concedendam Patri proſcripto; & per filium capto, & ad Magiſtratum ducto; & è contrà, filio proſcripto ad Magiſtratum ducto per patrem; nempè clementiùs cum eis eſse agendum; imò Patri eſse vitam relinquendam intuitu filii, qui illum præſentavit; & vitam relinquendam filio intuitu patris, qui illum duxit ad Magiſtratum; ad Textum in d. *l. Milites agrum*; & probat exemplum cujuſdam homicidæ, qui à patre captus, & ad Judicem ductus, fuit à morte, quam meruerat, liberatus: id referente Saly. in *l. Proptèr inſidias, Cod.*

Cod. Qui accuſa. non poſſ. ubi etiam Pau. Caſtr. aſserit, idem conſuluiſse de filio, quem crimine læſæ Majeſtatis fœdatum Pater Imperatori obtulerat; Cujus conſilio lecto, perpenſoque, Textu per Pau. in hanc rem allegato, fuit Delinquens ab Imperatore haud ultimo ſupplicio punitus, ſed ſolùm ad decennium relegatus, ut ſcribit Cœpola, *caut.* 1. ubi dicit, id eſse ſingularitèr in mente imprimendum: Et Felin. in *Capit. Accuſaſti*, poſt medium, *de accuſa.* ubi illum Textum, ut ſingularem producit, atque ſummè commendat.

21 Infero ſextò, non ſolùm crimen læſæ Majeſtatis Divinæ per hæreſim, vel humanæ per conſpirationem in Principem, ut ſuperiùs oſtendimus, ſed etiam alia crimina occulta, quæ in notabile vergunt Communitatis præjudicium, eſse denuncianda; quamvis ſciantur ſub ſigillo naturali, necnon ſub juramento illa reticendi, ſeù nunquàm pateſaciendi; ità communitèr DD. Suar. Palau. Leſs. contra Facund. Fragoſ. apud Diana, *p.9. tract.*8. *reſ.*46. Diximus, nec non ſub juramento, quia nullum juramentum promiſſorium, tendens in præjudicium injuſtum proximi, minimè obligare, habetur ex textu in *Capit. Intèr cætera*, *cauſa* 22. *quæſt.* 4. ubi dicitur, juramentum non eſſe vinculum iniquitatis.

22 Infero ſeptimò, Proſcriptos à Patria, in quos lata eſt ſententia capitis, poſſe impunè à quovis privato homine occidi; reſpectu enim Proſciptorum, Reſpub. vel Princeps quoslibet privatos conſtituit necis, ſivè juſtitiæ Miniſtros; nàm hujuſmodi publicè proſcriptos haberi tanquàm hoſtes patriæ, ſentit Bart. in *l. Si adulterium cum inceſtu*, §. *Liberto*, *ff. ad leg. Jul. de adulter.* Marſi. in *l.*2. §. *Prætereà*, *num.*33. *ff. de quæſt.* ac proindè, expedit quoſlibet eſſe Miniſtros juſtitiæ, ut Delinquentes deſinant aùt internecione, aùt fugâ, aùt pœnitentiâ delinquere, & Patria deſinat eorum delictis moleſtari. Ità Sylv. *v. Aſſaſinus*, *qu.*3. *& v. Homicidium* 2. *qu.*3. *n.*7. Azor. *Inſtit. Moral. p.*3. *lib.*2. *cap.*2. *qu.*2. Tolet. Menoch. & alii, quos producit, & ſequitur Dicaſtill. *de juſt. & jur. lib.*2. *tract.*1. *diſp.*10. *dub.*1. *num.*7. ubi ſubdit, id nequaquàm licere, ſi non ſit lata ſententia capitis, aùt quando lata fuit, Proſcriptus non erat intrà territorium ejus, qui condemnavit. An Proſcriptus poſſit occidi extrà Proſcribentis territorium, nempè in territorio alterius Principis, & an requiratur hujus Principis explicita permiſſio tale homicidium patrandi,

trandi, ne occiſio ſit ei injurioſa, vide Dicaſtill. *loc. cit.* & Laym. in *Theol. Moral. ſect.* 5. *tract.* 3. *par.* 3. *cap.* 2. *qu.* 2. An liceat ipſis Proſcriptis ſe ipſos invicem proditoriè & per inſidias interficere ad obtinendum promiſſum præmium, & potiſſimum libertatem promiſſam, Conſule Julium Clar. *lib.* 5. *ſenten.* §. *Homicidium, verſ. Sed an licebit*, Decian. in *tract. crim. lib.* 7. *cap.* 30. & alios, quos refert Riccius, *v. Praxis Cleric. deciſ.* 487. affirmativè reſpondentes, huic innixos fundamento: quia hujuſmodi homicidia fiunt authoritate publicâ, & concernunt bonum Reipublicæ; quorum tamèn opinio non placet Soto aſſerenti, ejus praxim non eſſe approbandam, ſpectato graviſſimo periculo perditionis Animarum, ſi Proſcriptis occiſio contingat præſertim proditoriè in eo miſerabili ſtatu.

23 Infero octavò, nequaquàm licere Proſcripto pro ſui defenſione Aggreſſorem mutilare, aùt occidere (quidquid dicat Clarus, d. *lib.* 5. *ſentent. v. Homicidium, verſ. in hoc etiam propoſito*, jure naturali defenſionis inſpecto) Azor. *Inſtit. moral. tom.* 3. *lib.* 2. *cap.* 1. *q.* 11. Sà, *v. Bannitus, n.* 4. & eſt ſenſus communis; ſiquidèm cum Aggreſſor ſit publicæ juſtitiæ Miniſter, jus habet occidendi Proſcriptum, ut ſupponimus omnium approbatione: Ergò Proſcriptus injuriam Aggreſſori inferendo, videlicèt eum occidendo, publicæ poteſtati reſiſtit; & hanc reſiſtentiam eſſe culpabilem, ſenſus eſt communis Scribentium in *l.* 1. *Cod. Quando liceat unicuique ſine judice ſe vindicare*, dicentium, non eſſe permiſſam defendendi facultatem, ubi offendendi eſt data libertas: aliàs fatendum eſſet, licere Proſcriptis, aliiſque Reis Carnificem, & Birruarios, alioſque Miniſtros juſtitiæ, à quibus ad Carcerem, vel ad ſupplicium ducuntur, ad propriam vitam ſalvandam, interficere, quod nemo unquàm aſſeruit, aùt excogitavit, ut advertit Laym. *loc. cit.*

24 Infero nonò, permiſſas quidèm eſſe in foro conſcientiæ præfatas Proſcriptorum interneciones, ut docent Sot. *lib.* 5. *de juſt. qu.* 1. *art.* 3. Sylv. Armill. Sà, *v. Bannitus*, Beia, *p.* 1. *caſu* 43. & alii, quos refert, & ſequitur Laym. *loc. cit.* ſed aliquas adeſſe debere cōditiones à Doctoribus requiſitas; quarùm prima eſt publica mortis ſententia, ut ſuperiùs innuimus: altera, quòd fiant ex puro publicæ juſtitiæ zelo, minimè verò ex ſtimulo privatæ vindictæ, aùt odio inteſtino; tertia, quòd non ſuccedant, pendente tempore appellationis, in quo, juxtà leges civiles,

& canonicas, nihil eſt innovandum; quarta, ne fiant, ſaltèm, ſecundùm plures, extrà territorium Proſcribentis.

25 Inferò decimò, jure proditores appellari non tantùm eos, qui arma capiunt contra Patriam, & in eam, aùt Principem tanquàm conjurati hoſtes irruunt, ſed etiam illos, qui arma Patriæ hoſtibus deferunt, quod etiam tradit Bald. in *l.*2. *Cod. Quæ res expor.non deb.*ibi referens, quemdam fuiſſe pœnâ capitali damnatum Florentiæ proptèr armorum delationem ad ſuos hoſtes. Doctrinæ Baldi additur Gloſſ. in voce *ferrum*, *in capit. Ità quorumdam*, *de jud. & in l. Mercatores*, *Cod. de commer.* & in *l. Cotem*, *ff. de public. & vectig.*

26 Infero ultimò, jure paritèr dici Patriæ proditores Advocatos,ſivè Doctores in utroque jure,Pontificio, & Cæſareo, aùt in Theologia, qui intelligentes, jura potiora aſſiſtere Patriæ, non erubeſcunt patrocinari parti ei contrariæ, nempè ſtudere, ſcribere, loqui, agere, laborare ad ejus jura defendenda, quæ noſcunt nequaquàm ſubſiſtere, ad ejus cauſam ſuſtinendam, quam advertunt eſſe injuſtam. Huic illationi favet etiam Textus in *l.Advocati*, *Cod. de Advoc. diverſ. jud.* ubi dicitur, Advocatos Militibus æquiparari,& per eos patriam, vitam, & patrimonia hominum legibus & doctrinis defendi, ut explicatum eſt in noſtro *Romano Pontif. Propug.art.* 5.§. 5.ideòque ſi eorum ſtudio, conſultis, locutionibus, aliiſque modis partem Patriæ adverſam adjuvant & defendunt, Patriæ proditores efficiuntur: Et ſic dùm ſtudent, dùm laborant pro hoſtibus patriæ, merentur à patria terrena, dum vivunt, proſcribi, & à patria Cœleſti poſt mortem in æternum excludi. Quomodo autem debeat intelligi Theologorum doctrina de Advocatis patrocinantibus cauſas, in quibus de bono jure Clientis dubitant, & de Judicantium judicio circa illas, videatur Card.de Luca *in ſuis operibus*, & ſignantèr *diſc.* 179. *num.* 3. *de fideic. & diſc.*52. *num.* 7. *de Emphit.* Rayn.*tom.*2. *cap.*19. *ſupplet.*1. *num.*12.*verſ. Verum*, Rota in *dec.* 13. in princ. *coram R.P.D. Anſaldo*. Hæc poſtrema dicta ſint obitèr.

Lib.

Lib. IV. Diff. pertin. ad Milites privatos, additur ſequens Difficultas.

Quidam Miles pugnam generalem indictam & acceptam aditurus, Scriptum, Verba Divina continens, collo appenſa geſtat, credens eo poſſe quemvis armorum ictum declinare; ac proindè ſe vulneribus, atque internecioni ſubtrahere, dubitatur, nùm hujuſmodi geſtatio ſit licita.

1 NOtandum primò, in Exercitibus non tantùm Infidelium, ſed etiam Fidelium, non raró contingere, à Militibus vulnera, & internecionem pertimeſcentibus, quædam ſcripta collo appenſa adhiberi, putantibus ſe hiſce incolumes conſervari. Scimus enim, Romanorum gentilium conſuetudinem fuiſſe, non ſolùm Militibus ad bellum proficiſcentibus, ſed etiam puerulis res quaſdam de collo ſuſpendere, *Præfiſcini* appellatas, ut notat Delrius, *lib.* 1. *diſquiſ. Mag. cap.*4. *q.*4. ne, ut dicebant faſcinarentur, (Undè & *faſcini* nomen intèr obſcæna relatum.) Alia quoque amuleta ſuccini, aùt alteriùs materiæ contra morbos, aliaque adverſa geſtitabant. Scimus paritèr, Judæos etiam cenſuiſſe ſua Philacteria ſibi prodeſſe, ſeque illorum uſu à malis cuſtodiri, ac præſervari, Divinum præceptum *Exod. cap.* 13. *verſ.* 16. *Deut. cap.*6. *verſ.*8. *Matth. c.*3. *verſ.* 2. & 5. perperàm intelligentes. Eodem errore Fideles nonnullos fœdari, ſcripſit Nicolaus Remigius Lotharing. *lib.* 3. *de dæmonolat. cap.* 3.

2 Notandum ſecundò, vanam obſervationem illam eſſe ſuperſtitionem, quâ mediis inutilibus, & à Divina Providentiâ minimè ordinatis, procurantur divitiæ, commoditates, ſanitates, benevolentiæ, victoriæ, & ſimilia: ſic docent Cajet. *v. Superſtitio*, & *v. incantatio*, Tolet. *lib.*4. *cap.*15. Sanch. in *Decal. lib.*2. *cap.*40. & alii, quos producit, & ſequitur Th. Tamb. in *Explic. Decal. lib.*2. *cap.*6. §.1. *num.*23. ibi ſubdens, hoc eſſe diſcrimen intèr divi-

nationem, & vanam obſervantiam, quòd divinatio refertur ad aliquid cognoſcendum, & vana obſervantia ad aliquid obtinendum: addenſque ibidem *num.* 26. vanam obſervantiam ſic dici, quia ſempèr aliqua saltèm inutilia, & vana commiſcentur, unde tacita præſumatur dæmonis invocatio; & conſequentèr, ſempèr eſſe ex ſe mortalitèr peccaminoſam; niſi excuſet inadvertentia, aùt ignorantia invincibilis, aùt parvitas materiæ, ſaltèm in ſententia Doctorum admittentium in ſuperſtitione materiæ parvitatem, quod plures negant.

3 Notandum tertiò, diſtinctionem intèr pactum expreſſum, & pactum tacitum cum dæmone à Doctoribus communitèr admitti, aſtruentibus, pactum expreſſum cum dæmone illud dici, quod expreſſis verbis cum dæmone ſit à Sortilego; & eſſe graviſſimum peccatum, ſapiens manifeſtam hæreſim, tradit Simanc. *de Cathol. Inſtit. tit.* 30. *de hæreſ. num.* 16. pactum verè tacitum cum dæmone dici, quando quis ſcientèr utitur actionibus, & mediis magicis, non ab ipſo, ſed ab alio conventis cum dæmone; tunc enim utendo conventis cenſetur voluntati dæmonis aſſentiri, factoque ipſo dæmonem invocare: & hoc paritèr eſſe peccatum graviſſimum, minùs tamèn grave relativè ad pactum expreſſum, docent communitèr Theologi, arbitrantes hujuſmodi pactum in omni obſervatione ſuperſtitioſa reperiri, cujus effectus non debet à Deo, vel naturà rationabilitèr expectari. Ex quâ doctrinâ deducitur, pactum hoc tacitum cum dæmone intervenire poſſe, etiam abſque eo, quod Sortilegus intendat ſuppetias à dæmone implorare. Animadvertimus, hoc pactum tacitum poſſe duplicitèr contingere, nempè ſcientèr, & ignorantèr, ſcientèr, quando quis ſcit, & vult ſuperſtitioſis uti figuris, ſignis, aliiſque, quibus uti ſolent Sortilegi, ignorantèr, quando quis ignorans, magicis utitur ſignis, neſciens eſſe mala, & à dæmone, inſtituta. Quæ omnia fusè explicant, Farin. *de hæreſi, qu.* 181. *num.* 34. Sanchez *in præcep. Decal. lib.* 2. *cap.* 38. *nu.* 3. Simanc. *de Cathol. Inſtit. tit.* 63. *de ſuperſt. n.* 12. Delrius, *Diſquiſit. Mag. lib.* 2. *qu.* 4. & 5. & alii, quos producit, & ſequiquitur Caren. *de offic. Inquiſit. p.* 2. *tit.* 12. §. 3. *num.* 17. Quotuplex ſit pactum expreſſum cum dæmone, & quotuplex tacitum: quibus modis, & conditionibus utrumque fiat: vide Doctores prox. allegatos, & ſignantèr Delrium, *Diſq. Mag. p.* 1. *lib.* 2. *qu.* 4. ubi varias eruditio-

ditiones ad hanc materiam ſpectantes, & ſcitu dignas, refert. Nàm aliena ſcripta tranſcribere mei calami exilitati ſempèr diſplicuit.

4 Notandum quartò, ad dignoſcendum in hac materia quando tacita dæmonis invocatio intermiſceatur, ſi clarè non apparet, hanc regulam eſſe obſervandam, nempè perpendere, nùm adſint verba nihil ſignificantia: Nùm formentur figuræ inutiles: nùm promittatur effectus infallibilis, ſupra vires naturalium mediorum: nùm adſit aliquis error, ut quòd Chriſtus Dominus quoad Humanitatem ſit immenſus: Nùm debeant vanæ conditiones adimpleri: Nùm circumſtantia temporis, & loci ſit neceſſariò obſervanda: Nùm debeat aliquis ritus, ab Eccleſia Catholica non approbatus, practicari: Num unâ cum verbis Divinis aliqua res materialis interveniat, cum aliis ſimilibus; quibus omnibus, vel ſingulis, conjunctim, vel ſeorſim exiſtentibus, tacitam dæmonis invocationem eſſe præſumi, docet etiam Thom. Tamb. in *Decal. lib.* 2. *cap.* 6. §. 1. *num.* 25. & 26. ubi *n.* 61. & *ſeqq.* innuit quid ſit agendum, quando in ejuſmodi re adeſt dubitatio.

5 Notandum quintò, Scribentes in hac materia unanimitèr ſentire, ſuperſtitionem, ſeù tacitam dæmonis invocationem adeſſe non ſolùm quando adhibentur verba inutilia, aùt alia ſupriùs explicata, ſed etiã quando ad aliquem effectum conſequendum aliquid tantummodò profanum, ſeù non ſacrum adhibetur, cui vires omninò deſunt ad illum efficiendum: vel quando res Sacræ cum vanis uniuntur, ut puta, oratio ſacra, vel aqua, incenſum, ſal, & hujuſmodi benedicta adnectuntur circulo ad ſilum movendum, aùt morbum curandum: vel quando res Sacræ ità miſcentur cum rebus naturalibus, ut illæ credantur his indigere, ſeù ab his vim efficacem recipere; ſecùs verò, ſeù abeſſe ſuperſtitionem, ſi res naturales adhibeantur ad obtinendum effectum, ab illis tantummodò expectandum, & res Sacræ illis ſolùm uniuntur ad Divinam Bonitatem cum debitâ reverentiâ, ac fiduciâ deprecandam, & movendam, ut gratiam citiùs concedat: ratio eſt, quia tunc à re ſolùm naturali effectum naturalem expectari liquidò conſtat. Idemque fore dicendum, eamdemque rationem militare, non dubitamus, ſi ſolæ res Sacræ adhibeantur, ut ab iſtis ſolis effectus ſpectetur, res autèm naturalis addatur, ut aliquid juxtà ejuſdem rei naturales vires conferat ad effectum; quia cum effectus

con-

conſequutio à ſola re Sacra deſideretur; additio verò rei naturalis non ſit peccaminoſa, ſola res Sacra cenſetur conſideranda. Nobis favet Thom. Tamb. *loc. cit. num.* 58. *&* 59.

6 His adnotatis, ad difficultatem, nùm liceat militi, pugnam generalem indictam, & acceptam ituro, ſcriptum, Divina verba continens, collo ſuſpendere ad declinandum armorum ictum, videtur affirmativè reſpondendum; ſiquidèm verba Divina proferre ad aliquos effectus conſequendos, ut puta ad ſanandum infirmos: ſicut *Pater noſter*, & *Ave Maria*, vel qualitercunque Nomen Domini invocetur, non cenſetur illicitum, quod probat Sacra Scriptura, nempè illud Marc. *cap.* 16. *verſ.* 17. *In nomine meo dæmonia eiicient; linguis loquentur novis, ſerpentes tollent; & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit.* Ergò neque illicitum cenſendum eſt, aliqua verba Divina ſcripta collo ſuſpendere ad infirmitati, vel cuicumque nocumento occurrendum. Divina enim verba non eſſe minoris efficaciæ, & deterioris conditionis ſcripta, quàm prolata liquet.

7 Tùm quia, formula geſtationis præfati ſcripti videtur fundata in formulis Sacræ Scripturæ, & geſtorum Sanctorum ab Eccleſia approbatis. Chriſtus Dominus potuit ſolâ voce cæcum illuminare, & tamèn *Fecit lutum ex ſputo, & linivit lutum ſupèr oculos ejus*, *Jo: cap.* 9. *verſ.* 6. Eliſæus varios geſtus fecit, ut puerum mortuum ad vitam revocaret, 4. *Reg. cap.* 4. *verſ.* 34. *&* 35. S. Hieronymus per ſignum Crucis pedem Leonis ſanavit, ut legitur in ejus Vita. Parochi in Parvulis, & etiam Adultis baptizandis, præter plures ritus tactus, quos exercent, multa verba Divina proferunt ad dæmones eiiciendos, quæ in primitivâ Eccleſiâ non legitur fuiſſe adhibita.

8 Accedit, quòd quàmvis in præfatâ geſtatione adeſſet aliquod dubium, non ideò foret reprobanda. In dubiis enim benigniorem interpretationem eſſe faciendam, communis eſt Theologorum, & Canoniſtarum ſenſus. Ergo illam potiùs licere, quàm non licere debemus aſſerere, præſertìm cum Deus intentionem facientis attendat. Miles igitùr collo ſuſpenſum ſcriptum geſtans non videtur ut ſuperſtitioſus damnandus.

9 Hæc pars affirmativa, inſpectis verbis Divinis à quocunque inconvenienti ſemotis, non videtur poſse reprobari. Verùm, quia in hujuſmodi ſcriptis, ut plurimùm, præter Divina verba, ſolet aliquid aliud apponi, ut experimento probatur; ideò

partem

partem contrariam, ſeù negativam eſſe ſuſtinendam arbitramur, & ità ſentire videntur Simanc. *de Cathol.Inſtit.tit.*56. *de Scripturis Divinis,num.*16. Card. Turrecr. in *Capit. Qui ſanè, num.* 2. §. *Ad ſecundum, cauſa* 26. *qu.* 2. Thom. Tamb. in *Decal. lib.* 2. *cap.* 6. §. 1. *num.*45.

10 Moveor primò juribus in Concilio Romano, quod fuit Romæ congregatum ſub Zacharia Pontifice ad damnandos errores Alberti, & Clementis hæreticorum, Germaniam turbantium, ubi intèr cætera damnatur Oratio Adalberti, in qua continebātur nomina octo Angelorum invocatorum; dicente Concilio, in ejuſmodi oratione, ſivè ſcripto invocativo commiſceri, prætèr Michaelem, nomina Angelorum, qui ſunt dæmones, addenteque, trium tantummodò Angelorum nomina agnoſcere, qui ſunt Michael, Gabriel, Raphael. Decretum hujus Concilii refert per extenſum Delrius, *Diſq. Magic. lib.* 1. *cap.* 4. *qu.* 3. *ſub lit D. pag. mihi* 47. ubi dicit, Concilium illud Romanum intèr Concilia edita vel in Germania, vel in Italia, minimè reperiri, undè authoritatem illius hiſtoriæ nutare. Et ideò moveor Concilio Trid. *ſeſſ.*4.*Decret. de edit.& uſu Sacr. libr.* in fine; quod præcipit, ad amovendum à Divinis verbis irreverentiam, & contemptum, ne de cætero quiſquam quomodolibet verba Sacræ Scripturæ ad vanas, impias, & diabolicas ſuperſtitiones audeat uſurpare; jubenſque, omnes ejus generis corruptores, temeratores, & violatores verbi Dei, juris, & arbitrii pœnis per Epiſcopos coerceri. Additur Textus in *Capit. Illud, & Capit. Qui ſine, cauſa* 26. *q.*2. ubi damnantur omnes actiones, quæ redolent ſuperſtitionem: & *capit.*1. 4. *& ult. ead. cauſa, quæſt.* 4. ubi dicitur, eſſe repudiandas, & fugiendas illas formulas precum, quas Eccleſia Catholica minimè approbavit: quaſque contra vulnera, & pericula ignis, aquæ, & alia nonnulli S. Leoni, aliiſque Sanctis perperàm adſcribunt.

11 Moveor ſecundò rationibus, nàm in hujuſmodi ſcriptis unà cum verbis Divinis ſolent contineri aliqua vana, ut puta, nomina ignota, aùt aliqui characteres inſcripti, præter ſignum Crucis; aùt poteſt haberi ſpes in modo ſcribendi, aùt legendi, aùt in aliqua hujus generis vanitate ad Divinam reverentiam minimè pertinente; atque adeò ratione hujuſmodi vanitatum adeſt ſufficiens fundamentum judicandi, tale ſcriptum eſſe ſuperſtitioſum. Tùm quia, Miles gerens hujuſmodi ſcriptum

tum in tali circumſtantia temporis, nempè dùm pugnam generalem adit, ad declinandum armorum ictus, præſumitur in eo adeſſe infallibilis effectus credulitas. Ad quid enim ſuſpenderet collo illud ſcriptum, ſi non crederet eo poſſe infallibilitèr vulneribus, in periculis mortis ferè evidentibus, ſe ſubtrahere? Porrò, prætèr Sacramenta, & Sacramentalia nil eſſe in Sacris verbis, vel rebus, quod infallibilem habeat effectum, communis eſt Theologorum ſenſus; ac proindè, ſi noſter Miles illum ab aliis ſivè per verba Divina, ſivè per benedictiones invocativas, ſivè per conſtitutivas expectat, nonniſi à dæmone per tacitam invocationem expectare clarè convincitur, aliundè enim expectare non poteſt. Præterea, apud Theologos, Canoniſtas, necnon Rubrichiſtas incontrovertibile eſt, ritus omnes, omneſque geſtus abſonos, ſivè ſint publici, ſivè privati, qui ab Eccleſia Catholica non recipiuntur, nec à verbo Dei ſcripto, vel non ſcripto approbantur, meritò cenſeri vanæ obſervationis ſpecies, & conſequentèr repudiandos, ac fugiendos tanquàm ſuperſtitioſos. Ecquando præfata ſcripta, collo ſuſpendenda tempore pugnæ ad vulnera & mortem evitandum, Eccleſia aùt verbum Dei ſcriptum, vel non ſcriptum approbavit? Nunquàm profectò. Ergo non licent. Ergo ſunt reprobanda. Additur, nullatenùs poſſe excuſari à culpa lethali eum, qui ſcientèr utitur mediis, quibus uti ſolent homines ſuperſtitioſi, quæ quidem ex ſcriptis, vel ſermonibus eorum, vel aliorum didicerint: nullo enim modo licere ſcientèr aliquam directè, vel indirectè, tacitè, vel expreſsè cum pravis ſpiritibus ſocietatem inire, ab jiſdem opem præſtolari, admonet S. Aug. *lib.* 2. *de Gen. ad lit. cap.pen.* & notant communitèr Theologi, & Canoniſtæ, animadvertentes, ſcripta circa colla ſuſpenſa contra Ritus & conſuetudinem Eccleſiæ, eſſe manifeſtè ſuperſtitioſa, & illicita, tanquàm indicativa ſocietatis cum dæmone, & ea Geſtantes evidentèr decipi, putantes poſſe ſine Salvatore, ut loquitur Textus ſuperiùs in primo motu allegatus, ſalutem quærere, & conſervare.

12 Moveor tertiò exemplo in Exercitu Militum, à Duce Guiſio in quodam prælio in Gallia ſequuto, ſtrenuè debellato, ut refert Delrius, *Diſq. Magic. lib.* 1. *cap.* 4. *quæſt.* 3. §. *Poſterior*, ubi ſcribit, hujuſmodi ſchediaſmata collo Cæſorum ferè omnium appenſa fuiſſe reperta ab jis, qui cadavera more ca-

caſtrorum expoliarunt. Quos Milites fuiſſe ſuperſtitioſos,& à dæmone deceptos,ipſamet ſcripta, poſt eorum internecionem collo eorum reperta, clarè teſtantur, atque Hiſtorici, hoc factum narrantes, confirmant. De quo facto non miror, ſciens, diabolum non raró, etiam ſub colore devotionis, per ora ſuperſtitioſorum pluribus ſuadere hujuſmodi ſcripta geſtitare ad ſe armorum ictibus ſubtrahendum; & quando eis deficit commoditas confitendi peccata, quibus miſerè gravantur, eos deſerere, atque ſinere eos occidi, quos ante aliquotiès defenderat, ut accidit, præter Milites memoratos, cuidam Juveni non ſolùm mihi probè noto, ſed etiam Condiſcipulo meo, dùm legum civilium, & Pontificiarum ſtudio in Taurinenſi Univerſitate incumberem, qui paucis ante diebus à plurimorum in eum noctu irruentium gladiis illæſus evaſit; deinceps tempore paritèr nocturno ab uno tantùm Adverſario aggreſſus, fuit mortalitèr vulneratus,& cadens in terram exclamavit: *Diavolo mi hai ingannato*, & illicò, abſque confeſſione, expiravit: Cujus Cadaver cum ſchediaſmate ejus collo appenſo repertum, fuiſſe in loco non Sacro tumulatum Vulgus exiſtimavit. Innumera alia exempla, rem noſtram probantia, brevitati ſtudentes, omittimus. Meritò igitùr hoc genus ſuperſtitionis execratur Lucianus in *Dialog. Philoſ.* & Antoninum Caracallam ſuppliciis compeſcere conſtituiſſe, refert Spartianus apud Delrium, *loc.cit.*

13 Concludimus igitùr, noſtro Militi ad pugnam acceſſuro, nequaquàm licere ſcriptum, quædam verba Divina continens. collo appenſum geſtare, ad declinandum armorum ictus, ſeque vulneribus, ac internecioni ſubtrahendum.

14 Non tamèn negamus, poſſe hujuſmodi Scriptorum geſtationem defendi, juſtificari,& ut licitam practicari, ſi ſequentes conditiones, ſeriò perpendendas, contineret: 1. quòd nihil ſit in illis ad invocationem dæmonum pertinens. 2. quòd nulla nomina ignota in illis contineantur. 3. quòd nulla falſitas in illis latentèr, vel apertè reperiatur. 4. quòd verbis Sacris nulla res vana miſceatur. 5. quòd eventus concupitus nullatenùs cenſeatur infallibilis. 6. quòd characteres peregrini, aùt figuræ inſolitæ ab illis omninò abſint. 7. quòd ſpes in modo illa ſcribendi, aùt ligandi, aùt deferendi nullatenùs habeatur. 8. quòd tota fiducia ad effectum obtinendi collocetur in Deo, additis præſertìm licitis precibus, ut *Pater*

noſter, *Ave Maria*, *Salve Regina*, *&c.* aùt adjurationibus, ſivè jaculatoriis, *Eripe me Domine de manibus inimicorum meorum*. *Domine ſalva nos, perimus*. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum*. *Domine Jeſu Chriſte, per paſſionem, & mortem tuam libera me à vulneribus*. Hiſce, aliiſque conditionibus in ſcripti collo appenſi geſtatione intervenientibus, non dubitamus, illam eſſe licitam; ſecùs verò cunctis, aùt ſingulis deficientibus.

15 Ad oppoſita reſpondemus: Ad primum, admittentes totum ratiocinium, nempè proferre Divina verba, aùt invocare Nomen Domini, licitum, imò meritorium eſſe, ſi eſt reſpectus ad ſolam reverentiam Dei, à quo expectatur effectus; ſecùs verò ſi habeatur reſpectus ad aliquid vanè obſervatum: Nobis favet Card. Turrecrem. *loc.cit.* §. *Ad ſecundum*, in fine.

16 Ad ſecundum: ineptiſſimè inferri ex facto Chriſti, & Eliſæi licere ritum ſcripti à Milite privatâ authoritate receptum. Ritum enim, ſivè factum Chriſti Domini fuiſſe maximè myſticum, & ſignificatiuum, Sancti Patres, omneſque Sacrarum Litterarum Interpretes, hujuſmodi Textum explanantes, oſtendunt, & factum Eliſæi fuiſſe Dominicæ Incarnationis figuram, ſivè prophetiam, iidem Sacri Interpretes, factum explicantes, teſtantur.

17 Ad tertium: negando ſuppoſitum, ſcilicèt, formulam præfati ſcripti, ſtrictè loquendo, eſſe dubiam, ſeù adeſſe dubium an ſit licita nec ne: primò, quia deſunt ſufficientes rationes, & valida argumenta, quibus intellectus ſanus, & rectè diſpoſitus moveatur ad credendum, hujuſmodi formulam eſſe bonam, ac licitam; hoc enim neceſſariò requiri, ut quid dubium dicatur, probant, & oſtendunt Theologi, & ſignantèr Aragon. in *Commentariis ſupèr D. Th. 2. 2. quæſt. 6. art. 4.* Deindè, dubium non dici, niſi ſint hinc inde opiniones, docent Cuma. *conſil.* 154. in fin. Socin. *conſil.* 115. *col.* 3. *vol.* 1. Corneus, *conſil.* 71. *li.* 2. *par.* 3. Hìc verò non adeſſe Doctorum ſententias pro parte affirmativa, certum eſt, omnibus fatentibus, hujuſmodi ſcripta collo appenſa, ſemotis exhibitis conditionibus, ſuperſtitionem redolere. Ulteriùs, regula juris Canonici eſt, omnes preces & formulas, ſivè ſcripta hujuſmodi, prætèr *Pater noſter*, *Ave Maria*, *Credo*, & ſimilia, reprobare, ut notat Delrius, *Diſq. Mag. lib. 3. part. 2. qu. 4. ſect. 8.* §. *ultimò*, ibi ſubdens, non re-

reperiri exceptionem per Eccleſiam introductam ſpecialitèr de hujuſmodi ſcriptis, ſivè formulis. Quis autem neſciat, dubium non poſſe dici id, de quo invenitur regula vetans, nec probatur de eo caſus ſpeciatim exceptus?

18 Infero primò ex dictis, portare Reliquias Sanctorum ſivè collo, ſivè brachio ſuſpenſas, ſi aliquid aliud adderetur, quod nō pertineret ad reverentiam Dei, & Sanctorum, quorum ſunt Reliquiæ, eſſe ſuperſtitioſum, & ſucceſſivè illicitum; ſecùs verò ſi in hujuſmodi geſtatione adeſt vera devotio, & habetur ſyncera fiducia tantummodò in Deo, & in Sanctis, quorum ſunt Reliquiæ. Sic etiam ſentit ex D. Thoma, Card. Turrec. *loc. cit. num.* 3. §. *Ad tertium.*

19 Infero ſecundò, eſſe ſuperſtitioſas quaſdam preces, quas Viri idiotæ, ſeù Ruſtici fundunt ſupèr pomum, & cingulum, & alia, ad reſtituendam Infirmo ſanitatem; ſecùs verò preces, quas Sacerdotes fundunt ſupèr Ægrum, juxtà documentum Evangelicum, Marc. *cap. ult. verſ.* 18. *Supèr Ægros manus imponent, & benè habebunt*, ut ſanitatem recipiant.

20 Infero tertiò, nequaquàm licere per obſervationes artis notoriæ, ſeù Cabalæ inquirere ſcientiam, quamvis ea, quæ obſervantur in arte notoria, ſint quædam jejunia, & orationes; additis dumtaxàt aliquorum verborum formulis, & ſignis, atque figurarum inſpectionibus, & ſimilibus, quæ nullam in ſe vim habent & efficaciam communicandi ſcientiam; ſiquidèm per obſervantiam artis notoriæ inquiri cognitionem veritatis per quædam ſignificantia pacta cum dæmonibus inita, probat authoritate Sacræ Scripturæ, *Deut. cap.* 18. *verſ.* 10. 11. & 12. aliiſque rationibus, Card. Turrecrem. *loc. cit.* §. *Quintum*, ibi ſubdens, artem notoriam eſſe prohibitam; atqueadeò nefas eſſe fidem ei adhibere, eſtò in eà aliqua ponantur, quæ à fide Chriſtiana non cenſentur diſcrepare; cum hujuſmodi apponantur, ut faciliùs aliis in ea contentis fides adhibeatur: unde qui ad ſcientiam comparandam utuntur obſervationibus, quæ ſunt ſuperſtitioſæ, ſeù nituntur auxilio dæmonum, videntur velle ſine ſapientiâ Divinâ eſse ſapientes, ut tangitur in d. *Capit. Qui ſanè*. De hoc ſortilegio fusè tractant Suarez, *de Superſtit. cap.* 25. *num.* 7. Albergh. in *Man. cap.* 18. *ſect.* 3. §. 1. in fin. Barboſ. *de S. Off. ſect.* 37. per tot. & alii.

21 Infero quartò, ſapere ſuperſtitionem tèr repetere verſiculum, *Pſalm.* 115. *verſ.* 15.

Dirupiſti vincula mea ; tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, ad aliquibus malis obviandum, ſi non à devotione tèr repetitâ in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis, ſed ab ipsâ ternâ repetitione effectus, & quidèm infallibilitèr expectetur.

22 Infero quintò, non effuggere periculum & notam ſuperſtitionis eum, qui ad ſanitatem vel aliam gratiam impetrandam poſtulat, ut preces noviès effundantur, vel efferatur in eleemoſynam ad Sacram Ædem pondus ceræ Ægreto æquale, vel candela cerea longitudinis eidem Ægroto æqualis, aùt ut Miſſa dicatur cum veſtibus incongrui coloris; ſecùs verò hiſce vanis,& inutilibus circumſtantiis, unà cum infallibilitatis credulitate,correctis, & ſemotis; hoc modo, videlicèt, ſi petit noviès orationem effundi, ut novem Angelorum Chori ſibi opitulentur; ceram ſine ullo præciſo, imò cum majori pondere Eccleſiæ offerri; Miſsam ſine illo incongruo colore celebrari.

23 Infero ſextò, illicitas eſse quaſcunque formulas ab Eccleſia non approbatas, quæ ſolent ab aliquibus quandoque adhiberi ad expellenda, necandaque examina vermium inſectorum, aliorumque animalium, quæ fructus, radices, & ſemina depaſcuntur, campoſque devaſtant, ut mos erat in Helvetia adversùs genus vermium admodùm noxium,quod vocant *Juger*, & apud Conſtantienſes, & Curienſes, contrà vermes alios nuncupatos *Lauffbaffer*, ut notat Delrius *Diſq. Magic. lib.3. p.2. quæſt.4. ſect.* 8. Subdimus tamèn non eſſe neceſſe,ut formularum uſus ſit licitus, illas eſſe ab Eccleſiâ ſempèr expreſsè approbatas, ſed ſufficere eas non eſſe improbatas, nec à Viris doctis, & piis in dubium vocatas, nec apertam vanitatem præſeferentes. Formula verò, quam cæteris efficaciorem putamus ad hujuſmodi animalia extirpanda, eſt Divinum auxilium implorare, & ad Sanctorum interceſſionem recurrere, juxtà caſum relatum à P. Agreſta *in Vita S. Joannis Thereſti*, *lib.* 3. *cap.* 11.ubi dicit,per interceſſionem hujus Sancti parva animalia, quæ campos devaſtabant, ferè omnia evanuiſse. Videantur Triſtan. *dec.* 70. Cortiad. *dec.* 230. *tom.*4.Cened.*pract.quæſt. Canon. quæſt.* 59. & alii, qui latè, & eruditè diſcurrunt tàm ſupèr etymologia horum animalium, quàm ſupèr modo ea exterminandi,necnon remiſſione penſionum ob damna ab eis illata.

24 Infero ſeptimò, in caſu exorciſmorum, etiam ex Sacris Scripturis compoſitorum, ad expel-

expellendum dæmonem à corporibus humanis, ſivè ab aliqua domo, ſivè ab alio loco, non eſſe recipiendas quaſvis ad arbitrium Exorciſtarum preces, ſed certas, & ab Eccleſiâ præſcriptas; quod paritèr docet Concil. Charthagin. IV. *can.* 7. Joan. Micrologus, *lib. de obſervant. Eccleſ. cap.* 7. Delrius *loc. cit.*

25 Infero octavò, minimè licere Exorciſtæ in ſuis exorciſmis præcipere dæmoni à corpore obſeſſi exire ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ; aùt eâdem machæra ferire nubes, bruchos, & alia animalia, ut deſinant Vineis, Navibus, aliiſque Locis nocumentum inferre; quam formam fuiſse à nonnullis Exorciſtis adhibitam, ſcribit Candidus Brognoli in *Manual. Exorciſtarum*, *par.* 1. *cap.* 3. *art.* 5. *quæſt.* 17. fortè non advertentibus, dæmonem, & irrationabilia extrà Eccleſiam militantem reperiri, ut probat Textus in *Capit. Gaudemus, de Divort.* Quare, ait Sanch. *loc. proximè cit.* quando in Sacerdotali Romano inſtruitur Exorciſta, ut id præcipiat, non ſumitur excommunicatio propriè, ſed pro execratione, & maledictione: Hinc blaſphemiâ notari utentem contra dæmones & irrationabilia hujuſmodi formâ, tanquàm exponentem hanc Sacram Eccleſiæ cenſuram deriſioni, & ludibrio, docet, Suarez, *tom.* 5. *in par.* 3. *diſp.* 5. *ſect.* 1. Sanch. *in Decal. lib.* 2. *cap.* 42. *num.* 32. Lupus *in Comment. Edicti S. Inquiſit. par.* 3. *lib.* 22. *diſt.* 4. *art.* 1. *diffic.* 3. cum aliis, quos producit, & ſequitur d. Brognoli, *loc. cit.* ubi *quæſt.* 18. validiſſimis rationibus probat, eſse illicitum & ſuperſtitioſum inſtituere litem cum dæmonibus, vel cum animalibus damna inferentibus, nempè citare, Procuratorem, & Advocatum deputare, libellos ſcribere, alioſque actus judiciarios exercere: quæ omnia cenſentur vana, & ſuperflua, & deceptioni obnoxia ut tradit Delrius, *loc. cit.* Sanchez, *loc. cit. num.* 34. Nùm liceat Exorciſtæ præcipere dæmoni ſuperiori, ut inferiorem è corpore pellat, vide Sanch. *loc. cit.* nempè *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 42. *num.* 21. *& ſeqq.* ubi plura producit Exorciſtis perutilia, nec non neceſsaria.

26 Infero nonò, ad ſuperſtitionem pertinere uti rebus naturalibus ad aliquos effectus producendos, ad quos cenſentur nullam habere virtutem, ſi iis adjungantur vel quædam figuræ, vel characteres aliqui, vel aliqua numina, vel nomina ignota, vel quæcunque vanæ obſervationes, quas clarè conſtat non habere naturalitèr efficaciam; nàm cum hujuſmodi

di res naturali careant virtute ad talium effectuum productionem, conſequens eſt, eas non adhiberi tanquàm cauſas, ſed ſolùm quaſi ſigna, pactum concernentia cum dæmonibus initum, & ſic nullo modo licere homini jis uti; cùm homini nefas ſit dæmonum uti auxilio per pacta, ſivè expreſsa, ſivè tacita. Quando in hoc, aliiſque caſibus ſuperſtitio eſset dubia, quid ſit agendum, vide Doctores allegatos, & ſignantèr Thom. Tamb. in *Decal. lib. 2. cap. 6. §. 1. de ſuperſtitione, num. 61. & ſeqq.*

27 Infero decimò, intèr res manifeſtè ſuperſtitioſas, eſse præcipuè enumerandam chartulam, quam nonnulli ſolent pro doloribus viſcerum portare, in qua eſt ſcriptum *Pater*, & ſtatim *Balthaſar*: *Filius*, & ſtatim *Gaſpar*, *Spiritus-Sanctus*, & illicò aliud nomen ſimile: & ideò hanc chartulam eſse lacerandam, & auferendam, & abolendam ſub peccato mortali, tradit in terminis hujuſce chartulæ cum illis nominibus, Hieronymus Llamas in *Methodo Curationis Anim. 3. p. cap. 3. §. 1. verſ. Quaſcumque chartulas*, quem producit, & ſequitur Carena, *de offic. Inquiſit. p. 2. tit. 12. §. 35. num. 302.* Notent id ſedulò Confeſſarii.

28 Infero ultimò, cognitionem ſortilegiorum, divinationum, & aliorum, pacta, ſivè expreſsa, ſivè tacita, cum dæmone continentium, ſpectare etiam ad Inquiſitores, ut tenet Simanc. *de Cathol. Inſtit. tit. 30. num. 21.* ubi plures pro ſe allegat: Quidquid dicant alii: & probat Tex. in *l. ſi quis ex aliena, ff. de jud. l. Ordinata, §. ult. ff. de libera. cau. cap. Supèr Literis, de reſcript.* Sortilegium verò hæreticale non eſse mixti fori, ſed merè Eccleſiaſtici, illiuſque proindè cognitionem privativè ſpectare ad Judicem Eccleſiaſticum, probat Far. *qu. 181. num. 93. & 101.* Imò in hujus criminis Reos procedere Tribunal Sanctiſſimæ Inquiſitionis, teſtantur Fermoſ. *ad Capit. Cum non ab homine, qu. 24. n. 3. & ſeqq. de judic.* Rayn. *tom. 4. ad cap. 1. ſupplet. 5. num. 190.* & alii, cum hac limitatione, dummodò ſortilegium hæreſim contineat manifeſtam, *Capit. Accuſatus, §. Sanè, de hæret. in 6.* In dubio autèm an ſortilegium ſit hæreticale, vel ſimplex, ad Inquiſitionem ſpectare ſortilegii qualitatem decidere, probat Caball. *reſol. crimin. caſ. 224. num. 73.* Leo in *Theſaur. for. Eccleſ. cap. 36. n. 19.* & alii, & patet ex Edicto S. Officii, ſuperiùs per extenſum relato.

Eidem

Eidem Lib. IV. Diffic. pertin. ad Milites privatos, additur ſequens Difficultas.

Miles in Arte aurifactoria, quæ Alchimia nuncupatur, verſatus, aliquibus Viris Nobilibus, ab eo expoſcentibus aliquas experientias hujus Artis, eorum expenſis conficere, aſſentitur; dubitatur, nùm hic Miles ſit lethalitèr, vel venialitèr culpabilis, pœniſque corporalibus in foro fori obnoxius.

1 Notandum primò, noſtram ſequentes methodum, Alchimiam, ſi etymologiam ſpectemus, ſecundùm aliquos Viros eruditos, eſſe nomen arabicum; ſecundùm alios, hoc nomen eſſe compoſitum ex Arabico, & Græco, & ſignificare *fundo*; ſecundùm alios, eſſe tantummodò Græcum, & venire à *ſale*, & *fuſione*; ſecundùm alios ex Plutarcho, *lib. de Oſir. & Iſid.* eſſe Ægyptium, & Alchimiam in eo idiomate vocari Chemiam, quod puto rærum eſſe commentum; cum Ægyptus, non Chemia, ſed Chammia dicatur à Chamo, ut legitur in *Pſalmis* 77. *verſ.* 51. *In tabernaculis Cham*, & 105. *verſ.* 22. *In terra Cham.* Nos verò Eruditorum Scribentium ſenſui adhærentes, arbitramur, Alchimiam vocem eſſe Hebræam; nàm Hebræi habent *Alichim*, quæ vox ſignificat itinera, ſivè fluxus ab *Alich*, quod ſignificat facere, ambulare, ſeù fluere, & notat Delrius, *Diſq. Magic. lib.* 1. *cap.* 5. *q.* 1. *ſect.* 1. poſt initium; & quidèm rectè; ſiquidàm Ars liquans, ſeù fundens metalla, demptâ litterulâ, ab *Alchim*, fit Alchimia, facillimâ formatione. Nil enim aliud eſſe Alchimiam, quàm pirotechiam, ſivè ignariam artem reſolutoriam, & purificatoriam metallorum, experimentum docet: quæ ars ut *Chymiæ* ſpecies quædam eſt, ſic etiam aurificatoria, ſivè Chryſopæja, ſpecies quædam eſt Alchimiæ, quæ, ut notat Delrius, *loc. cit.* in extrahendo, ſivè ſeparando, & in congregando, ſivè coagulando ex aliis metallis auro tota occupatur; unde

Al-

Alchimia non malè à nonnullis ſpagirica vocatur à ſegregando, & congregando. Placet itàque erudita D. Advocati Urſayæ obſervatio aſſerentis, Alchimiæ nomen æquivocum eſſe, quia quandoque ſumitur materialitèr pro ipſomet metallo adulterato; quandoque pro auro, & argento, vel alio metallo arte facto; quandoque verò pro arte ipſa, per quam talia metalla fiunt, *Inſtit. crimin. lib.2. tit.6. de crim.falſ.n.*178. Quando Ars hæc principium habuerit, non parùm diſcrepant intèr ſe Authores; nobis ſufficiat innuere, hanc vocem notam fuiſſe antiquis Romanis, & memorari à Julio Firmico Latino Scriptore, *lib.3.in Lunæ decretis*, qui vixit tempore Conſtantini Magni; nec non Ægyptiis, apud quos hanc artem fuiſſe in uſu tempore Diocletiani, teſtatur Suidas in *Dioclet.* & ab jis fortè Romani illam acceperunt. Parcat mihi quæsò benignus Lector, ſi in voce mentem & oculos ejus nimiùm occupavi.

2 Notandum ſecundò, non levem eſſe intèr Scribentes controverſiam, nùm hæc ars, ſeù Chryſopæja ſit intèr Artes liberales enumeranda; quam nos prætermittendam ducimus tanquàm ad rem noſtram minimè pertinentem.

3 Notandum tertiò, celeberrimam eſſe in quàvis Mundi parte quæſtionem, an ex non auro, verum aurum produci poſſit, ſeù, an per artem chimicam poſſit verum aurum produci, aùt, ut alii elegantiùs loquuntur, an fieri poſſit naturalitèr tranſmutatio rerum viliorum in aurum, aùt argentum, aùt aliam rem pretioſiorem. Tres eſſe ſententias, duas extremas, quas exiſtimat falſas, & unam mediam, quam cuique prudenti Viro probari debere tanquam veram autumat Greg. de Valentia, *tom. 3. in Comment. Theolog. diſp.6. quæſt.* 13. *de vanis obſerv. punct.* 2. §. *Etenim, de quæſtione Chimica*; ubi has ſententias cum fundamentis producit: ſed quinque eſſe ſententias reperimus; primam, quæ eſt Henrici Gandavenſis, *quodlib.*5. *qu.*3. Timonis, *lib.3. Meteor. qu. ult.* Alberti Magni, *lib.3. de Mineralibus, cap.9.* & aliorum, aſſerentium poſſe per chimicam aurum produci: ſecundam, quæ eſt Avicenæ (quidquid dicat de aliis) *lib.3. Meteor.qu.ult.* relati ab Ægidio Romano, *quodlib.* 3. *qu.* 8. & aliorum, abſolutè, & ſimplicitèr negantium, poſſibibile eſſe à Chimicis verum aurum produci: tertiam, quæ videtur eſſe Pererii, *lib.8. Phyſic.cap.*21. & *de Magia, lib.*1. *cap.*12. Valentiæ, *loc. cit.* dubitativè loquentium, ſeù, neque determi-

natè

natè negantium tranſmutationem illam eſſe abſolutè, & per ſe naturalitèr poſſibilem, neque id etiam affirmantium. Quartam, quæ eſt Martini Delrio, *Diſq. Mag. lib.* 1. *cap.* 5. *qu.* 2. 3. *&* 4. docentis probabilius eſſe, fieri poſſe à Chimicis verum aurum; & aliquando factum fuiſſe, id clarè oſtendente trunco illo, partìm ferreo, partimque aureo, quod Florentiæ aſſervatur in admirabili Magni Ducis Etruriæ Arſenali, ut ſcribit d'Urſaya, *loc. cit. num.* 176. ibi tamen ſubdens, putare fuiſſe opus dæmonis, ex quo illius Author ſtatim fugam arripuit, ne ſe ſortilegum proderet. Quintam, quæ videtur eſſe D. Th. 2. 2. *qu.* 77. *art.* 2. *ad primum*, aſſerentem, non poſſe evidentèr demonſtrari impoſſibilitatem hujuſmodi tranſmutationis, ſed probabilius eſſe, eam tranſmutationem eſſe impoſſibilem, neque aliquando factam fuiſſe. Hiſce quinque additur ſexta ſententia, aſſerens, produci quidèm poſſe aurum non verum, ſed quaſi verum; ideſt non quoad intrinſecam auri perfectionem, ſed tantummodò quoad externas qualitates. Hancque opinionem, cui adhæreo, fuiſſe verè Doctoris Angelici firmitèr ſentio cum Delrio, *Diſq. Magic. lib.* 1. *cap.* 1. *qu.* 1. *ſect.* 2. huic innixus fundamento; nàm ubi ducit controverſiam indeciſam relinquere, ibi ex hypotheſi tantùm loquitur, ut 2. 2. *qu.* 77. *art.* 2. *ad* 1. ubi verò abſolutè, & deciſivè fuit locutus, ut in 2. *ſent. diſt.* 7. *q.* 3. *art.* 1. ibi manifeſtè hanc ſententiam tenuit, & ità ſentire videntur cum Cajetano cæteri Thomiſtæ. Ne miretur benignus Lector hujus adnotationis prolixitatem; eam enim protrahere, cæteriſque fuſiorem reddere, me coegit reſolutio propoſitæ difficultati tradenda, & faciliùs intelligenda.

4 Notandum quartò, Chimicos admodùm gravi torqueri dubitatione circa materiam proximam auri artificialis. Martinus Delrio, qui Chimicis non parùm favet, varias ſententias, *loc. cit.* producit, ſubdens, ab aliquibus exiſtimari hujuſmodi materiam eſſe ferri ſcoriam, ab aliis ſalem, ab aliis alumen, ab aliis magneſiam, ab aliis arſenicum, ab aliis ſulphur, & argentum vivum: & hæc placita refert paritèr Valentia, *loc. cit.* ubi concludit, id eſſe difficillimum ſcitu, & quidèm rectè: Artem enim debere in hac re imitari Naturam certum eſt. Quis autem neſciat, naturam in hoc genere ocultiſſimè agere?

5 Notandum quintò, non defuiſſe, qui putarunt, artem aurifactoriam ad quandam Magiæ ſpeciem pertinere, ut ad-

Tt vertit

vertit Delrio, *Diſq. Magic. lib.* 1. *cap.* 5. *qu.* 3. ubi refert, cuidam petenti à diabolo conſilia circa modum gerendi in flando, & fornaculis continuandis, diabolum (ut ſolet) latebroſum dediſſe reſponſum, quàm breve, tàm ambiguum: *Laborate, laborate*.

6 His adnotatis, ad difficultatem propoſitam, nùm Miles in arte aurifactoria verſatus, qui Viris nobilibus aſſentitur, ab eo petentibus, aliquas ſuæ artis experientias eorum expenſis conficere, ſit mortalitèr vel venialitèr culpabilis, atque in foro fori pœnis corporalibus obnoxius, videtur negativè reſpondendum cum Oldrad. *conſil.* 74. Abb. in *Capit. ex Tuarum, de ſortileg.* Jo: Andr. in *addit. ad ſpecul. tit. de crimin. falſi*, Iſern. in *cap.* 1. *num.* 19. & ibi Bald. *n.* 5. *in tit. quæ ſint regalia in uſib. feud.* Alberic. *in diction. v. Alchimia*, Riccius, *p.* 1. *ædit.* 1. *dec.* 197. Ruit. in *Prag.* 1. *de Monetis*, *nu.* 21. & alii Juriſconſulti, aſtruentes, Alchimiam exercere eſſe licitum, cum Alchimiſtæ ſint Metallarii, quibus licet labore proprio utilitati eorum, & Reipub. conſulere: ideòque eis favet Textus in *l. Perpenſa*, *l. Cuncti*, & *l. Quoſdam*, *Cod. de Metallar.* Præterquàmquod, verum aurum efficere, ſi non eſt poſſibile, ſaltèm controvertitur: Atqui veritatem alicujus rei indagare quiſnam dixerit non licere? Ergò aliquas experientias efficere in Aurifactoria, animo veritatem offendendi, non videtur illicitum.

7 Tùm quia, artem chimicam exercere nullo jure, ſaltèm communi (quidquid ſit de particularibus Locorum ſtatutis, vel Regnorum Sanctionibus) prohiberi communis eſt ſententia juris interpretum. Nulla autem operatio cenſenda eſt illicita, quæ juribus non repugnat.

8 Prætereà, Militem poſſe licitè ſuis, ſuique Ordinis negotiis incumbere, probat Textus in *l. Filiusfamilias*, §. *Veterani*, *ff. eod. tit.* Ideòque Miles ſi poteſt licitè pro ſe, ſuiſque operari, poterit etiam ſuam operationem pro aliis licitè præſtare, ſeù artem chimicam exercere. Additur, hujuſmodi exercitium in ſui utilitatem reredundare, cum non ſit credibile, Viros nobiles, quibus, petitas experientias in ſua arte aurifactoria efficiendo, aſſentitur, velle ſine mercede, forſan etiam conventâ, eum dimittere.

9 Huic opinioni, licitam eſſe alchimiam, aſtruenti, inſpectâ Doctorum authoritate, juris communis diſpoſitione, rationum validitate, necnon probabili poſſibilitate chimicæ tranſmutationis, putabam adhærere:

re: Verùm, re maturiùs perpensâ,& ſubſtantiâ,tùm authoritatum, tùm jurium, tùm rationum,tum poſſibilitatis,enucleatâ,contrarium viſum eſt ſuſtinere,videlicèt,noſtrum Militem peccare, vel lethalitèr, vel venialitèr,juxtà qualitatem materiæ, & pœnis corporalibus ſubjacere, ſi pro ſe, vel pro aliis artem aurifactoriã exerceat, ſivè in hac arte experientias conficiat. Doctores pro nobis non adducuntur, quia hoc noſtrum aſſertum à nullo in terminis, ſeù ſpecificè agitatum reperi: deductivè tamèn nobis ſavent Angelus, *v. Alchimia*, Valent. *in* 2.2. *diſp.6.quæſt.*13. *punt.*2. *diff. ult.* Perer. *de Magia,lib.* 1. *cap.* 12. Sanchez *in Sum. lib.*2. *cap.*40. *num.*51. noſter Molfeſius *in Sum.p.*1.*tract.*11.*cap.*7. *num.*124. & omnes, qui ſuſtinent, hanc artem eſſe prohibitam in foro conſcientiæ.

10 Moveor igitùr primò juribus, *l. nemo Miles*, & *l. Milites*, *qui à Repub.Cod.de re Militar.* & *l.Milites agrorum*, in princ. *ff. eod. tit.* ubi dicitur, Militem ingerentem ſe civilibus negotiis, mercaturæ, agriculturæ, & aliis ſimilibus, quæ avocare poſſunt animum à militia, ſeù à militaribus exercitiis, eſſe puniendum tanquam culpabilitèr agentem; quod etiam probat Textus *in cap.*1. *cauſa.*23. *quæſt.* 1. & Textus *in Capit. Epiſcopi, cauſa* 26. *quæſt.*5. ubi damnatur quælibet ſpeciei in ſpeciem traſmutatio hiſce verbis: Omnia per ipſum facta
„ ſunt, &c. Quiſquis ergò credit
„ poſſe fieri aliquam Creaturam,
„ aùt in melius, aùt in deterius
„ immutari, aùt transformari in
„ aliam ſpeciem, vel aliam ſimi-
„ litudinem, niſi ab ipſo Crea-
„ tore, quì omnia fecit, & per
„ quem omnia facta ſunt: procul
„ dubio infidelis eſt, & Pagano
„ deterior. Additur potiſſimùm Extravag. punctualis *Spondent, de crimine falſi*, ubi Joannes XXII. prohibet expreſsè alchimiam, & gravibus pœnis carceris, & infamiæ punit non ſolùm alchimiam facientes, ſed etiam fieri procurantes.

11 Moveor ſecundò rationibus, primâ ex Sacra Scriptura deſumptâ,Math. *Cap.6. verſ.* 24. ubi dicitur, quod *nemo poteſt duobus Dominis ſervire*; & quamvìs Sacrarum Litterarum Interpretes Textum explicent de Deo, & Mundo; nihilominùs poſſe univerſalitèr intelligi, non dubitamus, ſcientes in quavis ſententia Sacræ Scripturæ plures ſenſus contineri; & ideò cum Miles ſerviat Principi, ſeù Reipub. arma gerendo, non licet ei aliis inſervire flando, fornacellos fabricando, & metalla transformando. Prætereà, Miles, qui conventum ſtipendium habet in ordine ad

militandum, tenetur ex juſtitiâ ſuum adimplere officium; ſtudium autèm, & exercitium Artis aurifactoriæ, communitèr avocare mentem, & animum, & corpus ab his, quæ magis ſunt neceſſaria, & quæ homini ex officio ſuo incumbunt, experimentum oſtendit, & Valentia,*loc. cit.* §.*Tertia*,aſſeverat. Ulteriùs, nefas cuique eſt evidenti peccandi periculo ſe ſe exponere, ità communitèr Theologi, juxtà illud. *Eccleſ. cap.*3. *verſ.*27. *Qui amat periculum, in illo peribit*. Porrò, Artis chimicæ exercitio non unum tantùm, ſed plura evidentia peccandi pericula eſſe adnexa, ratio, & experimentum ſuadent. Periculum, inquam, ex parte finis, quia aurum chimicum poteſt tradi pro auro vero, & ſic ordinari ad medicinas cum periculo Ægrotantium vitæ, ad commercia, contractuſve, & ſic vitiare, & deſtruere humana commercia. Periculum ex parte temporis, quod adimitur aùt artibus pro victu neceſſario exercendis, aùt officio ex charitate, aùt juſtitia adimplendo; aùt œconomiæ domus ex debito adminiſtrandæ, aùt precibus ad Deum ex conſilio, & præcepto effundendis. Periculum ex parte perſonarum, quas ferè ſempèr contigit hac arte depauperari, familiæ neceſſaria nequaquam præberi, filios vagos, ac diſperſos per Mundum abire, uxores, & filias cogi indigno ſe quæſtu ſuſtentare. Periculum, quod pejus eſt, ex parte modi, quem frequentèr eſſe ſuperſtitioſum ex pacto, ſcilicèt, ſivè expreſſo, ſivè tacito cum dæmone, ſcripſit Nicol. Remig.*lib.*3.*cap.*3. *Demonolatr.* & colligitur ex *Directorio Inquiſit.Fidei*,*par.*3. *pag. mihi* 443. *edition. Romane*, quæ in lucem prodiit juſſu Gregor. XIII. ubi ratio ſubditur ab Authore Libri Nicolao Eymerico, quia ut plurimùm Alchimiæ incumbentes, finem præfixum obtinere nequientes, expoſcunt auxilium à dæmone, ut ſuperiùs innuimus, eum invocant, obſecrant, & tacitè, vel expreſsè ei ſacrificia offerunt. Periculum demùm ex parte aliarum circũſtantiarum, quibus Alchimiam vitiari, & culpabilem reddi, vel ipſi nobis Adverſantes fatentur. Quomodo igitur poteſt noſter Miles à culpâ & pœnâ, dum aliis aſſentiturus, Artis chimicæ exercitio incumbit?

12 Moveor tertiò exemplo in Diocletiano, qui, teſte Svida *in Diocletiano*, qui noſcens Alchimiam legi naturali adverſari, in Ægypto mandavit Chimicorum Libros diligentèr conquiſitos ſtatim comburi, id factum Reipublicæ

Bono

Bono exigente: quidquid dicant alii, putantes, ſed perperàm, id fuiſſe ab Imperatore peractum, ne ex illà arte ditati Ægyptii,& pecuniæ freti abundantiâ in poſterum rebellarent. Accedit exemplum Angliæ, ubi, ut fama eſt, ſub pœna capitis ob eumdem reſpectum fuit prohibitum, hujuſmodi artem, inconſulto Rege, exercere, & etiam in Regno Neapolitano, ubi paritèr ob productas rationes hujus artis exercitium fuit abſque permiſſu Principis rigorosè proſcriptum, ut conſtat *in Prag.* 2. §. 17. *de Monetis*.

13 Concludimus itàque, Militem, qui Viris nobilibus aſſentitur, artem chimicam exercendo, ſeù aliquas experientias eorum expenſis efficiendo, culpam, aùt lethalem, aùt venialem juxtà gravitatem, vel levitatem materiæ, non effugere; nec non pœnis corporalibus meritò ſubjacere.

14 Ad oppoſita reſpondetur: ad primum, nempè ad authoritatem Oldradi, & aliorum Juriſconſultorum, eos fuiſſe locutos de foro tantummodò exteriore, de quo fuerant ab aliis interrogati, ut etiam advertit Delrio, *Diſq. Magic. lib.* 1. *cap.* 5. *q.* 4. §. *Cæteri*: ibi ſubdens, à pleriſque eorum rem non fuiſſe diſcuſſam, Oldradi, tanquàm eorum ducis, authoritatem pede celeri ſequutis: undè non eſt cur noſter Miles ſibi blandiatur, vel tutum in conſcientia ſe arbitretur ſententiâ Oldradi, & aliorum Juriſconſultorum.

15 Ad ſecundum patet reſponſio ex noſtro motu primo, ubi Alchimia prohibita exhibetur juribus, præſertim Extravag. Joannis XXII. quam nonnulli auſi ſunt aſtruere, non eſſe uſu receptam, quod valdè miror: non poteſt itàque Miles à peccato excuſari Chimicam exercens, cum debeat venerari ſententiam, & judicium, graviſſimis verbis prolatum, tanti Pontificis, ut fuit Joannes XXII. quia ut Vicarius Chriſti, ut legitimus Petri Succeſſor, à SpirituSancto permotus in hujuſmodi Conſtitutione, ſivè Extravaganti, Bonum totius Chriſtianæ Reipublicæ reſpiciente, exiſtimavit fore ab hujus artis exercitio abſtinendum, ſibique cenſuit damnandum.

16 Ad tertium patet reſponſum *in Theol. Bellic. tom.* 1. *lib.* 4. *diffic.* 4. *num.* 13. ubi dicimus, non rectè deduci ab eo, quod allegata jura concedunt, nempè poſſe Militem ſuam, & ſui ordinis cauſam agere, poſſe & aliena agere; ſiqui dèm, cum cauſa Militis, & ſui Numeri, ſivè Ordinis ſpectet ad ſtatum Militiæ directè vel indirectè, ſequitur, ſempèr reſpicere aliquo modo defenſionem Princi-

pis,

pis , ſeù Reipublicæ ; atqui aliorum negotia nullatenùs ſpectant ad ſtatum militiæ ; imò à militando aùt removent , ut ſuperiùs oſtenſum eſt , aùt ſaltèm retardant Militem . Ad id , quod ibi additur, præfatum exercitium redundare in Militis utilitatem ratione mercedis illi promiſſæ,reſpondetur(quidquid ſit de mercede , quæ poteſt non tribui , quia non ſempèr promiſſum , aùt pactum conventum obſervatur) poſſe loco utilitatis grave Militi præjudicium contingere , ut patet ex dictis , & infrà in illationibus clariùs demonſtrabitur .

17 Infero primò ex dictis, non poſſe licitè aurum alchimiſticum vendi æquali pretio pro auro vero , ſeù naturali ; aliàs venderetur incertum pro certo, falſum pro vero , & ſine peccato hujuſmodi venditionem non poſſe fieri , tradunt Theologi, Canoniſte,& Juriſconſulti.Huic noſtræ illationi favet Ægydius Romanus,*quodlibet*. 3. *queſt*.8. Martinus Delrio, *diſq. Magic. lib*.1.*cap*.5. *qu*.1.*ſect*.2.§.*Tres invenio*, cum aliis : poſſe tamen vendi pro auro alchimico , & juxtà æſtimationem peritorum Aurifabrorum, Doctorum, in hac re ſcribentiũ,dubitat nemo.

18 Infero ſecundò , nefas omninò eſſe adhibere aurum alchimiſticum in medicamentis, quæ neceſſariò requirunt aurum verum & naturale ad cor confortandum, & quoſdam morbos mitigandos : prætérquamquod , hujuſmodi aurum arte factum , attentâ diverſâ ratione conſtitutionis , poſſet notabilitèr debilitare , aùt alterare humani corporis complexionem , eique grave detrimentum adferre , cum minimè cenſeatur veri auri vires , ſeù qualitates ſalutares habere, nec noxiis qualitatibus ab igne , ut vulgus dicit, carbonario, & venenato hydrargyro contractis carere . Videatur circa hanc materiam Conciliator, nobis intèr alios, favorabilis,in *Differentia* 209.

19 Infero tertiò , nefas eſſe auro alchimico uti ad monetarum mixtionem , & ſic facientes, præter peccatum mortale,committere crimen Monetarii, juxtà memoratam Sanctionem Joannis XXII. eſſeque propterea puniendos pœnâ monetæ adulteratæ : quod etiam notat Delrio, *loc. cit. qu*.4. Non tamèn negamus poſſe quempiam citra peccatum , illud cudere , ſivè producere, in annulos, catenas, aùt aliam ſupellectilem propriam tantùm convertendum, dummodò tamen talem adhibeat vigilantiam , & cautelam, ne quis eo vivente , aùt poſt ejus obitum , queat decipi;al iàs ad menſuram negligentiæ culpam ille committeret .

20 In-

20 Inſero quartò, minimè licere experientias facere in Arte aurifactoria præcisè ad veritatem perquirendam, & cognoſcendam; nàm quamvis veritatis cognitio, per ſe loquendo, ſit bona; poſſe tamèn contingere per accidens eſſe malam, docet D.Th.2.2.*q*.167. *art*. 1. *in corp*. ratione ſcilicèt alicujus conſequentis, ut in caſu noſtro; vel inquantùm, habitâ cognitione veritatis, poteſt quis ſuperbire ſecundum illud 1. *ad Cor. cap*. 8. *verſ*.1. *Scientia inflat*. vel inquantùm quis utitur veritatis cognitione ad peccandum, ut contingit in Alchimiſtis, juxtà ſuperiùs expoſita in motu ſecundo.

21 Inſero quintò, decipi, & à culpâ non eſſe immunes eos, qui Alchimiæ incumbunt ſolâ vanâ curioſitate ducti: nàm curioſitatem eſſe culpam oppoſitam ſtudioſitati per exceſſum, quo quis deſiderat immoderatè ſcire quod nō expedit, vel pluſquam expedit ipſi, vel modo, quo non expedit, ut contingit in re noſtrâ, docet D. Th. *loc. cit*. & animum vanitatibus, atque inſaniis falſis applicatum, à dæmone facillimè decipi, idque eſſe omnis ſuperſtitionis initium, tradit S. Aguſtinus, *lib*. 2. *de Doct. Chriſt. cap*. 22. *&* 23. Ideoque Deus, volens homines ab hujuſmodi curioſis occupationibus amovere, admonet in Scriptura Sacra, ut iis potiùs attendant, ad quæ unuſquiſque ex officio, & vocatione ſuâ, diviniſque præceptis eſt obſtrictus, præcipuè *Ecleſ.cap*.3.*verſ*.24.*& ſeqq*.— *In ſupervacuis rebus noli ſcrutari multiplicitèr, & in pluribus operibus ejus*, ideſt Dei, *non eris curioſus. Plurima enim ſuper ſenſum hominum oſtenſa ſunt tibi. Multos quoque ſupplantavit ſuſpicio illorum, & in vanitate detinuit ſenſus illorum*. Ideſt opinio, & ſpes, explicat Valentia, *loc. cit*. §. *Septimò*, quòd fortè poſſint chymicè mirabilia fieri: *Et qui amat periculum*, concludit ibidem Sapiens, *in illo peribit*.

22 Inſero ſextò, eos, qui ſe occupant in hujuſmodi vanitatibus, ideſt chimicis experientiis, non effugere ſuſpicionem, ſeù notam ſuperſtitionis; quippe quâ fuiſſe vehementèr notatos Arnoldum Villanovanum, & Lullum, & Bachodum, & Ricardum Anglicum, & alios, ſcribit Martinus Delrio, *loc. cit*.

23 Inſero ſeptimò, nullatenùs fore permittendum in quavìs Repub. Alchimiæ uſum, ſeù exercitium tanquam ei ſummoperè noxium, & pernicioſum. Oportet enim, Rempublicam ſubditos habere divites, ut queant eorum viribus in contingentia bellorum, alia-

rum

rumque adverſitatum auxilium Reipub. ſuppeditare. Omnes verò, vel ſaltem ferè omnes hujuſmodi artem exercentes, paulatim ad extremam inopiam & paupertatem fuiſſe redactos, experimentum teſtatur; undè quidam, apud Pereriam, *lib.* 8. *Phyſicorum, cap.* 21. non erravit dicens, Alchimiſtas non efficere aurum, ſed abſumere; non implere crumenas, ſed magis deplere, & exhaurire. Oportet in Republica viva & tuta adeſſe commercia, quæ ſunt ſuſtentamentum Reipublicæ, & commercia vero auro nutriri, augeri, & conſervari. Diximus ab Alchimiſtis falſum aurum, falſamque monetam effici, ex quo commerciorum deſtructio, aùt ceſſatio haud-dubiè procedit. Oportet Rempublicam abundare Viris doctis, prudentibus, atque piis, qui ſunt publici Boni Columnæ; ſtudium verò chimicum eſſe communitèr indiſcretum, & à vero ſtudio doctrinarum, quæ ſunt neceſſariæ pro conſervatione Reipublicæ, & publici Boni, animos amovere, tradunt omnes Viri ſapientes, atque Theologi, ut advertit Valentia, *loc. cit.* §. *Ex quibus*; ſubdenteſque, ſtultitiâ, & imprudentiâ notari eos, qui ſatagunt ex hac arte lucrum pro ſe, vel pro aliis reportare; nota ſanè juſtiſſima, nàm videntes, quod ad nihilum cuncta redegerint flando, parati nihilominus ſunt proſequi, & ad imum cunctam rem decoquere, & philoſophico lapide, quem ſemper ſperant, pro quo ſemper laborant, quem nunquam habebunt, bona cuncta, & propria, & aliena dilapidare. Hinc in memorata edictali Conſtitutione *Spondent*, quâ Ars chimica prohibetur, & indiſtinctè damnantur omnes chimicam exercentes tantum, eſtò non utantur, Summus Pontifex inquit in principio -- Spondent

„ quas non exhibent divitias
„ pauperes Alchimiſtæ, paritèr
„ qui ſe ſapientes exſtimant, in
„ foveam incidunt, quam fece-
„ runt, &c.

24 Infero octavò, hanc materiam eſse à Confeſſariis funditùs perpendendam, perpendendaſque omnes & ſingulas hujuſmodi Artis circumſtantias, ut valeant noſcere quando Alchimiſtæ mortalitèr, vel venialitèr peccaverint; ut queant diſcernere nùm pactum expreſſum, vel tacitum, vel nullum cum dæmone circà hujus artis exercitium intervenerit, ut rectè ſciant impendere, denegare, vel differre hiſce accedentibus ad Sacrum Tribunal abſolutionem; ut ſatagant in cunctis, etiam in Principibus, ea reprehendere, quæ eorum officium dedecet diſſimulare, memores

mores Julium I. dixiſſe *in Capit. Officii*, *cauſa* 24. *qu.* 1. pro eorum inſtructione -- Officii no-
„ ſtri conſideratione non eſt no-
„ bis diſſimulare, non eſt tacere
„ libertas, quibus major cunctis
„ Chriſtianæ Religionis zelus in-
„ cumbit: Memores, ſe gerere in hoc Sacramentali Judicio vicem Domini Noſtri Jeſu Chriſti, qui vult Delinquentes indiſcriminatim ſecretò corripi, ut queant, auditâ fraternâ Correptoris voce, reſipiſcere, *S. Matth. cap.* 18. *verſ.* 16.

Eidem Lib. IV. Diffic. pertin. ad Milites privatos, additur ſequens Difficultas.

Confeſſarius Exercitus ſcit certò extrà ſecretum Sacramentale, bellum, quod geritur, eſſe injuſtum. Miles in eo pugnans, id invincibiliter ignorans, accedit ad Confeſſionem, dubitatur, nùm Confeſſarius teneatur illum admonere de injuſtitia belli, ſi deſperat hujuſmodi admonitione proficere?

1 NOtandum primò, juxtà morem noſtrum, graviſſimam eſſe intèr Theologos controverſiam, nùm Milites, ſivè ſubditi Principis bellum gerentis, ſivè extranei, ſeù non ſubditi, dubitantes de juſtitiâ belli, poſſint licitè bellare: Quoad primos, controverſia fuit reſoluta *tom.* 1. *lib.* 1. *diff.* 39. *num.* 20. & alibi, eos debere eorum Principi parere, & militare, ſemoto tamèn dubio practico, an ſibi ipſis liceat militare. Quoad verò ſecundos, nempè Milites extraneos, fuit reſoluta *eod. tom. lib.* 4. *diff.* 7. *num.* 6. probabiliùs eis licere bellare, dummodò eorum dubium ſit merè ſpeculativum, aùt ſcrupuloſum, & non practicum. Hìc non ducimus repetere, quæ alibi diximus.

2 Notandum ſecundò, correptionem, ſecundum communem Theologorum ſenſum, eſſe admonitionem, quâ cogimur noſtrum proximum à peccato revocare, & hanc fore præceptam jure tùm naturali, quo membra unius corporis ſe mutuò juvare tenentur, ut docent

Theologi, intèr quos, Buſembau, *in medul. Theol. moralis, lib.2. tract.3. cap.2. de præcept. charit. dub.5.* tùm Divino poſitivo, *Matth. cap.18. verſ.16.* & tradunt Bec. Laym. Fill. & alii, quos producit Buſembau *loc. cit.*

3 Notandum tertiò, materiam ſufficientem præcepti obligantis ad admonendum, ſivè ad correptionem faciendam, eſſe per ſe omne peccatum mortale proximi, ità communitèr ſcribentes, hac fulti ratione, quia cum per peccatum mortale adimatur proximo vita ſpiritualis, conſequens eſt, ab eo, ſufficientem neceſſitatem correptionis induci. Non tamèn excludimus à materiâ correptionis peccatum veniale, quod fatemur etiam obligare ad corrigendum, non quidèm gravitèr, niſi aliquando, ut infrà explicabitur, ſed tantùm venialitèr.

4 Notandum quartò, correctionem duplicem eſſe, ſcilicèt coactivam, & oſtenſivam tantùm; primam ſpectare tantummodò ad Prælatos, ſecundam verò ad omnes, innuit D. Th. 2. 2. *q.33. art.1.* ubi dicit, correctionem delinquentis eſſe quoddam remedium adhibendum contrà peccatum proximi, & proximi peccatum poſſe duobus modis conſiderari; primò, inquantùm nocet ei, qui illud committit: ſecundò inquantum vergit in nocumentum aliorum, qui ex ejus peccato injuriâ afficiuntur, vel ſcandalum ſumunt, necnon inquantùm nocumentum adfert Bono Communi, cujus juſtitia per peccatum proximi perturbatur. Ex quibus perſpicuum eſt, duplicem eſſę correctionem delinquentis, alteram quidèm, quæ adhibet remedium peccato, inquantùm eſt quoddam malum ipſius peccantis; quæ propriè fraterna correctio nuncupatur, quæque ad emendationem delinquentis ordinatur, & ad omnes ſpectat. Alteram verò correctionem eam eſſe, quæ adhibet remedium peccato delinquentis inquantùm eſt malum aliorum, & præcipuè Reipublicæ, ſeù vergit in nocumentum communis Boni. Hujuſmodi correctionem pertinere ad Prælatos, non videtur ambigendum, eſſeque actum juſtitiæ, cujus eſt conſervare rectitudinem juſtitię unius ad alterum, docet D. Th. *loc. cit.* in corp.

5 Notandum quintò, Pœnitente, ignorantiâ vincibili, & culpabili lethalitèr, cujuſcunque juris, vel facti ſit, laborante, nefas eſſe Confeſſario diſſimulare, ſeù tacere, quamvis admonitio non ſit profutura, & quodcunque ſcandalum Pœnitentis ſequatur: ità omnes fatentur; & quidèm rectè, ſcientes

tes

tes,hujuſmodi ignorantiam minimè excuſare; & conſequentèr Pœnitentem affectum eſſe culpâ lethali, quippè quam, ſi Confeſſarius diſſimularet, Sacramentum indigno conferret; atque adeo ejus diſſimulatio foret graviter peccaminoſa, undè ad vitandum peccatum, non videtur poſſe controverti, teneri Confeſſarium ſuum illuminare Pœnitentem, ſeù præfatam ignorantiam ſuâ prudenti admonitione ab eo expellere, ut, eâ ſemotâ, queat malum, in quo reperitur, cognoſcere, & ſtimulis agitatus fortè aliquando reſipiſcere, Sot.*in* 4. *diſt.*18. *q.*2.*art.*4.*ad* 2. Ledeſm. & alii, quos producit Sanchez *de matrim. lib.*2. *diſp.*38. *num.*2.

6 His adnotatis, ad propoſitam difficultatem, nùm Confeſſarius Exercitus, ſciens certò, extrà tamèn ſecretum Sacramentale, bellum, quòd geritur, eſſe injuſtum, teneatur admonere Militem, ad Sacrum Tribunal accedentē,de injuſtitiâ belli, quam ipſe invincibilitèr ignorat, quamvis deſperet hujuſmodi admonitione proficere, videtur negativè reſpondendum cum pluribus DD. & noviſſimè cum Emanuel. Correa, *in Idea Conſiliar. diſp.*1.*de Conſiliario in com.ſect.* 2. §.6. *num.* 91. nàm ignorantiam invincibilem excuſare à peccato, notatum eſt ſupra, & ſentiunt communitèr omnes Theologi, & Canoniſtæ; itèm materiam ſufficientem præcepti obligantis ad correctionem delinquentis eſſe peccatum mortale,notatum eſt paritèr ſuperiùs. Certum eſt igitùr, Militem, qui invincibilitèr ignorat injuſtitiam belli, in quo pugnat, nequaquàm peccare: Ergo Confeſſarius minimè obſtringitur illum, ſivè in actu Confeſſionis, ſivè extrà Confeſſionem, de injuſtitia belli admonere.

7 Præterea, intèr circumſtantias concurrentes ad obligationem præcepti correctionis,quarum quælibet ſi deſit, præceptum non obligat, ſpes fructus communitèr à Doctoribus enumeratur. Ergò ſi Confeſſarius probalitèr credit fore, ut ſua admonitio non proſit, non tenetur admonere, ceſſante enim fine, ceſſant paritèr media. Si enim admonitio nihil eſt profutura, ad quid inſervit admonitio? *Non effundas ſermonem, ubi non eſt auditus*, Dictum eſt commune.

8 Tùm quia, *in Capit.Quando*, *cauſa* 11. *q.*3. S. Hieronymus admonet, eſſe tacendum, quādo correctio nihil eſſet profutura,aùt delinquentes ex correctione efficerentur deteriores. Additur Textus, *in Capit.Quia circa*, *de conſanguinitate*, ubi conſultus Innocentius III. de quibuſdam, qui ſurreptitia diſ-

pentione matrimonium contraxerant, ſic reſpondet -- Diſſimulare poteris, ut remaneant in copulà ſic contractà; cum ex ſeparatione grave videas ſcandalum imminere: Quibus juribus non obſcurè probatur, admonitionem fore prætermittendam, quando nulla adeſt ſpes fructus, immò aliquod nocumentum timetur.

9 Demùm, Confeſſarius ſic admonendo Militem, probabili mortis periculo ſe exponeret: Siquidèm Miles correptus facilè admonitionem patefaceret; & Dux, ſivè Princeps id percipiens, poſſet Confeſſario corripienti, tanquàm bellum injuſtitià notanti, & Exercitum ſubvertenti, vitam adimere. At Confeſſarius non tenetur cum tanto ſuo incommodo admonere.

10 Huic ſententiæ, quæ primà facie, ut difficultatem concepi, mihi ſummoperè placuit, adhærere putabam; verùm, re funditùs, exactiùſque examinatà, contrariam, quæ viſa eſt probabilior, atque Animarum ſaluti ſecurior, duxi amplecti: & ità ſentire videntur, Jacobus Granado 2.2. *controv.*3. *tract.* 12. *diſp.*1.*num.*6. Henriquez, *de pœnit. lib.*3.*cap.*27.*n.*4. Sanchez, *de matrim. lib.*2.*diſp.*38. *n.* 15. Card. de Lugo, *de pœnit. diſp.*22.*ſect.*2.*n.* 30. ubi alios citat, qui, ſi attentè legantur, huic meo aſſerto indubitantèr favent.

11 Moveor primò juribus *in Capit. Officii noſtri, cauſa* 24. *quæſt.* 1. ubi Julius I. Summus Pontifex admonet, non eſſe diſſimulandum, maximè ubi agitur de bono communi, & munus, quod quis gerit, exigit loqui; & tacere non eſſe libertatem, in quam fideles, præſertim Miniſtri Chriſti, ſunt vocati, juxtà Apoſtoli admonitionem, *Vos enim in libertatem vocati eſtis Fratres, ad Galat. cap.*5. *verſ.*13. & *capit. Epheſiis, diſt.*43. ubi Gregorius dicit, eum delinquere, aùt præſumi delinquentem, qui verbum Dei, ſeù veritatem haud annunciat illam ignorantibus, & facit Textus, *in l. Sed ſi quis, ff. quemadmodum teſtam. aper.* & *l. Inter officium, ff. de rei vend.* & *l. poſt legatum, §. Advocatum, ff. de his, quibus ut indig.* cùm aliis ſimilibus, ubi habetur, nemini officium ſuum nocere debere. Porrò, nocumentum, & quidèm grave, officium Confeſſarii ſibi, ſeù ſuæ Animæ inferret, ſi omitteret admonere Militem, qui ex ignorantià invincibili pugnando in bello injuſto, grave adfert Bono communi præjudicium.

12 Moveor, ſecundò rationibus, Me docent S. Amb. 2. *offic. cap.*24. & S. Leo, *ſerm.*4. *de col-*

lectis

lectis, in cauſa Dei, ſeù in rebus forum internum concernentibus, diſſimulare non leve eſſe peccatum; & magnam eſſe pietatem delinquentium latebras prodere, & ipſum in eis, cui ſerviunt, diabolum debellare. Atqui Confeſſarius, qui ſcit bellum eſſe injuſtum, & militem ignorantèr in eo bellare, deſinens ipſum admonere de injuſtitià belli, quo Deus offenditur, certò diſſimulat: Ergo peccat. Tum quia, teneri Confeſſarium adhibere admonitionem, quando ex ignorantia juris, aùt facti, ſivè invincibili, ſivè vincibili, noſcit præjudicium inferri Bono communi, non videtur poſſe negari, ut docet Sanchez, *loc. cit.* cum bonum commune debeat privato bono pœnitentis præferri: Charitas enim benè ordinata bonum commune præfert bono particulari, bonum ſpirituale bono temporali. Et quamvis fructus minimè ſperetur; conſuletur tamèn Bono communi, inquit Henriq. *loc. cit.* ubi excuſat quidèm ab onere admonendi, ſed quando malum non vergit in damnum publicum, ſed privatum. Ergo ſi damnum publicum ex ignorantia procedit; ſi Pœnitens ignorans non admonetur; Confeſſarius omittendo admonitionem non excuſatur, juxtà Textum, *in Capit. Error*, *diſt.* 83. ubi habetur, approbari errorem, cui minimè reſiſtitur. Præterquàmquod, illa ignorantia, quâ Miles nunc laborat, quæque nunc invincibilis eſt, facilè poteſt in vincibilem tranſire; ac proinde miles tunc incipiet malâ fide pugnare. Ergò etiam ex hoc capite tenetur noſter Confeſſarius Caſtrenſis Militem monere, bellum, in quo militat, eſſe injuſtum. Inſupèr, & quidèm fortiùs. Certum eſt, Pœnitentem accedere ad Confeſſarium, tanquam ad Doctorem Vicarium Dei, ut ab ipſo inſtruatur; nam Confeſſarius in eo munere vel eſt proprius Paſtor pœnitentis, vel vicesgerit proprii Paſtoris, aliàs non poſſet confeſſiones ſacramentales audire. Ergò infideliter ſe gerit, ſi omittat inſtruere; & abſolvens pœnitentem errantem, inſtructione prætermiſſâ, videtur ſuo facto approbare, confirmareque errorem. Certum paritèr eſt, ignorantiam juris, ſivè divini, ſivè humani, nunquam eſſe invincibilem, niſi deficiente aliquo, à quo ignorans inſtruatur: Cùm ergò poſſit tunc Confeſſarius inſtruere, tenetur; aliòquin ignorantia invincibilis pœnitentis fit culpabilis Confeſſori; quia potens alios ab errore revocare, præcipuè in damnum commune redundante, tacendo, ſe ipſum errare demonſtrat

ſtiat, ſecundum Textum punctualem *in Capit. Qui alios, de hæret.*

13 Moveor tertiò exemplo in eo, qui ſciens, proximum extremâ laborare indigentiâ, tenetur, ſecundùm communem Theologorum doctrinam, ſi poteſt, eleemoſynam ei ſuppeditare. Quid eſt ignorantia invincibilis Militis pugnantis in bello injuſto, niſi extrema indigentia ſciendi rectè agere, quod ignorantèr agit? Itàque Confeſſarius Exercitus, qui ſcit, Militem hac extremâ neceſſitate laborare, tenetur in ſua admonitione hanc ſpiritualem eleemoſynam ei elargiri, juxtà Theologorum monita, præſertìm D.Th. 2.2. *quæſt.*32.*art.*2. ubi notat, intèr ſeptem eleemoſynas ſpirituales, primam eſſe docere ignorantem. Huic exemplo aliud additur, quod refert Sanchez, *loc. cit.* de Parocho, qui invincibilitèr purat, ſubditos ſolùm teneri ſcire articulos fidei, vel habet errorem in fide, aùt moribus; tenetur enim Confeſſarius illum admonere, quidquid indè ſequatur, ne errore Bonum commune Ovium ſibi commiſſarum nocumentum patiatur. Ex quo ſequitur, ſi eſſet ſcandalum, publicaque fama nullitatis matrimonii, quod Parochus ignoraret, Confeſſario onus incumbere admonendi; cum hujuſmodi ignorantia ſit contra Bonum commune, ut tradit Card. de Lug. *loc.cit.* Aliud exēplum, quo apprimè probatur, admonitionem non eſſe prætermittendam, eſtò fructus non ſperetur, mihi ſuggerit Textus Canonicus in *d.Capit.Epheſiis,diſt.* 43. *& in d. capit. Error, diſt.* 83. de Doctore publico, ſivè Concionatore, dicens, eum teneri publicè veritatem docere, licèt fructus alicujus Privati non ſperetur, ſed potiùs ſcandalum, quia doctrina ea ad bonum publicum ordinatur, quam proptèr privatum malum non eſſe reticendam, probatur verbis Apoſtoli, *Act.*20.*verſ.*26. *Mundus ſum à ſanguine omnium. Non enim ſubterfugi, quò minùs annuntiarem omne conſilium Dei vobis*: quem Textum S. Gregorius, relatus in d. *Capit.Epheſiis* ad hoc propoſitum refert; cui mirè conſonat Gloſ. in *d.Capit. Error*, dum dicit -- „ Dicitur hìc, quòd ſi poſſum reſiſtere errantibus, & perturbare perverſos, & negligo; mala eorum videor approbare per conſenſum, &c. Et hæc omnia de Doctore publico eſſe intelligenda, tradunt Sot. in 4. *diſt.*18. *qu.* 2. *art.* 4. *ad ſecundum*, Can. *Relect.de pœnit.p.*5. §. *Teſtimonia verò*, Barth.à Ledeſm. *de pœnit. dub.* 13. Arragon. 2.2. *qu.*33. *art.*6. *concluſ. ult.* & alii, animadvertentes, quòd

quòd ſi in illa temporis circumſtantia timeretur Puſillorum in totâ Reſpublicâ ſcandalum, in aliud tempus magis opportunum deberet illa doctrina diſferri.

14 Concludimus itàque, Confeſſarium Exercitus, qui certò ſcit, extrà ſecretum Sacramentale, bellum, quod gerit Princeps, eſſe injuſtum, teneri de hujuſmodi belli injuſtitia, militem, id invincibilitèr ignorantem, quando ad confeſſionem accedit, prudentèr admonere, quamvis deſperet hujuſmodi admonitione proficere.

15 Ad oppoſita reſpondetur: ad primum, concedendo, ignorantiam invincibilem excuſare à peccato; & militem, hac ignorantiâ laborantem, non peccare in eo bello pugnando; ſed negando, Confeſſarium eſſe liberum à correptione: ſiquidèm, ſi præceptum Divinum non urget ratione peccati privati, urget aliundè, videlicèt, ratione publici damni.

16 Ad ſecundum: admittendo in Admonente requiri ſpem fructus, eàque ceſſante, illum non urgeri præcepto ad admonendum, quando agitur de delicto privato, malum privatum reſpiciente; ſecùs verò, quando agitur de delicto privato, eſtò involuntariò, in damnum publicum redundante, ut patet in motu tertio. Præterquàm quod; ſivè malum, ſeù damnum ſit privatum, ſivè commune, nullatenùs videtur omittenda admonitio; quamvis enim nulla tunc affulgeat ſpes fructus; nihilominùs cum omnes res humanæ ſempèr alicui ſubjaceant dubio, ut alibi demonſtravimus, non eſt omninò certum, nullum aliquando futurum profectum; nàm Miles à Confeſſario monitus, excitatâ in ſuo interno ſynderesi, adversùs hujuſmodi pugnam latrante, & contra dictamen ejus conſcientiæ pugnante, poteſt aliquando ad ſe reverſus reſipiſcere, atque militiam terreſtrem, quando bellum eſt injuſtum, relinquere, Cœleſti Militiæ adſcribendus; non monitus autèm poteſt ſempèr in ea ignorantia cum aliorum detrimento permanere. Ex quo perſpicuum eſt, admonitiones in noſtro, & in ſimilibus caſibus, non eſſe actus omninò vanos, & inutiles, ut prætendunt Adverſarii.

17 Ad tertium, ſeù ad Textus Canonicos reſpondemus, ad textum in *Capit. Quando*, noſtro aſſerto minimè obſtare, ibi enim, inquit S. Hieronymus, delinquentem non eſſe quovis tempore, aùt loco corrigendum, ne pejor evadat, ſed eſſe expectandum tempus, & locum magis opportunum, aptioremque modum adhibendum,

ut

ut correptio queat effectum deſideratum faciliùs obtinere : nàm experimentum docet, expedire admonitiones, inſpectis perſonarum qualitatibus, aliiſque circumſtantiis, quandoque eſſe debere mites, quandoque aſperas, quod omnes fatentur, & intèr cæteros, Card. Turrecrem. in Tex. allegatum, *nu.*1. circa fin. ubi admonet, quòd quando Prælatus videt omnes, vel ferè omnes, & præſertìm omnes majores, ità in malo obſtinatos, quòd ex correctione fierent deteriores, debet tacere quouſque cœlitus detur occaſio, & opportunitas redarguendi, ut puta, in tempore famis, vel belli, vel peſtis, vel alterius flagelli; tunc enim non debere Prælatum dulcem in correctione ſe oſtendere, ſed aſperum & illam perſecutionem, ſeù temporum calamitates, eorum peccatis adſcribere, probat Textus in *Capit. Non poteſt, cauſa* 23. *q*.4. Ad ſecundum rex. videlicèt, *Quia circa, de conſanguinitate*, reſpondent Adrian. Cordub. & alii apud Sanchez *loc. cit. num.*12. Pontificem reſpondiſſe, eſſe tacendum, & diſſimulandum, quia Conjuges bonâ fide exiſtimabant ſe legitimè conjugatos eſſe, & ex veritatis detectione grave ſcandalum timebatur. Reſpondent alii, quibus adhæreo, ab illa Pontificis diſſimulatione, attento ſcandalo ferè inevitabili, inductam fuiſſe diſpenſationem, quâ matrimonium, quod erat invalidum, validum efficeretur, ac proindè Conjuges in contracto matrimonio eſsent tuti. Ex quibus, aliiſque reſponſis patet, Textum nil nobis officere, ſiquidèm in caſu matrimonii, de quo loquitur Textus, agitur de bono privato; at in noſtro caſu militari agitur de bono communi, ſeù de bono Reipublicæ, cui Miles pugnando in bello injuſto grave præjudicium infert.

18 Ad ultimum, concedimus, inſpecto ordine charitatis, non teneri Confeſſarium cum tanto ſuo incommodo noſtrum Militem admonere de injuſtitiâ belli, in quo pugnat; ſcimùs enim intèr conditiones neceſſarias ad exequendum præceptum correptionis, unam eſse, ut corripienti, illiud exequenti, non immineat periculum vitæ, famæ, aùt alterius nocumenti, cùm quiſque debeat ſeipſum magis diligere, quàm proximum, extrà tamen caſum extremæ neceſſitatis ſpiritualis, infra in illationibus explicandum. Ità me docent Trullench. *in Decal. tom.*1 *lib.*1 *cap.*5. *dub.* 14. *num.* 9. Caſpenſ. *in Curſu Theolog. tom.*2. *tract.*17. *diſp.*6. *ſect.*1. *nu.*12. Duvallius, *in* 2.2. *tract. de correct. qu.* 9. *art.*4.

*art.*4. & alii, quos probat Diana, *p.*7. *tract.*3. *reſ.*26. ubi dicit, hoc aſſertum eſse commune. Itaque Confeſsarius, ſi rationabili timore mortis afficeretur, poſset ſeipſum immunem habere ab onere admonendi.

19 Infero primò ex dictis, ad eſsentiam præcepti correctionis, haud requiri neceſsariò ſpem omninò certam fructus, ſeù non requiri, fructum certò, & ſtatim ſperari, ſed ſufficere ſpem probabilem, atque ſi decurſu temporis ſperetur: quoad primam partem hujus illationis, nobis favet D. Thom. 2. 2. *qu.*33. *ad* 1. cum aliis communitèr: quoad verò ſecundam, nobis opitulatur Suarez, *de char. diſp.*8. *ſect.*3. *num.*4. Sanch. *lib.* 3. *de matrim. diſp.* 13. *num.* 3. Sylv. Adrian. Navar. cum aliis.

20 Infero ſecundò, quemlibet teneri exponere vitam corporalem certo periculo mortis pro vita ſpirituali proximi, quando neceſſitas ſpiritualis, in qua reperitur proximus, eſt ſimplicitèr extrema, & ultima, ut puta, quando proximus eſt in periculo manifeſto vitam terminandi in peccato mortali, & ſucceſſivè mortem æternam, & irreparabilem incurrendi, nemine exiſtente, qui valeat ab eo tantam ruinam ſuâ admonitione admovere. Hæc illatio roboratur authoritate Doctoris Angelici *Opuſc.* 18. *cap.*14. ibi animadvertentis, vitam ſpiritualem pròximi noſtri eſse in dilectione proprio corpori præferendam, atqueadeo eſse de neceſſitate præcepti in articulo neceſſitatis ponere vitam corporalem pro ſalute ſpiritual proximi: intellige ſempèr, quando neceſſitas ſpiritualis eſt ultima, & extrema. Secùs verò, quando hujuſmodi neceſſitas eſt tantummodò gravis, imò gravior, & graviſſima, quatenùs Corrigendus, exiſtens in peccato mortali, eſt minùs reparabilis, nihilominùs ei non deeſt tempus pœnitendi. Nùm homo privatus teneatur in hac poſteriori neceſſitate exponere vitam corporalem pro vita ſpirituali proximi, aùt illum corripere cum aliquo detrimento ſui boni temporalis, aùt cum gravi periculo amittendi honorem, aùt ſuas facultates? vide quoad utramque neceſſitatem, Turrianum in 2. 2. *tom.*1. *diſp.* 87. *dub.*2. Malder. ibi, *qu.*33. *art:*3. Bann. ibi, *qu.* 33. *art.*3. *dub.* 4. *concl.* 3. Coninch. *de charit. diſp.*28. *dub.* 6. *nu.*126. & etiam Diana, *p.* 7. *tract.* 3. *reſ.* 27. ubi alias duas controverſias minoris momenti reſolvit; primam nempè, nùm quiſpiam teneatur diligere magis vitam corporalem proximi, quàm bona ſua temporalia: ſecundam, an mortalitèr pec-

cet, qui, pro ſervanda vita proximi corporali, non exhibet periculo omnia ſua bona temporalia. Hæc incidentèr dicta ſint.

21. Infero tertiò, Confeſsarium, qui ſcit, matrimonium ſui Pœnitentis eſse nullum, uti contractum contrà diſpoſitionem Concilii Tridentini, & Sacrorum Canonum, idque ab eo invincibilitèr ignorari, obſtrictum eſse illum admonere; dum modò Pœnitens poſſit facilè diſpenſationem obtinere, credatque fore, ut ſufficientem diligentiam adhibeat ad illam obtinendam, & abſit periculum antè diſpenſationem obtentam accedendi ad uxorem, ſciens, attentâ invaliditate matrimonii contracti, non eſſe ſuam. Verùm, ſi Confeſsarius probabilitèr credat, poſse adeſſe grave periculum incontinentiæ, dùm petita diſpenſatio Summi Pontificis expectatur, quod ſanè non raro poteſt contingere, Confeſsario ſuaderem tunc tacere, & interim neceſſariam diſpenſationem impetrare, quâ obtentâ, & receptâ, Pœnitentem de nullitate matrimonii admonere, & eum eo, juxtà tenorem Brevis Pontificii, ſtatim diſpenſare.

22 Infero quartò, placitum aliquorum Theologorum, abſolutè aſserentium, licitum eſse differre correctionem, eo fine, ut proximus peccatorum pondere oppreſsus, ferventiùs reſipiſcat, propriam miſeriam, ſeù lacrymabilem ſuum ſtatum cognoſcendo, ut tutiùs queat in praxim deduci, aliquibus indigere limitationibus, nempe, quando ex dilatione correptionis timeretur in intermedio tempore lapſus proximi in grave peccatum, aùt ipſius mors corporalis in ſtatu peccati mortalis, aùt ejuſdem, vel tertiæ perſonæ, vel Reipublicæ notabile detrimentum, cui obviari poſset ipsâ correctione fraternâ; quibus in caſibus dilationem correptionis eſse lethalitèr culpabilem, tradunt Riginald. *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 25. *num.* 345. quem citat, & ſequitur Diana, *p.* 7. *tract.* 3. *reſ.* 30. & ratio ſuadet, quia id eſt contra charitatem in materia gravi; ſecùs verò, ſeù eſse tantummodò de ſe culpam venialem, quando nihil prædictorum timeretur, differre correptionem ſine cauſa ad aliud tempus, cùm minimè redundet in gravem Dei, vel proximi injuriam hujuſmodi dilatio, & nullo modo eſse culpabilem, imò non ſolùm licitam, ſed etiam debitam eſse poſse hujuſmodi dilationem, ſi & nihil jam dictorum timeretur, & aliqua juſta cauſa ſuaderet, & exigeret, fore ad aliud tempus differendam. Quidquid dicat Franciſcus de Caſtillo in 3. *ſent.* *tom.* 2.

tom. 2. *diſp.* 6. *de correct. qu.* 4. *num.* 10. contrarium docens, videlicèt, nullatetenùs licere correctionem differre eâ intentione, ut proximus oppreſsus peccatis reſipiſcat, conceptâ ſui deplorabilis ſtatus cognitione; nàm quamvis, inquit, Deus quandoque ſic permittat, ut poſt & ipſum auxiliando, à peccatis eruat; tamèn hoc nobis non licet, quia neque ſcimus certò futura contingentia, ſicut Deus, neque præbere poſsumus auxilia efficacia, ſicut ipſe; miſericordia non patitur fratrem relinquere involui in peccatis, etiam ſi ſit ſuſpicio, quòd reſurget de futuro. Sic ille ex Soto.

23 Infero quintò, pœnitentem, qui ignorat omiſſiones rerum ad ſuum munus ſpectantium, eſse peccaminoſas; vel ignorat res neceſsarias, puta, articulos Fidei, præcepta Decalogi, & Eccleſiæ, aliaſque obligationes ad ſuum ſtatum, & officium pertinentes, eſse à Confeſsario edocendum, quando ex conſcientia erronea putat aliquid non eſſe peccatum, quod reapſe peccatum eſt; aùt è contra, aliquid eſſe peccatum mortale, quod verè non eſt, ob quod exponitur periculo peccandi vel omittendo, vel committendo. Hanc illationem ſuâ authoritate firmat Henriq. *de pœnit. lib.* 3. *cap.* 28. *nu.* 1. & 2. ſed fortiùs ratio intrinſeca, quia nempè Confeſſarius Doctor eſt, atque Pœnitentis proprius Sacerdos, ſeù Paſtor, vel ſaltèm viceſgerens ejus Paſtoris, unde debet illum ſtatim inſtruere, niſi expediat illum ad alium mittere, ab eo erudiendum.

24 Infero ſextò, teneri ad correctionem Parentes reſpectu filiorum, Maritos reſpectu Uxorum, Dominos reſpectu ſervorum; quod etiam admonet Hurtad. de Mendoſ. *diſp.* 162. *ſect.* 2. §. 10. Villalobos *in Sum. to.* 2. *tract.* 4. *diffic.* 6. *num.* 5. Parentes inquam, & quidem ſpeciali titulo; & alitèr facientes, nempè omittentes corrigere filios, quando delinquunt, peccare mortalitèr, vel venialitèr, juxtà gravitatem, vel levitatem materiæ, atque indignationi Divinæ ſubjacere, quod probat exemplum Heli, 1. *Reg. cap.* 3. *verſ.* 1. & *cap.* 4. *verſ.* 18. qui de repente deceſſit, eòquòd omiſerit filios ſuos admonitione amovere à peccato, quo Populum à Sacrificiis arcebant.

25 Infero ſeptimò, Epiſcopos, Prælatos Religioſorum, & ſimiles Animarum Paſtores, teneri ex officio, & juſtitia, etiam cum ſuo incommodo, & quandoque cum proprio vitæ diſcrimine, correctionem adhibere, ad nihilum redigendum peccata publica. Ità paritèr ſentiunt Bannes, Valentia, Turrianus,

nus, Palaus, & alii, quos probat Diana, *p.7. tract.3. reſ.*28. ubi aſſerit, hanc eſſe communem Theologorum ſententiam, quam Chriſtus Dominus noſter docuit verbo & exemplo in diſcrimine adducto intèr Paſtorem, & Mercenarium, nempe *quod bonus Paſtor Animam ſuam ponit pro ovibus ſuis: Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, &c.* Et ratio convincit, nam hujuſmodi Paſtores pacti ſunt cum Chriſto Domino curam, & ſolicitudinem Gregis, pro qua ab eo pluribus bonis ditantur, ut advertit Diana, *loc. cit.* ibidem ſubdens, idem eſſe dicendum de Magiſtratibus. Paſtor igitur bonus debet à Mercenario differre, qui cernens ad Oves accedere Lupum, fugit; quam fugam perpendens Card. Turrecrem. in *Capit. Officii, cauſa* 24. *quæſt.* 1. inquit--

„ Benè dicit, quia tacendi non eſt „ libertas, quando multi dormiunt in peccatis, multi Lupi inſidiantur Ovibus; unde „ opus eſt clamare contra dormientes, & contra Lupos adverſantes, dicit S. Gregorius in „ Paſtorali, qui proximi mala reſpiciunt, & eum ſilentio linguam premunt; hi autèm conſpectis vulneribus uſum medicationis ſubtrahunt, & eò plùs „ mortis authores ſunt, quò vulnus, quod poterant curare, nolunt: undè taciturnitas eſt in „ Prælatis damnabilis multò magis in Papa. Quã ſanè veritatem clarè percipiens Iſajas, lacrymando dicebat - *Væ mihi, quia tacui, Iſai. cap. 6. verſ.* 5. *Væ mihi*, explicat Dionyſ. Carth. in Tex. quoniam tacui peccando per omiſſionem. *Væ mihi*, idem explicat, quia tacui ab his, quæ dicere debui: Sicque incurrit peccatum omiſſionis quantùm ad linguam, non obſervans illud *Eccleſ. cap.* 3. *verſ.* 7. tempus tacendi, & tempus loquendi. Tacuit, ſubdit Cornelius à Lapide, Iſajas, auditis Seraphinis. *Væ mihi, quia tacui*, neque laudavi Majeſtatem tantam, quam ab Angelis nunc tanto ſpiritu laudari cerno. Tacui, inquam, cum loqui poteram; nunc autem ex quo Deum & Seraphim vidi, cogor tacere, etiamſi loqui cupiam; ipſorum enim conſpectus, & Majeſtas me elinguem fecit; ſed jure hæc patior, quia quando poteram loqui, nolui, & incumbens timori, tacui; nunc cum maximè volo loqui, non poſſum. Sic ille. Tacuit, quoad rem noſtram, Iſajas inordinatè, quãdo Regem Oziam de ſua præſumptione, non ſatis audactèr corripuit, Diony. Carr. *Væ mihi*, quia tacui. S. Hieronymus, S. Cyrillus, & Haymo, cenſent hoc peccatum Iſajæ fuiſſe taciturnitatis, ſcilicèt, quòd peccata Populi, ac Procerum, vel tædio,

dio, vel metu victus inſectari deſierit, ac nominatìm, quòd Oziam Regem, qui cum non eſſet Sacerdos, ut notat in Tex. alleg. Cornelius à Lapide, voluit Idolis incenſum adolere. Addit Sanchez apud eumdem Cornelium, peccaſſe Iſaiam, quod metu Regis tacuerit, atque permiſerit, eum leprâ contaminatum in Urbe habitare, nec curaverit eum, juxtà legem Levit. *Cap.* 13. *verſ.* 46. ab Urbe expelli.

26 Has pertimeſcentis Prophetæ Iſajæ anguſtias, atque anguſtiarum fundamenta intelligant Diœceſum Præſidentes, ſeù Epiſcopi: intelligant Religioſorum Prælati: intelligant Principum Confeſſores, atque Theologi. Intelligant inquam, Epiſcopi, qui cernentes Oves aberrare, Viduas, & Pupillos opprimi, Immunitatem Eccleſiaſticam violari, totam Diœceſim culparum incendio deflagrari, tacent, pacatè domi ſuæ dormiunt, obliti ſui officii, legibus, ut inquit Hurtad. *loc. cit.* ſe fore obſtrictos, omnes angulos conſpicere, ne aliquod peccatum maneat in tenebrarum latebris incorrectum. *Ve.* Intelligant Prælati regulares, quibus ex officio cura ſubditorum incumbit; qui, gravi neceſſitate interveniente, tenentur vitam corporalem pro ſalute ſpirituali ſubditorum offerre, ut tradit Diana, aliis citatis, *p.* 7. *tract.* 3. *Reſ.* 28. quique peccare poſſunt, etiam graviter, veniales culpas non impedientes, ſi vigor regularis diſciplinæ per hoc diminuatur, ut docet Buſemb. *in ſuâ Medullâ, lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 2. *dub.* 4. a d re ſp. 3. ſi id negligunt, & omittunt, ſi delicta vident, & tacent: *Ve.* Ideòque ipſis memorare duco, quod Clem. VIII. in ſua *Conſtitut.* 60. quæ incipit -- *Nullus omninò*, §. 27. zelo verè Apoſtolico dicit, nempe -- Illud porrò Superiores omnes in Domino admonemus, ut memores ſint rationis, quam in noviſſimo die reddituri ſunt pro Grege ſibi commiſſo; ac propterea omni ſtudio invigilent, ut quæ in eorundem Ordinis Regulis, & Conſtitutionibus de oratione mentali, ſilentio, jejuniis, capitulo culparum, aliiſque ſpiritualibus exercitiis prudentèr, ac piè ſancta ſunt, & omnia, ac ſingula ad unguem obſerventur; intelligantque, ſupèr his veluti fundamentis omnium Religionum Ædificia conſtruenda, ac implenda eſſe. Intelligant demùm Principum Confeſſarii, necnon Theologi, qui ab eis conſulti circa ſuarum conſcientiarum directionem in Reipublicæ gubernatione, aùt metu ducti, aùt ambitione moti, aùt alio obliquo fine ſtimulati, eis veritatem

tem occultant; eis approbant, quod deberent omninò reprobare; eis permittunt tanquàm quid licitum, quod rationi, legibus, & forſan quandoq; etiam juribus Eccleſiæ apertè adverſatur; ſicque dicunt, quod eſſet tacendum; tacent, quod eſſet dicendum; & dùm ſatagunt aliorum conſcientiam quietam & liberam reddere, propriam turbant, irretiunt, Omnipotenti Deo, qui omnium Judex eſt, qui judicat juſtitias, rationem redditurì. *Væ*, *Væ*, *Væ*, niſi ſe gerant, ſicut Elias, & Eliſæus, qui, omni timore deſpecto, ut notat eruditiſſimus Cornelius à Lapide in Tex. *allegat.* increparunt Achab, Joram, alioſque Reges Iſraelis prævaricatos.

Lib. VII. Diffic. pertin. ad Naves, additur ſequens Difficultas.

Expugnatâ armorum violentiâ per Piratam Chriſtianum Navi Chriſtianorum, ſub Duce Chriſtiano, Turcico expoſito vexillo, navigante; Merces in ea exiſtentes, partìm ad Chriſtianos, partìm ad Turcas ſpectantes, fuerunt ab eo deprædatæ, venditæ, & diſtractæ; controvertitur, nùm hujuſmodi venditio ſubjaceat reſtitutioni?

1 NOtandum primò, ut expoſcit methodus noſtra, magnum dari diſcrimen intèr Navem Turcicam, in qua exiſtant Chriſtiani, & quæ aggrediatur Navem Chriſtianorum, & Navem Chriſtianam, quæ aggrediatur Navem Turcarum, in qua exiſtant etiam merces Chriſtianorum. In primo caſu licitam eſſe deprædationem mercium Chriſtianorum, ſecùs tamèn in ſecũdo, tradit Cavalcan. de Brach. *reg. fragmen.* 25. pag. mihi 165. & probat Sac. Rota in *Melevitana Deprædationis*, 8. *Maii*, 1711. *coram Molines*.

2 Notandum ſecundò, ſatis frequentem eſſe in Navibus, non ſolùm bellicis, ſed etiam mercantilibus, vexillorum mutationem ob cauſas infrà referendas & explicandas. Scimus enim, Naves Turcicas ſæpè explicare vexilla Chriſtianorum, ut puta, Regis Chriſtianiſſi-

niſſimi, Regis Hiſpaniarum, Reipublicæ Venetæ, &c. & viceversâ, Naves Chriſtianorum quandoque deferre vexillum Turcarum, & hæc quidem ad opportunitatem, ſeù ad exigentiam eventuum. Scimuſque paritèr, Navium Duces in hujuſmodi vexillorum mutatione, ſemotâ finis pravitate, prudentiam oſtendere, & laudem mereri; hujuſceque ſtratagemmatis uſu non pauca pericula evitare.

3 Notandum tertiò, in contingentia deprædationis, vel naufragii onus incumbere Naviculario, ut alibi tetigimus, feſtinantèr comparendi coram Judice Loci deprædationis, aùt naufragii; & poſito impedimento, ad locum propinquiorem accedendi, ad effectum ibi probandi ſequutam deprædationem, aùt ſequutum naufragium, per duos, vel tres Teſtes, ad Tex. in *l. Si quis*, *Cod. de naufrag. lib.* 10. & tradit Rot. *deciſ.* 369. *num.* 17. *par.* 19. *recent.* ibique, *num.* 62. addit, quòd ad tollendam omnem machinationis, aùt calliditatis ſuſpicionem in Capitaneo, probari debet, navim fuiſſe defenſam eo modo, quem defenſio exigebat.

4 Notandum quartò, ut veritas facti dignoſcatur, Teſtes debère concludentèr deponere, maximè circa tempus ſequutæ deprædationis, aùt ſequuti naufragii. Animadvertimus tamen in hac materia deprædationis, & pertinentiæ rerum deprædatarum, alios Teſtes haberi non poſſe, ut notat Rot. in *Melevitana Deprædationis, Veneris*, 8. *Maii*, 1711. §. *Neutiquam*, *coram Molines*, quàm ipſos Nautas, alioſque Mercatores, & Socios itineris, coæquales, & plurimùm habentes intereſſe ſupèr Navi deprædatâ: Quamobrem cum agatur de re difficillimæ probationis, non ſunt anguſtiandæ, ut loquitur Rota, *loc. cit.* eædem probationes, nec ſeorſim conſiderandæ cum rigore juris, ſed admittuntur etiam leves, ad hoc, ut omnibus ſimul junctis eruatur concludens probatio. Animadvertimus paritèr, adversùs violentum Deprædatorem admitti quoque præſumptiones, & adminicula, nec non Teſtes, eſtò aliquibus exceptionibus obnoxios, ut vult Rota, *deciſ.* 246. *num.* 27. & *ſeqq. par.* 6. *deciſ.* 497. *num.* 1. & 2. *par.* 14. *deciſ.* 95. *num.* 1. & 3. *par.* 15. *recent.* Card. de Luca, *de Regal. diſc.* 195. *ſub num.* 4. & 5. Man. *conſult.* 274. *n.* 20. & *ſeqq.* cum aliis.

5 His cum aliqua prolixitate adnotatis pro majori Tribunalium commoditate, atque conſcientiarum ſecuritate in contingenti Navium deprædatione,

ne, ad difficultatem propoſitam; nùm venditio, ac diſtractio rerum deprædatarum, juxtà caſum expoſitum, reſtitutioni ſubjaceat, negativè videtur reſpondendum per ea, quæ tradit Textus in *l. Nàm origo, ff. quod vi, aùt clam, & l. Si tamèn, ff. ad Senat. Conſ. Maced. l. Pomponius, ff. de negot. geſt.* ubi habetur, quòd principium cujuſcunque rei eſt ſpectandum, & ſecundum ipſum judicandum; quod etiam ſentiunt communitèr Theologi, & Canoniſtæ; undè ſi principium, v. g. belli eſt juſtum, bellum eſt juſtum, & juſta ſunt quæcunque ex tali bello ſequuntur; Dictum eſt autèm in titulo difficultatis, adfuiſſe in navi expugnatâ, & deprædatâ, etiam merces Turcarum, fuiſſeque Navim ſub Turcico vexillo ductam. Ergò expugnatio, & deprædatio, quæ fuit per Piratam Chriſtianum ſequuta, cenſenda eſt juſta, ergo legitima; Ergò nulli reſtitutioni obnoxia.

6 Prætereà, Navis mercantilis aggreſſa præſumitur ſtrenuè reſtitiſſe, ne ſuas deperderet merces; illum enim, qui vim patitur, poſſe pugnare, & ſe defendere pugnando, ratio naturalis oſtendit, & ſatis perſpicuum eſt, juxtà Textum punctualem in *l. Si pignore 56. ff. de furtis, & l. Ne timorem 7. ff. de eo, quod metùs cauſa.* Ex capite autèm ſequutæ præſumptivè reſiſtentiæ licitam quoque & juſtam fuiſſe deprædationem quoad merces non ſolum Turcarum, ſed etiam Chriſtianorum, & ſucceſſivè legitimam mercium venditionem, & diſtractionem non videtur poſſe dubitari.

7 Ulteriùs, in confirmationem aſſerti duæ adduntur ſententiæ in ſimili caſu deprædationis in Tribunalibus Melitæ noſtris diebus emanatæ, & in duabus Deciſionibus Sacræ Rotæ infra allegandis memoratæ, contra Demetrium Dell'Arſa, & Theodorum Athanaſium Mercatores Græcos Catholicos, qui inſtruentes, ſeù tentantes judicium in Tribunali Magiſtratus Armamentorum adversùs Equitem Franciſcum de Cyntray, & Capitaneum Magrum, Piraticam exercentes contra Turcas ſub vexillo Sacræ Religionis Hieroſolymitanæ, pro obtinenda reſtitutione mercium per ipſos deprædatarum, ſeù ſolutione pretii earundem, necnon refectione damnorum, expenſarum, & intereſſe, contrariam paſſi fuerunt ſententiam, ſubindè in gradu appellationis confirmatam in Tribunali Audientiæ Magni Magiſtri.

8 Omnibus inſimul attentis hujus facti, ſeù deprædationis circumſtantiis, putabam huic

opi-

opinioni aſſentiri: Verùm, re meliùs perpensâ, & ſubſtantiâ ſequutæ deprædationis enucleatâ, cogor pro veritate contrariam ſuſtinere, videlicèt, venditionem, & diſtractionem mercium in caſu expoſito deprædatarum non eſſe legitimam; ac proindè, merces deprædatas eſſe eorum Dominis reſtituendas, aùt earumdem pretium eiſdem ſolvendum. Et ità ſentire videtur Caſtren. in *Repet. l. manumiſſiones, ff. de juſt. & jur.* Jaſ. *in l. Ex jure, num.* 23. *eod. tit.* Guerrett. *in ſpeculo Princip. cap.* 47. Sot. *lib.* 4. *de juſt. & jur. quæſt.* 2. *art.* 2. Covarr. *in regul. peccatum, p.*2. §.11. & noviſſimè in terminis deprædationis S. Rota *in Melevitana deprædationis quoad Demetrium, Veneris, die* 8. *Maii*, 1711. *coram Molines*; & *Lunæ, die* 22. *Februarii*, 1712. *coram Eminentiſſimo Priolo*, Card. de Luca, *de Regal. diſc.* 195. *num.* 13. Illuſtriſſimus Anſald. *in Tractatu de Commercio, & Mercatura, diſc.* 9. *in fin.*

9 Moveor primò juribus civilibus in *l.* 1. *Cod. de naufrag. lib.* 10. *l. Expugnatur, l. Ne quid, l. Licere, ff. de incend. &c.* ſed fortiùs juribus Eccleſiaſticis, ſeù Canonicis, *Concil. Lateran. III. ſub Alexand. III. cap. Excommunicationi, de raptoribus, Conſtit. Pauli III.* quæ incipit, *Accepimus* 42. *Conſtitut. Julii III.* 20. *Conſtit. S. Pii V.* 7. *Conſtitut. Gregorii XIII.* 81. §. 4. *Conſtit. Pauli V.* 63. Bullâ Cœnæ Domini, §. 4. quibus Apoſtolicis Conſtitutionibus cuique interdicitur ſub variis pœnis, merces, aliaque bona, quæ ad Chriſtianos ſpectanr, deprædari, aùt illorum perſonis aliquod damnum inferre: Et quamvis hujuſmodi jura, ſeù Conſtitutiones propriè loquantur de bonis Chriſtianorum naufragantium, pœnas imponentes ſurripientibus hujuſmodi bona, cujuſcunque generis ſinr, in Navibus, ſivè in Mari, vel Littoribus inventa, nihilominùs faciunt etiam ad rem noſtram; ſiquidèm Navis ab Hoſtibus expugnata poteſt aliquo modo dici pro naufragium paſſâ, ut probavimus *to.* 2. *lib.* 7. *Diffic.* 25. & ex iiſdem juribus allegatis, & allegandis colligitur; allegandis inquam, ut ſunt Decreta Congregationis de Propaganda fide, prout teſtatur Illuſtriſſimus Anſaldus in *tract. de Commerc. & Mercat. diſc.* 9. aliaque Decreta Sanctiſsimæ Inquiſitionis, quæ per extenſum refert Pignatellus, *Conſult. Canon.* 99. *tom.* 8. Quæ ſanè Decreta, juribus civilibus, & Eccleſiaſticis adhærentia, mirificè favent Chriſtianorum rebus contentis in Navibus, violentiâ ſivè armorum,

ſive tempeſtatis, expugnatis, illarum rapinam, etiam ad excluſionem Fiſci, impedientia, declarando earum Dominis illas fore reſtituendas.

10 Moveor ſecundò rationibus: nàm bona illa Navis indebitè expugnatæ jure poſſidebant Mercatores, ut ſupponitur, qui vigore expugnationis indebitæ illarum dominium nequaquàm amittunt, juxtà *Conſtit. uni.* Honorii II. §. 2. Ergò eiſdem, qui ſunt legitimi earum Domini, ea ſunt reſtituenda; ac proindè, ſi vēdita, & diſtracta fuerunt, venditionis contractus nullus, ſaltèm poſt cognitam veritatē, ſeù poſtquam Pirata Chriſtianus cognovit Navim eſſe Chriſtianam, ex ſui natura eſt declarandus. Tum quia actio, quæ ortum habet ex cauſa injuſta, non poteſt eſſe juſta. Inſpectis juribus civilibus, & Canonicis ſuperiùs allegatis, expugnatio Navis eſt injuſta: Ergò mercium venditio, quæ ab hujuſmodi expugnatione ortum habuit, injuſta cenſetur. Præterèa, ſicuti quæ acquiruntur in bello, jure belli acquiri dicuntur; propterea ſi bellum eſt injuſtum, cum minimè aſſiſtat jus, ſequitur acquiſitionem eſſe injuſtam; ubi enim adeſt injuſtitia, abeſt juſtitia; & ubi abeſt juſtitia, non poteſt adeſſe jus. Quâ doctrinâ, quæ videtur incontrovertibilis, non obſcurè probatur ſuſtineri caſum noſtrum, ſeù Expugnatoribus Navis nullum in merces, in ea contentas, competere jus, ſaltèm poſtquàm cognoverunt Ductorem Navis eſſe Catholicum; Dominos mercium, quoad partem majorem, eſſe Catholicos, Viros in ea exiſtentes, exceptis nonnullis Turcis, eſſe Catholicos; & ſucceſſivè injuſtam eſſe præfatarum mercium acquiſitionem. Stante enim diviſione rerum, jure gentium introductâ, quicunque poſſidet, jure poſſidet: ab actione verò, quâ jus violatur, non poteſt oriri aliquid juſtum, ut eſt dominium, quod eſt effectus juſtitiæ.

11 Moveor tertiò exemplis, primo Bellantium, teſte Valerio Maximo, *lib. 6. cap. 5.* ſcribente, plurima bona acquiſita fuiſſe à Populo Romano, qui, ut cognovit bellum haud juſtum fuiſſe, legitimis eorum Dominis ea reſtituit. Idemque feciſſe antiquos Romanos, tenebris infidelitatis obcæcatos, ſolo rationis lumine ductos, ſcilicèt reſtituiſſe cum libertate agros Phocenſibus, quia bellum non erat juſtum, author eſt Titus Livius, *lib. 28. hiſtor.* Secundo in facto prædictorum Mercatorum Catholicorum, nempè Demetrii dell' Arſa, & Theodori Athanaſii, qui duobus ſententiis Tribunalium Me-

Melitæ gravati circa reſtitutionem prætenſam mercium Navis ab Equite Cyntray, & Capitaneo Magro expugnatæ, adversùs judicata interponentes appellationem ad Sanctam Sedem, reportaverunt commiſſionem manu Sanctiſs. Domini Noſtri Clementis XI. ſignatam, & directam Eminentiſſimo Card. Caprara fel.rec.qui duplicem protulit ſententiam præcedentium revocatoriam, alteram videlicèt faventem Demetrio dell' Arſa, & alteram faventem Hæredibus Theodori Athanaſii interim è vita diſceſſi; quibus in ſententiis condemnati fuerunt præfati Piratæ, ſeù Deprædantes ad reſtitutionem pretii mercium; necnon ad refectionem damnorum, & intereſſe, etiam lucri ceſſantis, & expenſarum, etiam extrajudicialium. Quibus judicatis minimè acquieſcentes dicti Deprædantes, novâ obtentâ commiſsione manu ejuſdem Sanctiſsimi, ad quem recurrerunt, ſignatâ, & directâ Eminentiſsimo Paracciano, ut cum voto Rotæ procederet: Propoſito itàque in Rota dubio concernente intereſſe Demetrii- *An & de cujus bono jure conſtet*, fuit reſponſum -- *Conſtare de bono jure Demetrii in d. Melevitana coram Molines*. Iterumque commiſſo supèr cauſa utriuſque Mercatoris examine Eminentiſsimo Paracciano, ad hoc, ut procederet cum voto Rotæ, *Lunæ 22. Februarii*, 1712. fuit reſponſum -- *Conſtare de bono jure utriuſque*; & DD. paritèr ſteterunt in deciſis, ut patet in *d. Melevitana Deprædationis, coram Eminentiſſimo Priolo*. Quam utique veritatem, addit Sac. Rota in *d. Melevitana, coram Molines*, in fine, proprio facto comprobarunt ipſimet, Eques Cyntray, & Dominicus Magrus, Deprædantes, qui reverſi ad Inſulam Melitæ, & conventi à Frangullo Duce Ondri, ſeù Navis deprædatæ, ſatiùs duxerunt devenire ad concordiam, in qua factâ reſtitutione ipſius Ondri, effectivè exburſarunt ſcuta 2100. eidem Frangullo pro damnis paſsis ex cauſa deprædationis per eos commiſſæ. Non eſt igitur veriſimile, Deprædantes voluiſſe Navem deprædatam reſtituere, & damna etiam de proprio compenſare, quando deprædatio fuiſſet juſta, & excuſabilis; imò quando ex aliquo etiam opinato, & colorato titulo ſalvari potuiſſet, ut patet ad ſenſum. Hæc Sacra Rota, *loc. alleg.*

12 Concludimus itàque, nullatenùs ſuſtineri quoad forum externum, multò minùs quoad internum, venditionem Navis Mercantilis à Duce Catholico vectæ, per Piratam Catholicum

deprædatæ, rerumque deprædatarum ad Catholicos ſpectantium, in ea repertarum; quamvis in ea extarent aliqui Turcæ, mercesque aliquæ Turcarum, & tempore deprædationis hujuſmodi Navis ſub vexillo Turcico navigaret; ac proindè Navim, ac merces, exceptis Turcarum mercibus, eſſe eorum Dominis reſtituendas.

13 Ad oppoſita reſpondemus: Ad primum, concedendo antecedens quoad omnes ſui partes, quæ noſtro aſſerto, ſeù concluſioni nullatenùs nocent; negando tamen conſequentiam: Valeret enim argumentum, ſi Navis Mercantilis eſſet Turcica, & Turcarum eſſent omnes merces; quamvis in illa aliqui extarent Chriſtiani, & merces aliquæ Chriſtianorum: quò in caſu deprædatio hujuſmodi Navis, rerumque turcicarum in ea exiſtentium eſſet juſta, & ſucceſſivè valida earumdem venditio, & diſtractio, juxtà doctrinam primi Not.

14 Quod ſubditur, nempè in Navi deprædata adfuiſſe aliquos Turcas, & merces ad ipſos ſpectantes, nobis non officit; tantummodò enim probat, Piratæ Chriſtiano minimè potuiſſe competere jus, ſeù facultatem deprædandi indiſcriminatim merces univerſas in Navi exiſtentes, quod utique fatemur, ſcientes, in hujuſmodi facti contingentia capiendas ſolummodò eſſe res ad Turcas ſpectantes, relictis cæteris, quæ ſunt Chriſtianorum, ut optimè probat Manſ. *conſult.* 275. *nu.* 29. Card. de Luca, *de regal. diſc.* 195. *num.* 15. *&* *num.* 20.

15 Per id, quod additur, videlicèt, vexillum Turcicum in Navi expoſitum deferri, deprædationem nullatenùs juſtificari, non obſcurè probat doctrina ſecundi Not. Ultraquàmquod, neminem latet, pleraſque Chriſtianorum Naves Turcicum vexillum quandoque deferre, quod ibi tangitur, ut tutiùs valeant per ora Turcarum tranſire abſque oneredatiorum, & periculo repræſaliarum, & variationem vexilli frequentèr hodiè adhiberi, vel ad hoſtes decipiendos, vel ad moleſtias evitandas, vel ad benevolum Receptorem inveniendum, vel ab aliis in aggreſſu inimicorum, aùt procellarum, faciliùs ſuppetias obtinendas; unde in variatione, ſeù mutatione vexilli non poteſt in favorem deprædationis conſtans probatio fundari, ut tenet, aliis productis, Manſ. *d. conſult.* 275. *num.* 29.

16 Ad ſecundum, admittendo factum præſumptæ pugnæ, & reſiſtentiæ, quo ſanè ſuſtineri non poteſt, licitam eſſe Navis ag-

aggreſſæ deprædationem; nàm, ſuppoſitâ aggreſſione, licita defenſio, quam omnia jura cuique concedunt, non tribuit Aggreſſoribus jus licitè deprædandi Aggreſſos; aliàs fures, rapientes bona juſtè poſſeſſa à reſiſtentibus, non poſſent obligari ad reſtitutionem, quod cunctis juribus apertè repugnat.

17 Ad tertium, patet ad evidentiam reſponſum ex noſtro tertio motu.

18 Infertur primò ex dictis, Piratis Chriſtianis, aliquam Navem cum vexillo Turcico aggredientibus, & deprædantibus, onus incumbere, antequàm navim, & merces in ea contentas vendant, & diſtrahant, ſedulò inſpiciendi, nùm navis ſit Turcica, & merces ad Turcas pertineant; & comperto, quòd Navis ſit Chriſtianorum, & merces ad ipſos ſpectent, illam liberam dimittendi. Ità ſe geſſit Marchio Florì Pedemontanus, ſivè Sabaudus Strenuus Dux contra Turcas, qui, captâ Navi Venetâ, mercibus Armenorum onuſtâ, coniiciens ex vexillo mutato, illam eſſe Turcicam Navem, ut cognovit Venetam eſſe, illam dimiſit: interim ipſe captus à Navibus Venetis de hujuſmodi aggreſſione ſtatim admonitis, ſed dimiſſionem navis neſcientibus, fuit in Inſula Sudæ relegatus; poſtmodum verò, juridicè cognitâ à juſtiſſimo & inclytiſſimo illo Senatu ejus innocentiâ, fuit libertati priſtinæ reſtitutus. Et hoc factum contigit dum ipſemet Venetiis degerem munus Concionatoris exercens.

19 Infero ſecundò, Deprædantes injuſtè aliquam Navem, teneri in conſcientia non ſolùm reſtituere merces deprædatas, aùt illarum pretium, ſed etiam compenſare omnia damna occaſione hujuſmodi deprædationis paſſa; ut in puncto probat etiam Card. de Luc. *de regal. diſc.*159. *num.* 13. & Illuſtriſſimus Anſald. *loc. cit.* & ratio naturalis convincit; ſiquidèm Deprædans damnum infert Deprædato, & ſucceſſivè obſtringitur reſtituere deprædatum in eo ſtatu, in quo fuiſſet non ſequutâ deprædatione, ut optimè probat Molin. *de juſt. & jur. tom.*3. *tract.*2. *diſp.*626. *num.* 1. Bonacin. *de præcept. Eccleſ. diſp.*1. *quæſt.*3. *punct.*1. *propoſit.*2. *num.*8. Azor. *Inſtit. moral. par.*3. *lib.*4. *cap.*25. cum aliis.

20 Infero tertiò, illicitum cuique eſſe ea bona ſibi retinere, quæ ſcientèr ab injuſtis Deprædatoribus, titulo ſivè donationis, ſivè emptionis accepit, ſed ea eſſe prioribus Dominis reſtituenda; quia Piratis injuſtè aggredientibus, Domini rerum non amittunt earum rerum dominium, quæ fuerunt

ab

ab illis ablatæ. Sic etiam ſentit Ceſpedes in ſuis *Dubiis Militaribus*, *dub*.78.

21 Infero quartò, Fidelem, qui ab Infidelibus emit bona, ſivè mobilia, ſivè immobilia, in bello injuſto ab ipſis malè acquiſita, peccare mortalitèr, & teneri ea vero domino reſtituere; nàm à bello injuſto nequaquàm transferri rerum dominiũ, docet D.Th.2.2.*q*.66.*ar*.8.*ad*1.

22 Inferò quintò incidentèr, Principes ſi aliquid indebitè extorquerẽt per violentiam à ſubditis, vel non ſubditis, gravitèr peccare; & ad reſtitutionem teneri, & tantò graviùs peccare, quantò periculoſiùs contrà publicam juſtitiam agerent, cujus Cuſtodes ſunt à Deo conſtituti. Ità etiam D.Th.*loc.cit.ad* 3.

23 Infero ſextò, incurrere excommunicationem Concil. *Lateran. III.* ſub Alex. PP. III. *cap*. 24. Honor.II.*d.Conſtit.un.* quæ incipit *Chariſſimus*, Julii II. *Conſtit*.20. R*omanus*, Pauli III. *Conſtit*. 42. *Accepimus*, Pii V. *Conſtit*. 7. *Cum nobis*, & etiam *Bullæ Cœnæ*, *Can*. 4. Surripientes Bona Chriſtianorum, non ſolum de Navibus ob tempeſtatem naufragium paſsis, ut omnes fatentur, ſed etiam de navibus hoſtium violentiâ expugnatis, quod plures negant. Huic noſtro aſſerto favet S. Pius V. in d. ſuâ Bullâ *Cum nobis*, editâ *octavo Kal. Maii*, anno primo ſui Pontificatus, quâ, dum naufragorum bona Fidelium protegit, excommunicatione afficit hujuſmodi bona ſurripientes, navibus ſivè maris infortunio jactatis, ſivè inimicorum conatu expugnatis; ideòque credendum eſt, eamdem fuiſſe mentem Gregorii XIII. in ſua *Conſtit*.81.*Conſueverunt*, quæ eſt Bulla Cœnæ circa caſum navium ab hoſtibus expugnatarum. De hac materia vide noſtram *Theol. Bell. tom*.2. *lib*. 7. *diffic*. 25. per totam, ubi plures caſus, bona naufragata, & naves hoſtium armis expugnatas concernentes, rationibus, & juribus clarè, & ſuccinctè reſolvuntur.

24 Infero ſeptimò obitèr, Navibus naufragantibus, ſivè procellarum furore, ſivè armorum violentiâ, auxilium præbentes, jure merito conſequi Indulgentiam decem annorum, & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis, ut exprimit Julius II.*d.Conſtit*.20. *Romanus*, S. Pius V. d. *Conſtit. Cum nobis*; & notat Eminentiſs. Card. de Lauræa in *Epit. Can. v. Naufragantes*, ibi addens ex citatis Conſtitutionibus, auxilium non dantes Naufragantibus in Statu Eccleſiæ, incurrere crimen læſæ Majeſtatis. Quando verò Naves dicantur naufragantes, & proindè alienis ſuppetiis indigen-

gentes, vide Hieronymum Rocca, *diſp. jur. vol.* 2. *cap.* 97. per totum, ubi varia dubia circa naufragium, & deprædationem Navium movet, & reſolvit; & intèr cætera, *num.* 2. An Teſtes rectè probent caſum naufragii contra Aſſecuratores, etiamſi parte non citatá fuerint examinati, & coram Judice incompetenti; quotiès naufragium in remotis accidit partibus: *num.* 3. An naufragio ſequuto in loco, ubi pars fuit præſens, vel parùm abſens, requiratur citatio in probatione ejuſdem facienda per teſtes partis: *num.* 9. An caſus deprædationis navis eveniens ob ſuſpicionem, quòd accederet ad hoſtes, dici debeat comprehenſus ſub regula generali omnium caſuum, contentâ in Apocha aſſecurationis: *num.* 10. An deprædatio Navis, contingens ob aliquas merces prohibitas extrahi, ſit baratteria in aſſecuratione excepta, aùt potiùs culpa, & delictum Gubernatoris navis: *n.* 14. & 15. Quid ſit Baratteria; & quando dicatur commiſſa: *n.* 32. Quid ſit aſſecuratio, & alia plura ad Naves, & negotiationes maritimas ſpectantia, ſcitu neceſſaria; quæque hìc à nobis conſultò prætermittuntur, tanquàm rem noſtram minimè percutientia.

Lib. VIII. Diffic. pertin. ad Bona, additur ſequens Difficultas.

Titius emit à quodam Milite equum, arma, nonnullaque alia, dubitans, ea fuiſſe furto ſubtracta. Quæritur, nùm lethalitèr peccaverit, ſitque reſtitutioni obnoxius, ac proindè nefas ei ſit hujuſmodi Bona præſcribere, vel alienare?

1 Notandum primò, ut eâdem in præſenti Difficultate utar methodo, quam in cæteris adhibui, dubium, ſecundum Iſidor. *lib. etymol.* apud Sylv. *v. Dubium, num.* 1. eſſe motum indifferentem in utramque partem contradictionis; & ſecundum S. Antonin. in *Sum. p.* 1. *tit.* 3. *cap.* 10. §. 9. eſſe interminatum motum rationis ſupèr utramque partem contradictionis per æqualia media; & ſecundùm Doctorem Angelicum

licum in 3. *diſt.* 17. eſſe contrariarũ rationum æqualitatem: ex qua doctrina intelligimus, hominem propriè dici dubitare de aliquo, vel circa aliquid, quando habet rationem ad utramque partem æqualitèr, aùt quaſi æqualitèr moventes, ut advertit Sylv. *loc. cit.* undè mens ejus ita anceps hæret, ut neutri parti contradictionis aſſentiatur, quod advertit Laym. in *Theol. tract.* 1. *lib.* 1. *cap.* 5. *de conſcientia*. Hìc omittimus diviſionem dubii in ſpeculativum & practicum, in *Theol. Bellic. tom.* 1. *lib.* 4. *diff.* 3. *num.* 2. *& ſeqq.* innutam, & Eruditis ſatis notam: Tantummodò addimus, ut res noſtra clariùs procedat, dubium aliud eſſe juris, & aliud facti: primum dici, quod eſt ex obligatione, aùt facultate legitimâ agendi, vel de legitimo actus valore, docet Laym. *loc. cit.* ſecundum verò, illud eſſe communitèr dicitur, in quo dubitatur, nùm aliquid factum ſit, nec ne. Dubium practicum juris plerumque tranſire in ſpeculativum, & è contra, ſpeculativum in practicum, inſpectâ circumſtantiarum contingentiâ, obſervat Ludovicus Molina, *tom.* 1. *de juſt. tract.* 2. *diſp.* 113. §. *Illud circa rem*. Ulteriùs, dubium eſſe duplex, videlicèt, probabile, & ſcrupuloſum, tradit Syl. *loc. cit. num.* 4. autumans, dubium probabile eſſe, cùm rationes probabiles ad utramque partem occurrunt quaſi æquales, & dubium ſcrupuloſum intelligi, quando quis ex levi ſuſpicione timet in aliqua re eſſe peccatum. Scrupuloſum enim illum eſſe, & dici, qui motus ex levi fundamento, exiſtimat cum errore, vel dubitat, aliquid eſſe peccatum, quod reapſe non eſt, communis eſt Theologorum ſenſus.

2 Notandum ſecundò, furtum, in genere conſideratum, eſſe ſecundùm D.Th. 2.2. *quæſt.* 66. *art.* 3. *& ſeqq.* acceptionem rei alienæ occultam; & quatenùs includit rapinam, latrocinium, & prædam, eſſe contrectationem rei alienæ fraudulosam, ideſt realẽ exportationem, & amotionem rei alienæ de loco ad locum, ſine qua furtum non committitur, *l.* 3. §. *ſi rem, ff. de acquir. poſſ. ff. & l. Si quis* 53. §. *Neque, ff. de furt.* invito Domino, lucrifaciendi causâ vel ipſius rei, vel uſus ejus, ſivè poſſeſſionis, habetur ex Textu punctuali in *l.* 1. §. 3. *ff. de furtis, &* §. *Furtum, inſtit. de oblig. quæ ex delict. &c.* & ità docent Sylv. *v. furtum, num.* 1. ubi alios citat, Card. Turrecr. in *Capit. Qui ſaccum, num.* 1. *diſt.* 50. & alii communitèr. Utrum rapina ſit peccatum ſpecie differens à furto: Utrum furtum ſit ſempèr peccatum, &

an

an liceat furari in neceſſitate; vide omnes Scribentes de facto, præſertìm D. Th. *loc. cit. art.* 4. & 5. Quæ requirantur ad hoc, ut furtum dicatur aliquis commiſiſſe; vide Alex. in *conſ.* 125. & 126. & in *conſ. ſeq. in* 4. *vol.* An autèm, ſi quis habeat rem alienam, ſe illius poſſeſſione abdicando dicatur furtum committere; cerne Jaſ. in *l.Depoſiti*, *in Gloſ. fin. in* 2. *ſolut. col.* 45. *ff. de re judic.* quem producit Card.Alban. in *Lucubrat. in Bart. in l.* 1. *ff. de furt.* ubi *num.* 1. advertit, quòd non ſempèr ille dicitur eſſe fur, qui ſubtrahit aliquas res. Præſumi tamen furtum commiſiſſe eum, apud quem res furtiva reperitur, tradit idem Card.Alban. in *Lucubrat. in Bart. in l. Sed nec Legatarius*, *ff. de cond. furt.num.*4.ubi limitat,niſi ille, apud quem res furtiva reperitur, bonæ eſſet conditionis, & famæ, præſertìm ſi ipſe doceat, à quo eam habuerit, ne contra eum poſſit procedi, ut tenet Bart. in *l.fin. ff. de quæſtion.* & Alex. in *conſil.* 205. *in* 6. *vol.* Hìc operæ pretium ducimus diſtinctè innuere,quod obitèr tantùm tetigimus in *to.* 2. *Theol. Bell.in Mantiſſa ad lib.* 4. *Diff. pertin. ad Milit. priv. diff.* 14. *n.* 2. ad rem noſtram clariùs intelligendam, furem poſſe eſſe manifeſtum,& non manifeſtum. Appellari furem manifeſtum eum, qui deprehenditur cum furto,habetur expreſsè in *l. Fur eſt* 3.*ff. de furt.*Farin. *q.*166.*nu.* 22.vel in loco,in quo commiſſum eſt furtum, vel poſt furtum reperitur, dummodò cum furto reperiatur, antequam deportaverit ad locum, ad quem deſtinaverat, *Inſtitut.de obligat. quæ ex delict.* §. *manifeſtus*. Quodcunque enim delictum dicitur manifeſtum,quando delinquens in ipſo crimine deprehenditur, Abb. in *Capit. Tertio loco*, *col. fin. de probat.* Felin. in *Capit. Adferte*, *col.*4. *de præſump.* Furem verò non manifeſtum, ſeù occultum eum dici, qui in ipſo maleficio, ſeù cum re furtiva in ipſo actu furandi minimè deprehenditur, ſed eam jam detulit quò deſtinavit, nihilominùs poſteà de facto convincitur, probat Tex. in *d.* §. *Furtum,Inſtit. de oblig. quæ ex delict. naſcun.* & tenent communitèr Scribentes, quorum nonnulli addunt, occultum furem paritèr dici eùm, qui furanti conſilium, vel opem præſtat, juxtà *l.Is, qui opem*, *ff. de furtis.*

3 Notandum tertiò, emptionem, & venditionem eſſe contractum bonæ fidei,ultrò citròque obligatorium,qui perficitur abſoluto conſenſu, re, & pretio,à te datis, vel certè dandis: ità communitèr Theologi, & Juriſperiti, animadvertentes, emptionem, & venditionem

eſse quidem alienationem, non quamlibet, ut vult Bart. in *l. Voluntas, Cod. de fideic.* ſed quâ dominium, & poſſeſſio rei venditæ transfertur per traditionẽ ipſius Domini, ut patet ex *l. Quod vendidi, ff. de contrab. empt.* ubi apparet, ex venditione in emptorem dominium non transſire, niſi pretio ſoluto, vel habitâ fide de pretio, ut obſervant ibi Bart. & Bal. & Sylv. *v. emptio, num.* 1. cum nullatenùs poſſit eſſe venditio ſine pretio, ſcilicèt ſine numerata pecunia, *Inſt. de emp. & vend.* §. *Itèm pretium*; nàm ubi aliud pro alio datur, permutatio eſt, non venditio, *l.* 1. *ff. de contrab. emp.* Si quiſpiam cuperet cuncta requiſita ad validitatem venditionis, & emptionis diſtinctè noſcere, & hujuſmodi requiſitorum explicationem videre, dignetur legere, pratèr Textus civiles allegatos, Leſſ. *de juſt. lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 1. *n.* 4. Molin. *de contractib. tract.* 2. *diſp.* 337. Caſtropal. *de juſt. commut. diſp.* 5. *punct.* 26. Th. Tamb. in *Decal. lib.* 8. *cap.* 7. §. 1. *à n.* 1. *ad* 8. & intèr Juriſperitos Baldum in *l. Contractus*, *nu.* 8. *Cod. de fide inſtrumentorum.*

4 Notandum quartò, præſcriptionem, quæ communitèr à Juriſconſultis vocatur uſucaptio, pluribus aliis omiſſis definitionibus, quas congerit Alex. Scot. in *Vocabulario utriuſque juris*, *v. Præſcriptio*, eſſe acquiſitionem, ſeù adeptionem dominii utilis rei alienæ per cõtinuationem poſſeſſionis bonæ fidei, ſpatio temporis à lege definiti, *l. Vſucapio, ff. de uſucapionibus*, & non ſolùm circa mobilia, ſed etiam circa immobilia verſari, conſtat ex *l. Vnica, Cod. de uſucap. transformandâ, & Inſtit. de uſucaptionib.* &c. in princ. & docet Caſtropal. *p.* 2. *tract.* 10. *diſp. unic. punct.* 5. *num.* 1. An verò præſcriptio & uſucaptio aliquo modo differant; vide Joannem Franciſc. Balb. *tract. de præſcriptionibus*, *p.* 1. *quæſt.* 3. ubi reſpondet, quòd uſucaptio propriè reſpicit mobilia, præſcriptio verò immobilia, quamvis præſcriptio latè conſiderata comprehendat uſucaptionem: & idem videtur ſentire Leſſ. *de juſt. lib.* 2. *cap.* 6. *dub.* 1. *num.* 3. *verſ. Ex his*. Ad præſcriptionem, ut robur habeat, ſex requiri conditiones, vult Alex. Scot. *loc. cit.* nempe, titulum probabilem præſumptum, poſſeſſionem, bonam fidem, rem præſcribendam, & perſonam, contra quam præſcribitur. Intèr cætera, ad validitatem præſcriptionis maximè requiri poſſeſſionem, & bonam fidem, notatur in *Capit. Illud. de præſcrip.* & tradunt Card. Turrecr. in *Capit. Quod autèm*, *cauſa* 16. *qu.* 3. Sylv. *v. Præſcriptio*, *n.* 1. Molin.

Molina, per multas diſputationes, à *diſp.* 62. *tom.* 1. *de juſt.* Caſtropalao, *tract.* 10. *diſput. unic. punct.* 7. *num.* 1. Philippinus, *de privileg. ignorantiæ*, *cap.* 12. *privileg.* 25. *num.* 390. & alii, qui diſtinctè, & clarè explicant dictarum conditionum quidditatem: & inſupèr notant res, quæ poſſunt præſcribi; perſonas, quæ poſſunt, & non poſſunt præſcribere; caſus, in quibus præſcriptio non currit; diſcrimen intèr præſciptionem, & conſuetudinem; cauſam, propter quam præſcriptio fuit à jure civili introducta; & & nonnulla alia ſcitu neceſſaria. Conſulat itàque hos Doctores, *loc. cit.* qui cupit præfatas conditiones præſcriptionis enucleatas inſpicere; nobis ſufficit bonæ fidei quidditatem, quæ potiſſimùm confert ad propoſitæ difficultatis reſolutionem, perpendere.

5 Notandum igitùr quintò, bonam fidem, quæ ad præſcriptionem requiritur, eſſe credulitatem, quâ quis prudentèr judicat, rem ſuam eſſe, vel ſaltèm eſſe alienam ignorat, dummodò ignorantia non ſit craſſa, & affectata; & id colligitur ex *Capit. Si virgo*, *cauſa* 34. *qu.* 2. *Reg. Poſſeſſor.* 2. *de reg. jur. in* 6. & *cap. fin. de præſcriptionib.* ubi Innocentius III. ex Concil. Lateran. dicit -- Quoniam om- „ ne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt ſynodali judicio definimus, ut nulla valeat abſque bona fide præſcriptio, tàm canonica, quàm civilis. Cum generalitèr ſit omni conſtitutioni, atque conſuetudini derogandum, quæ abſque mortali peccato non poteſt obſervari: Unde oportet, ut qui præſcribit, in nulla temporis parte rei habeat conſcientiam alienæ. Quãdo igitùr conſcientia, inquit Molina, mox citandus, hoc eſt exiſtimatio mentis reſpondet animo, ità ſcilicèt, quòd ſicut animus rem apprehenſam habet actualitèr, aùt quaſi habitualitèr ut ſuam, ſic etiam exiſtimatio, & conſcientia credit illam eſſe ſuam, dicitur eſſe bona fides ex parte mentis; & is, qui ità rem poſſidet, dicitur bonâ fide poſſidere. Secùs verò, ideſt, quando animus, ſivè voluntas habet rem ut ſuam, & conſcientia, men tiſve exiſtimatio credit eſſe alienam, dicitur eſſe mala fides; iſque, qui eo modo poſſidet, dicitur malâ fide poſſidere. Hæc Molin. *tom.* 1. *de juſt. tract.* 2. *diſp.* 63. §. *Hoc ità conſtituto*: Eadem me docet Reginald. *to.* 1. *lib.* 10. *num.* 293. Filluc. *to.* 2. *tract.* 31. *cap.* 8. *qu.* 3. *nu.* 186. Bonacina, *tom.* 2. *de reſtit. in genere*, *diſp.* 1. *qu. ult. punct.* 2. §. 2. *propoſ.* 3. *num.* 15. & alii, quos producit, & ſequitur noſter P. Philippinus, *loc. cit. n.* 392

Eademque ante oculos ſunt habenda in perceptionem Reſolutionis propoſitæ difficultatis, à nobis infra firmandæ. Non me latet, intèr Scribentes adeſſe controverſiã, nùm comparatione ejus, qui poſſidet, detur medium intèr bonâ, & malâ fide poſsidère. Scio à Covar. in *d. regulam Poſſeſſor*, *p.* 2. §.7. *à num.* 2. quibuſdam aliis pro ſe allegatis, partem affirmativam ſuſtineri, ſicque aſſeri ab eo, illum, qui dubius eſt, an res, quam poſsidet, ſua ſit, nec ne, neque eſſe poſſeſſorem bonæ fidei, neque malæ fidei, ſed eſse in media quadam diſpoſitione. Scio paritèr à Dino in d. *Reg. Poſſeſſor*, contrarium, nempè medium minimè dari, mordicùs defendi. Caſus, in quo Covar. vult hujuſmodi medium intelligi, refertur à Molina, *tom.* 1. *de juſt. tract.* 2. *diſp.*63.*ver. Porrò*.

6 His, aliquâ cum prolixitate, ità materiâ, de qua agitur, exigente, adnotatis: ad difficultatem propoſitam, nùm Titius, qui emit à quodam Milite equum, arma, nonnullaque alia, dubitans ea fuiſſe furto ſubtracta, lethalitèr peccaverit, ſitque reſtitutioni obnoxius, ac proindè nefas ei ſit illa præſcribere, vel alienare, negativè videtur reſpondendum; ſiquidèm, ſtante hujuſmodi dubio, locum non habet mala fides, quam dubium minimè inducit, ut advertit Bal. in *Capit. Si diligenti*, *num.* 7. *de præſcript.* cum aliis minimè indoctis, & ratio videtur eſſe, quia mala fides fundatur in cognitione, quòd res ſit aliena; quæ ſanè cognitio excluditur à dubio; ſi enim Titius ſciret, rem eſſe alienam, non dubitaret.

7 Præterea, dubitantem æquiparari ignoranti, probat Tex. in *l. Manifeſtiſſimi*, §. *Sin autem*, *Cod. de furtis*, & tradunt communitèr Doctores, Jaſ. in *l. Quandiù*, *num.*2. *Cod. Qui admitti*, Bald. *conſil.* 298. *in fin. lib.*1. Card. Alban. in *Lucubrat. in Bart. tom.*2. *in l.*1. *Cod. de pactis*, *nu.*2. Surd. *conſ.* 79. *num.* 18. aliique validè eruditi. Et ratio ſuadet; nam qui dubitat, non ſcit id, de quo dubitat; ſi enim ſciret, excluderetur dubium: Si autem neſcit, ignorat; & ſucceſſivè, qui dubitat, habet neceſſariò adnexam ignorantiam de illa re, de qua dubitat: & ignorantiam excuſare à peccato, tradit P. Philippinus, *de privileg. ignorantiæ*, *cap.*20. *priv.*2. *nu.*646. & alibi.

8 Additur, Reum in dubio haberi ut inculpatum, ſeù excuſari à culpa, juxtà Textum in *l.* 57. *Sempèr in dubiis*, *ff. de reg. jur. l.*168. *Favorabiliores*, *ff. eod. Reg.* 11. *Cum ſunt partium jura obſcura*, ideſt dubia,

ut

ut explicat Sylv. *v. Dubium, qu.*3. *n.*6. *de reg.jur. in* 6. Non alitèr profectò poſſumus, præfatorum jurium diſpoſitione moti, Reo in dubio ſavere, quàm à culpa & à pœna immunem declarando.

9 Demùm, nihil eſſe adeò firmum, & indubitatum, ut ſuſcipere non poſſit aliquando ſolicitam dubitationem, probat Textus in *Auth. ad Tabell.* & tenet Card.Alban.in *Lucubrat. in Bart. tom.* 1. & *in l. Si fidejuſſor*, §. *Quædam, ff. Mandati, num.* 3. & ſcribit Ciarlin. *controv.* 104.*ſub num.*1.dicens, ſæpè evenire, ut ea, quæ luce clariora ſunt, aliquâ nube obumbrentur; idemque obſervavit S.Rota in *deciſ.*68.in princ. *coram R.P.D. Anſaldo*:Undè ſi eſſet peccatum, inducens obligationem reſtituendi, emere cum dubio res emptas fuiſſe furto ſublatas, nîl ampliùs foret vendendum, nilque emendum, quia ſempèr adeſt aliqua dubietas,prçſertim ubi ageretur de milite venditore;ac proindè deſtrueretur humanum commercium, quod Bonum publicum, & privatum, atque politica Orbis gubernatio,& conſervatio non patitur.

10 Hiſce tamen non obſtantibus, contrarium eſſe veriſſimum, ac proindè ſuſtinendum non videtur controvertibile, nempè,Titium,qui emit à quodam milite equum, arma, nonnullaque alia mobilia,dubitans ea fuiſſe furto ſubtracta,peccare mortalitèr, eſſeque reſtitutioni obnoxium, & conſequentèr ea non poſſe licitè præſcribere, aùt alienare, ſi dubium non ſit merè ſpeculativum, aùt ſcrupuloſum, ſed probabile, & practicè practicum, juxtà explicationem primi Not. Sic ſentiunt Leſſ. *de juſt.lib.*2.*cap.*14.*dub.*4. *num.* 25. Sanchez *in ſum. to.*1. *lib.*2. *cap.*23. *num.*177. Major. *in* 4. *diſt.*15. *q.*11. Molin.*to.*1. *de juſt.tract.*2.*diſp.*63.§.*Sit verò*, & *diſp.*64. §.*Quod attinet.* Rebell.*de obligat.juſt.p.*1 .*lib.*2. *qu.*5. *num.* 7. Laym. *in Theol. tract.*1. *cap.*5.§.1. Diana, *to.*8. *tract.*7.*de furto*, *reſ.*40.41.42. & eſt communis ſententia Theologorum, Canoniſtarum, necnon Juriſconſultorum, ſi benè intelligantur, ut advertit Paſqual. in *ſingul. qq.moral. juridic. ad quæſtionem* 146. *quæ eſt. An dubius nùm juſtè poſſideat, poſſit rem alienam præſcribere.*

11 Moveor primò juribus in *l. Bonæ fidei*, in principio (quæ eſt 48.) *ff.de acquir. rer. domi.* & *l.* 1. *Cod. de uſucaptione transformandâ*, ubi colligitur, poſſeſſionem rei cum dubio inchoatam poſſeſſori vitiari, *Capit.Sicut, diſt.* 14. ubi Leo Papa dicit, quòd in his, quæ dubia fuerint, aùt obſcura, ſequen-

quendum eſt, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec decretis Sanctorum Patrum inveniatur adverſum, præſertim quando de præjudicio proximi agitur, *Capit. Grave*, *cauſa* 11. *quæſt.* 3. ubi Gregorius admonet Conſtantinum Mediolanenſem Epiſcopum indecens fore cum dubio operari, *Capit. Juvenis*, *de Sponſal.* ubi Gloſſ. vult, dubia amoveri, & quod certius exiſtimamus, ſempèr amari; quod paritèr inculcat S. Aug. relatus in *Capit. Sicut, de pœnit. diſt.* 7. & probat Textus in *Capit. Ad audientiam, & capit. Petitio, de homicid.* ubi pœnitentia, ſivè pœna his tanquàm delinquentibus imponitur, qui in dubiis eam, quam debent, diligentiam deſinunt adhibere.

12 Moveor ſecundò rationibus: Operari cum conſcientia practicè dubiâ peccatum eſſe, indubitatum eſt, & omnes fatentur, ut notat Filliu. *tom.* 2. *tract.* 21. *cap.* 4. *de conſcientia*, *n.* 155. & innuimus in noſtra *Theol. Bell. tom.* 1. *lib.* 1. *diſſ.* 2. *n.* 10. ibi rationem adducentes; quia ſic operans exponit ſe periculo peccandi, juxtà illud *Eccleſ. cap.* 3. *verſ.* 27. *Qui amat periculum, peribit in illo*. Titius itàque dubitans, an ea, quæ emit à Milite, fuerint furto ſublata, tenetur in conſcientia, antequàm illa emat, diligentiam adhibere pro veritate noſcenda. Dixi cum conſcientia practicè dubiâ; nàm ſi ſit ſpeculativè tantùm dubia, practicè autèm hìc & nunc conſcientia Titii nō ſit dubia, ſeù ſi Titius, inſpectis circumſtantiis præſentibus, non dubitat hujuſmodi res fuiſſe furto ſubtractas, quod eſt judicium practicum, per quod rectè deponitur dubium illud in genere, ut notat Th. Tambur. *in Decal. lib.* 1. *cap.* 3. *de conſcientia*, §. 6. *num.* 3. ubi, aliis productis, ſubdit, nemini nocere dubium aliquod ſpeculativum, ſeù in genere, ſi non adſit hic & nunc practicè, & proximè ad actionem; Titio ſanè licebit abſq; peccato dicta bona à Milite comparare; ſecùs verò ſi Titius ſit & ſpeculativè priùs, & dein practicè dubius, videlicèt, ſi dubio non depoſito, res emit. Non enim raró contingit, conſcientiam ſpeculativè dubiam in dubiam practicè, & è contra, tranſire. Titius igitur, ut tutiùs operetur, duo agere adſtringitur; primum nempè, ſufficientem adhibere diligentiam ad dubium vincendum; ſecundum, perpendere nùm rationabilem habeat cauſam, ſuadentem hujuſmodi variare judicium: quibus omiſſis, emptio Titii nullatenùs poteſt à labe lethalis culpæ liberari. Tùm quia, qui in dubio, an res aliqua

ſua

ſua ſit titulo emptionis, vel alio titulo, incipit eam ſibi omninò uſurpare, peccat, ut advertit Molina, *tom.* 1. *de juſt. tract.* 2. *diſp.* 63. §. *Sit verò.* Eò quòd, ait ipſe, cum immediatè anteà bonâ fide eam non poſſederit, non eſt melior conditio ipſius poſſidentis; imò, inſpectâ quæſtione practicâ, habet malam fidem, eò quòd conſcientia tunc dictet, nefas eſſe eam ſibi uſurpare: In moralibus autèm eſſe ſpectandum rationis, ſivè conſcientiæ dictamen circa agenda, communis eſt Theologorum ſenſus: ex quo ſequitur, emptionem, & poſſeſſionem cum dubio, an res ſit poſſidentis, quæ in mala fide per comparationem ad quæſtionem practicam conſtituit poſſidentem, eſſe peccaminoſam; nàm per malam fidem peccatum generari, haud controvertitur. Additur, in Titio emente res, quas practicè dubitat eſse venditoris, omittente eam, quam poteſt adhibere, diligentiam, ad inveniendam veritatem, nempè, ut ſciat, an res ſit aliena, adeſse ignorantiam craſsam, ſupinam, & affectatam, quâ quis ignorat id, quod ſcire tenetur, eligens illud neſcire, ut liberè peccet; hinc directè eſt volita, directè cauſat voluntarium, & conſequentèr peccatum, ità D.Th. 1.2. *qu.* 76. *art.* 3. Filluc. *tom.* 2. *tract.* 22. *de præcept. fidei, &c. cap.* 4. *qu.* 3. *num.* 109. Philippinus, *de privileg. ignor. cap.* 4. *priv.* 8. *num.* 119. & omnes DD. Titius igitùr dum dubitat, & moralem non efficit diligentiam, ut ſciat, an res, quas emit, ſint venditoris, necne, vult ignorare, ut liberè eas poſſideat: Ergò voluntaria eſt ejus ignorantia: Ergò indubitantèr peccat, niſi curet ſuum evincere dubium ad peccatum vitandum. Quod ſanè confirmant verba Joannis, *cap.* 15. *verſ.* 15. ubi Deus Fidelium Amicum ſe declarat -- *Vos autem dixi Amicos.* Quis neſciat, legem amicitiæ poſtulare, ut ea etiam vitentur, quibus dubium eſt, fore ut Amicus lædatur? Si igitùr Titius cupit Divinam offenſam evitare, debet ſuum, eo modo, quo diximus, corrigere dubium.

13 Ex quibus manifeſtè ſequitur, nefas eſse Titio, res emptas cum dubio, eo minimè contempto, præſcribere. Scio non levem eſse controverſiam intèr Theologos, & Canoniſtas, nùm dubium, an res, quam quis poſſidet, ſua ſit, impediat præſcriptionē. Partem affirmativam, nempè, per hujuſmodi dubium interrumpi & impediri præſcriptionem, tenent Sotus, Major, & alii, quos citat, & ſequitur Molina, *loc. cit.* & quidèm rectè, ſiquidem intèr conditiones ad præſcriptionem, ne-

neceſsarias eſt bona fides,ut ſuperiùs notavimus: poſsesſor enim malæ fidei ullo tempore non præſcribit, ut habetur ex *reg. Poſſeſſor, de reg.jur.in 6.&* *cap.fin.de præſcr.*ex Lateranenſi Concilio ſub Innoc.III.Quippè is, qui dubitat, an res, quam poſſidet, ſua ſit, non dicitur eam bonâ fide retinere,ſed malâ fide, ut ex dictis liquidò conſtat. Cum igitùr ad legitimam præſciptionem bona fides neceſſariò requiratur toto tempore ad præſeribendum ſtatuto, conſequens eſt, per hujuſmodi dubium impediri præſcriptionem. Me docent Theologi, eum peccare, qui agit contra conſcientiam ad alteram contradictionis partem determinatam: Ex qua doctrina deduco, eum paritèr peccare, qui agit contra conſcientiam dubiam; utrumque enim, ut notat Molina, *loc.cit.* comprehenditur verbo illo Apoſtoli *ad Rom.capit.* 14. *verſ.fin. Omne autèm, quod non eſt ex fide, peccatum eſt* — Poteſt autèm, inquit D. Th. explicans hunc Textum, *lect.* 3. in fine, hîc fides du-
„ pliciter accepi; uno modo de
„ fide, quæ eſt virtus; alio modo,
„ ſecundùm quod fides dicitur
„ conſcientia; Omne autem &c. ſic eſt intelligendum, quod eſt contra fidem, vel contra conſcientiam, peccatum eſt. Omne autem, &c. ideſt, quod eſt contra fidem, ideſt contra conſcientiam,peccatum eſt,ſubdunt Dionyſ. Chatthuſ. Hug. Card. & alii Sacrarum Litterarum Interpretes, Doctorem Angelicum ſequuti. Ergò qui rem aliquam poſſidet cum dubio, an ſua ſit, ſeù, an eam legitimè acquiſierit, non ſecùs ſe habet ad præſcribendum, concludit Molin. *loc.cit.* ac is, qui eam malâ fide poſſidet: mala autem fides proptèr peccatum impedit præſcriptionem. Ergò noſter Titius non poteſt res præſcribere, quas emit dubitans eas fuiſſe furto ſublatas, cum cenſeatur agere contra conſcientiam, & ſuccesſivè bonâ fide carere, quæ nequit dubio adſociari, cum dubium bonam fidem poſitivam impediat.

14 Huic noſtro aſſerto non obſtat doctrina ſatis laudata Bar. in *l. naturalicèr, num.9. ff. de uſucap.* Jaſ.*in l.Poſſideri*, §. fin. *n. 9. ff. de acquir.vel amit.poſſ.* Aret.*in l.qui teſtamento Domini*, in fin.*ff.de teſtamen.* Panor. *in cap.fin. v. Ad illud, de eo, de præſcript.* & aliorum, quos congerit Paſqual. *quæſt. moral. jurid. qu.*146. *num.*2. aſſerentium, per dubium, præſcriptioni legitimè, ſeù cum bona fide inchoatæ, ſuperveniens, an res ſit propria poſsidentis,præſcriptionem minimè impediri: Nam idem & nos fatemur, dummodò

dò tamèn interim, dùm Poſſidens dubitat, moralem adhibeat diligentiam ut ſciat, an res ſit aliena; quia, ut quis juſtè incipiat ſibi uſurpare rem, quam antea non habebat, debet determinatè judicare, credere, ſibique perſuadere ex aliqua probabili ratione, rem, quam poſsidet, eſse ſuam: quo in caſu intelligitur regula, quòd in dubio melior eſt conditio poſsidentis; unde qui rem aliquam cœpit bonâ fide poſsidere, quamvis probabile dubium ſuperveniat pro utraque parte, an res, quam poſsidet, ſua ſit, poteſt licitè continuare poſseſſionem, eamque ſibi retinere, præmiſsâ tamen, ut dictum eſt, diligentiâ ut ſciat, an ſua ſit, an aliena. Quo fundamento diximus, emptionem Titii, de qua agimus, poſſe eſſe, & non eſſe mortalitèr culpabilem; non eſſe culpabilem, adhibitâ debitâ diligentiâ ad dubium vincendum; eſſe verò culpabilem, ſi, hujuſmodi diligentiâ prætermiſsâ, ex aliqua probabili ratione ejus conſcientia remordeat, quòd res fuerint furto ſublatæ: tunc enim deſinit bona fides neceſſaria ad legitimè præſcribendum, juxtà diſpoſitionem juris Canonici, *cap. ult. de præſcript.* quo derogantur leges præſcriptionis cum mala fide, hac ratione, nempè, cum res tali modo non poſsint præſcribi ſine peccato; & ſic Titio nefas eſt, retento dubio probabili, res enunciatas ſibi uſurpare, ſivè præſcribere.

15 Moveor tertiò exemplo in Judice tùm Eccleſiaſtico, tùm ſæculari, qui ambiguitate, ſivè dubio agitatus circa ſententiam ferendam, tenetur tùm jure poſitivo, Canonico, & Civili, tùm jure naturali veritatem inveſtigare, validis rationibus ambiguitatem, ſivè dubiúm vincere, ac proindè opinionem probabiliorem, omiſsâ minùs probabili, amplecti. Hinc meritò fuit damnata ab Innocentio XI. ſanctæ memoriæ illa propoſitio, quæ eſt 2. in ordine: *Probabilitèr exiſtimo, Judicem poſſe judicare juxtà opinionem etiam minùs probabilem*. Dixi teneri jure poſitivo Canonico, & Civili; ad Textum in *Reg. 45. juris, in 6. & l. 115. In obſcuris, ff. de reg. jur.* habetur. *In obſcuris inſpici ſolet, quod veriſimilius eſt*. Aſtruxi, teneri jure naturali; nàm ſicut Medicus, ſivè pecuniâ, ſivè charitate, aſsiſtens Infirmo, in caſu dubietatis circa pharmacum applicandum, tenetur ex contractu implicito cum Rep. illud, quod judicat magis curativum, adhibere, ſeù ordinare; & ſic ſtudium præmittere, rationeſque perquirere, quibus valeat conceptam ambiguitatem contemnere; ità Judex vigore con-

tractus impliciti cum Republica ferre tenetur ſententiam juxtà merita cauſæ, judicando rem controverſam illi, cui magis jus aſsiſtit,deberi; atqueadeò rationes inquirere,quibus ſuum dubium evincatur. Judex enim à Rep. vel Principe conſtituitur, ut fidelis ſit veritatis Miniſter, ſeù, ut inquirat diligentèr de veritate; & eâ inſpectâ, ſuum proferat judicium; aliàs, dubio exiſtente, & rationibus ad illud vincendum minimè ex negligentia inveſtigatis, ſi judicat, eum peccare lethalitèr, ſi materia eſt gravis, & ad reſtitutionem obſtringi, communis eſt Theologorum ſenſus apud Lugum, *de juſt. diſp.*37. *num.*121. huic fundamento, quod validiſsimum eſt, innixorum, nempè, quia hoc modo judicando, peccat contra juſtitiam commutativam, auferendo ab altero ex Collitigantibus id, quod ipſi debetur,cuique jus ſtrictum competit proprietatis. Ex quibus ſufficientèr conſtat, depoſitionem dubii per rationes probabiliores à Judice hæſitante fore ſententiæ ferendæ præmittendam.

16 Concludimus itàque,Titium, qui emit à Milite arma, equum, & alia nonnulla, dubitans ea fuiſſe furto ſublata, non depoſito rationabilitèr dubio, peccare mortalitèr, & eſſe reſtitutioni obnoxium, atque nefas ei eſſe ea præſcribere. Subdimus tamèn, ut dubium hos pariat effectus,eſſe debere probabile, atque deliberatum, & tale quale dicit requiri Major præallegatus, & Thom. Tamburinus in *Decal. lib.*2. *cap.*1. §.5. *num.*3. ut dubius in fide cenſeatur hæreticus. Quare ſi dubium eſſet ſcrupuloſum, nempè trepidatio aliqua ſine argumentis ſufficientibus ad movendum virum prudentem, levitèrque tantummodò ejus animum ſolicitans, non reddere præfatam emptionem Titii gravitèr peccaminoſam, & reſtitutioni obnoxiam, atque præſcriptionis incapacem;ut etiam docet Molin.*loc.cit.*§.*Porrò obſervant hi Doctores*, Philippinus, *loc. cit. Priv.* 25. Imò non teneri Titium, ſi eſt ſcrupuloſus, ſuum deponere ſcrupulum, ut rectè operetur,ſeù ut rectè emat, tradunt Doctores mox allegandi; nàm cum ſcrupulus non conſtituat dubium formalitèr, neque tollat aſſenſum oppoſitæ partis, nihil obſtat rectæ operationi, Navar. Sanchez, Valen. & alii, quos producit Caſtropalaus, *p.* 1. *tract.* 1. *diſp.* 4. *punct.* 1. *num.*3. ubi ſubdit, non eſſe neceſſarium conſcientiam ſcrupuloſam, ſeù ſcrupulum explodere quoad ſenſum, ideſt illum non ſentire, cum non videatur poſſibile omnimodè ſcrupulis agitatum, illos ità à ſe explodere

dere, ut illorum vexationem non ſentiat. Hæc obitèr dicta ſint in gratiam ſcrupuloſorum, ut queant turbatam ſuam conſcientiam ad optatam tranquillitatem reducere.

17 Ad oppoſita reſpondetur: Ad primum, negando, ſtante dubio practico, de quo loquimur, abeſſe malam fidem; nàm adversùs hujuſmodi dubium agere nequaquam licere, communiſſima eſt doctrina: Unde hoc? Niſi quia dubium practicum malam fidem inducit. Loquendo verò de dubio ſpeculativo, quod rei poſſeſſioni bonâ fide inchoatæ ſupervènit, nempè, quando ſolum dubitatur, quòd res bonâ fide poſſeſſa, poſſit eſſe aliena, admittimus, poſſe ab hujuſmodi dubio malam fidem abeſſe; & ſucceſſivè, eo permanente, rem poſſeſſam licitè retineri; quo in ſenſu videtur intelligenda illa Regula. Quòd in dubio melior eſt conditio poſſidentis: Nobis favent Doctores pro nobis ſuperiùs allegati, præſertim Molina, *tract.* 2. *diſp.* 113. §. *Tertia concluſio*.

18 Ad ſecundum; concedendo, dubitātem ſpeculativè æquiparari ignoranti, ſcilicèt neſcienti; ſecùs verò nolenti ſcire, ſeù laboranti ignorantiâ affectatâ, craſsâ, & ſupinâ, quæ dicitur, cùm quis, datâ operâ, ignorare vult, ne ab actu, quem exequi optat, retrahatur; quæque procedit ex culpa lata & ſumma in adhibenda diligentia circa ea, quæ ſciri poſſunt, & debent, quâ ignorantiâ laborat practicè dubitans; unde non poteſt à culpa excuſari. Neſcire igitur denotat defectum intellectus, qui non eſt culpabilis. Nolle autèm ſcire, ſeù velle ignorare oſtendit voluntatis malitiam, quæ eſt culpa.

19 Ad tertium, aſſerendo, Textus ibi allegatos nobis minimè obſtare, cum ſint intelligendi in ordine judiciario, de quo hic non agimus: ideòque quando dubium ob diverſitatem opinionum verſatur circa cauſas criminales, communitèr tenent Doctores, ut notat doctiſſimus Dominicus Viva, in ſua Theologica Trutina, *de probabilitate in Judice, circa prop.* 2. *dam. ab Innoc. XI. n.* 1. Judicem teneri Reo favere, ſequendo opinionem probabilem illi faventem, eſtò foret minùs probabilis præ oppoſitâ. In cauſis verò civilibus, ſi dubietas ſit circa factum, ut puta: Nùm quiſpiam præſtiterit conſenſum, quando contraxit matrimonium? Num Regularis ſit validè profeſſus, ſi ob aliquem timorem emiſit profeſſionem? debere Judicem ſententiam ferre pro eo, qui plures probationes circa factum adducit; & concurrente æqualitate, ſeù pa-

ritate probationum, debere potiùs Reo favere, quam Actori, juxtà varias regulas juris poſitivi, & naturalis, quæ facilè cerni poſſunt apud Juriſtas. De cætero, hæc ſufficiant pro reſponſione ad objecta, quæ nobis minimè nocent, agentibus de re forum internum principaliùs reſpiciente, non externum, quod ſubjacet ordini juris.

20 Ad quartum; admittendo, nil eſſe in rebus humanis adeò firmum, & indubitatum, ut ſubjacere non poſſit quandoque ſolicito dubio; dubio inquam, aùt probabili, aùt ſcrupuloſo, aùt ſpeculativo, aùt practico, aùt poſitivo, aùt negativo. Circa ſequelam, procedendum eſt cum diſtinctione. Si eſſet peccatum mortale, inducens obligationem reſtituendi, emere cum dubio, res fuiſſe furto ſublatas, cum dubio, inquam probabili, & practico, nihil ampliùs eſſet vendendum, nihil emendum, concedimus; cum dubio tantùm ſcrupuloſo, & merè ſpeculativo, negamus. Circa Textum, & Doctorem ibi allegatum, putamus, voluiſſe innuere in cauſa de bono & æquo, quæ, omiſſis apicibus juris, cognoſci debet, admittendam quidèm eſſe illam probationem, quæ requiritur; ſed illam tantummodò eſſe reiciendam, quæ eſt cavilloſa, nempè fundata in ridiculis ambiguitatibus, ut loquitur Textus mox producendus; & idem ait Soci. in *conſ.* 120. *colu.* 7. *in* 1. *volu.* & *conſ.* 231. *col.* 7. *eod. volu.* & de hac re vide Barb. in *conſ.* 86. *in* 3. *volu.* & Ang. in *conſ.* 219. *col.* 2. Et prædicta confirmantur authoritate Imperatoris, qui ſubtilitates juris, verſantes potiſſimùm circa ambiguitates ſolitas occurrere in cauſis decidendis, duxit deridere in *l. fin. Cod. de legib.*

21 Ex quibus reſponſionibus apparet, humanum commercium, quoad contractus venditionis, & emptionis, minimè præpediri jurium diſpoſitione, nec Doctorum authoritate, ſed ſuſtineri, cum res vendi, & emi poſſint, aùt nullo dubio probabili interveniente, aùt dubio tantummodò ſcrupuloſo exiſtente, quod bonæ fidei nequaquàm repugnat, ut ſuperiùs oſtendimus; & infrà in illationibus clariùs patebit; aùt promptá, & rationabili dubii probabilis depoſitione, ſi fortè ſuperveniret.

22 Infero primò ex dictis, Militibus furta committentibus varias in jure pœnas rectè irrogari, *l. Deſertorem*, §. *Qui aliena arma*, *ff. de re milit.* & *l. fin. ff. de furt.* & diſtinctè eas notat Criſpolt. *de caſib. milit. caſ.* 22. *nu.* 1. & *ſeqq.* ubi *n.* 11. aſſerit, omnes pœnas & furti, & alio-

aliorum deliꝗorum militarium eſſe Duci arbitrarias,qui earum ampliſſimus eſt Arbiter, ut tradit Bald. in *l. Cunctos populos, col.7. Cod. de Sum.Trin.& fid. Cath.* Petrin. Bell. *de re milit. par.8. tit. unic. num.* 86. Hinc in Geſtis militaribus aliqua leguntur Edicta, quibus pœna mortis plectuntur non ſolùm furta magna, præſertìm aliquâ aggravante qualitate concurrente, ſed etiam furta rei minimæ, ſi fuerit violentèr furata; & hujuſmodi Edicta eſſe ad praxim deducenda, illorumque obſervantiam inviolabilitèr curandam, ità Diſciplinâ militari exigente, admonet Toloſ. in *Syntagm. lib.*16. *cap.*12. in fin. Borell. *de Magiſtr. edict. lib.*1. *cap. ult. num.*43. cum aliis: idque fuiſſe à priſcis Ducibus uſitatum, probant innumera exempla, quæ refert Cotor. *de jure Militum, lib.* 3. *cap.* 11. ubi intèr alia, quòd Carolus Burgundiorum Rex quemdam patibulo ſuſpendi juſſit, qui aniculæ mulieri gallinam ſubtraxerat; & Avidius Caſſius,qui ſe Marium voluit nuncupari, milites nonnulla Provincialibus per vim ſurripientes, mandavit in loco delicti pœnâ mortis puniri, ut alii eorum aſpectu terrorem conciperent, Vulcat. Callican. in Vita Caſſii,Toloſ. *ſyntag. lib.* 19. *cap.* 12. *num.*1. Sciebant enim prudentiſſimi Legiſlatores, & Duces Exercituum, furta Militum, etiam modica, in grave Reipublicæ præjudicium redundare: Sciebuntque Catholici Scribentes, qui eorum leges, edicta, atque exempla ſummoperè commendant, prætèr præjudicium, quod hiſce furtis Reip. infertur, conſcientiam paritèr furta, ſeù res furtivas à Militibus ementium poſſe facillimè illaqueari.

23 Infero ſecundò, Ementem ſcientèr res alienas, ſeù furtivas, malæ fidei poſſeſſorem, ac veluti furti participem fieri: quod etiam docent D. Th.2.2. *qu.*62. *art.* 7. Medin. *de reſtit. quæſt.* 10. & alii, quos probat Laym. in *Theol. Moral. lib.* 3. *tract.*4. *cap.* 17. §. 3. *num.* 26. ubi ſubdit, eum non excuſari, quamvis ipſe intelligat, res furtivas in domini ſui poteſtatem nunquam reventuras; ibidem addens, fas tamèn ei eſſe illas modico pretio redimere, animo non ſibi illas retinendi, ſed vel ipſi domino, vel ſi id fieri non poſſit,pro ejus ſalute pauperibus reſtituendis, detracto inde pretio ob rem Domini utilitèr geſtam, ità me edocentibus Cajet. *tom.*1. *opuſc. tract.*31. *reſp. ult.*Covar.*reg.Peccatum, p.*3.in pri nc.*concl.*4.Sylv.*v.Reſtitutio* 3.*q*.7.Rebell.*lib.9. de contract. quæſt.*18.*ſect.*1. Vaſquez, *de reſtit. cap.* 9. §. 2. *dub. ult.* in fine,

fine, & aliis, ſubdentibus cum Laym. *loc.cit.* fas eſſe res ſacras juſto pretio emere à Raptoribus, ut eodem pretio recuperato, Eccleſiæ, à qua fuere furto ſublatæ, reſtituantur.

24 Infero tertiò, peccare mortalitèr cum onere reſtitutionis, ſi materia eſt gravis, eum, qui emit à milite rem, ſciens quidem eam eſſe furtivam, ſed Duce permittente (extra tamèn caſus à jure militari, vel naturali permiſſos) furta enim olim fuiſſe Militibus permiſſa à Ducibus non parvi nominis, teſtantur Hiſtoriæ, ut de Henrico Saxonum Rege, Vicitchind. Monac. *lib.2. de reb.Henr.Sax.* de Ægyptiis, Diodor. Sicul. *lib.* 2. de Græcis, Tucidides, *lib.* 1. *belli Pelop.* quia furta permiſſa extra innutos caſus, non deſinunt eſſe furta, ſeù repugnare juſtitiæ. Nûm verò ille, qui furtum, vel aliud peccatum aliquo bono fine permittit, illicitè, vel licitè agat, v.g. ut Miles deprehenſus à ſuo Capitaneo in furto, non ampliùs furetur, vide Sanchez. *de matrim.lib.* 10. *diſp.* 12. *n.*52. Bonac. *diſp.* 2. *de pec. qu.* 4. *par.*2. §.*unic. num.* 28. ubi citat Navar. & Turrian. Thom. Tambur. in *Decal. lib.*5. *cap.*1. §.4. *nu.* 2. qui reſpondent, alio modo non exiſtente, quo ille bonus finis haberi queat, hujuſmodi permiſſionem non eſſe peccaminoſam, ſi adſit ſpes certa, vel valdè probabilis, ut proximus in furto, ſeù peccato deprehenſus, reſipiſcat, ſeù deſinat furari; quia illa ſpes certa præbet cauſam ſufficientem ad hujuſmodi permiſſionem; ſecùs verò præfatis conditionibus deficientibus.

25 Infero quartò, eum, qui bonâ fide emit à Milite, vel alio rem aliquam, & poſteà incipit dubitare, nùm res ſit furtiva, alienave, atque reſtitutioni obnoxia, & ſufficienti peractâ inquiſitione, ſeù debitâ præmiſſâ diligentiâ ad ſciendam veritatem, adhùc remanet dubius, poſſe eam vendere, vel donare, vel quovis titulo alienare, dummodò emptorem admoneat de evictionis periculo: & hunc jure emere poſſe, ſi ſit paratus eam Domino probato reſtituere, tenent Rebell. *de obligat. juſtitiæ, lib.*9. *quæſt.*18. *ſect.*1. *nu.*13. Laym. *loc.cit.* ſub *n.*27. aliis citatis; ſecùs verò ſi malâ fide emit rem furtivam; & poſteà ſcientèr alteri vendit; quippè ab iſto injuriam rei Domino inferri, eidemque pretium, vel potiùs, quod ipſius intereſt fore reſtituendum, ſi ille ab emptore rem ſuam recuperare non poſſet, docet Leſſ. *de juſt. lib.*2. *cap.*21. *dub.* 17. *num.*135. Sin autem res interim abſumpta fuerit, nùm aliquid ſit reſtituendum, & à quo, conſule

Medin.

Medin. *de reſtitut.qu.* 10. §.*Dico ſecundò*, Covar. *loc.cit. nu.*4. Laym. *loc. cit.* §. *Quod ſi verò*, Mol. *de reſtit.tract.*2.*diſp.*721.

26 Infero quintò, rem furtivam, aùt vi raptam, eſſe ab emptore abſque aliqua pretii ſolutione domino reſtituendam; cum nemo teneatur emere, quod ſuum eſt; res enim ſempèr clamat ad verum dominum, ut dicit Tex. in *l. Incivilem*, *Cod. de furtis*, & tradunt Ruvit. in *Pragm* 1. *de emption. & vendit.* Rota Lucen. *dec.* 151. Card. de Luc. *diſc.* 13. *num.*2. *& ſeqq.de emption.* & alii, quos producit, & ſequitur Illuſtriſſimus Petra in ſuis nunquàm ſatis laudatis Comment. in *Conſtit. Apoſt. tom.*2. *Conſtit.*4. *Honorii III. num.* 10. ibi ſubdens, in hoc caſu non excuſare bonam fidem ex eo, ſcilicèt, quòd Emptor crediderit, res emptas fuiſſe proprias venditoris; & eam tantummodò valere ad excuſandum Emptorem à pœna, aùt ad moleſtiam vitandam poſt rem peremptam, ſeù diſtractam, niſi adeſſet dolus ad diſtrahendum, vel Emptor eſſet in lucro quoad pretium, ad quod probandum adducit Textum in *l. Si & me & Titium*, *ff. ſi certum petat.* & plures Doctores.

27 Infero ſextò, nefas quidèm eſſe, rem certò, vel etiam probabilitèr furtivam emere; id tamèn licere, ſi res vere eſſet in ſtatu, quo nullo modo poſſet à vero Domino recuperari, & Emptor illam emeret hac conditione illam reſtituendi Domino, ſi prodierit, eodem pretio reſtituto: tunc enim nulla vero Domino infertur injuria: quo modo cuique licet emere bona à Piratis, Prædonibus, Militibus, latronibus, quæ ſcit fuiſſe furto ſublata, & hoc docent etiam Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 18. Sylv. Laym. Cajet. Vaſq. quos refert Bertaldus in ſuo *Director. Confeſſ. in exam. ſupèr* 7. *&* 10. *precept.n.*1.pag. mihi 386. Idemque ſentire videtur Card. Alban. in *Lucubrat. in Bart. in l. Sed nec Legatarius*, *n.*3.*ff. de cond. furt.* ubi citat Cæpol. *de Caut. c.* 157. *in Caut.* 10. dicentem, cautelam in tali caſu ad pretium recuperandum requiri, & optimam eſſe, ſi Emens in inſtrumento emptionis proteſtetur, ſe emere nomine illius, qui eſt dominus rei, & ſe paratum eſſe ei rem reſtituere, ſoluto ſibi pretio, quod eſt adnotandum, præſertìm, quando Emens dubitat rem eſſe furto ſubtractam; & fortiùs quando adeſſet mala fides, & Emptor ſolummodò diceret habere animum vero Domino reſtituendi; id enim redolere ſcientiam rei alienæ, & conſequentèr Emptorem amittere rem & pretium, putant Ruit. loc.

loc.cit. Menoch. *de præſumpt. lib.*5. *cap.*29. *num.*9. *&* 10. & nuperrimè doctiſsimus Petra, *loc. cit.* Quæ verò requirantur ad hoc, ut res furtiva dicatur, ſeù, ut furtum dicatur aliquis commiſiſse; quia non ſempèr fur dicitur ille, qui ſubtrahit res aliquas, vide Alex. in *conſil.* 125.126. 127. *in* 4. *volu.* An autèm emens rem furtivam, vel fur excuſetur à culpa, à reſtitutione, atque à pœna furti, ſi Dominus rei dicat, id, ſe invito, factum non fuiſse, lege Bar.in *l.Intèr omnes*,§.*Rectè*,*ff. de furt.*ubi negativè reſpondet, niſi ille eſſet amicus ſuus, vel conſanguineus. Idem docet Abb.in *Capit.Dudum*, *de elect.* aſſerens, eum non excuſari, niſi alia indicia concurrant, ex quibus conniici poſsit, conſenſum Domini adfuiſſe, Felin. in *Capit.*1. *col. fin. de præſumpt.* ubi dicit, inſpiciendas eſse conjecturas, Abb. paritèr in *conſil.*107. *in* 1. *volu.* ubi ait, furtum committi, quamvis Dominus videat, & taceat, quia cenſetur vetare, niſi alia adſint indicia; & furi dicenti, ſe credidiſse dominum eſse conſenſurum, non eſse credendum, dicit Bart. apud Card. Alb. in *Lucub.in Bart. tom.*2.*in d.l.Intèr omnes*, §. *Rectè*, *ff. de furt.* quia contra furem adeſt præſumptio juris; cum non debeat credere dominum eſse conſenſurum; nemo enim ſuum jactare velle præſumitur. Hæc dicta ſint obitèr ad clariùs doctrinam traditam præſentis illationis intelligendam.

28 Infero ſeptimò, actionem furti, ſeù rei furtivæ, ei competere, ad quem pertinet; & ſi res commodata ſubtrahatur, licere Domino rei agere vel contra furem, vel contra Commodatarium; & uno electo, non poſse contra alium actionem exercere, ſi ſciverit rem apud eum non reperiri; ſecùs verò ſi neſciverit, vel dubitaverit, niſi ei Commodatarius integram ſatisfactionem exhibuerit; & nobis favet Textus punctualis in d.*l.Manifeſtiſſimi* 22. *Cod. de furt.& ſer.* An, aliquo ſubtrahente rem à Domino, quam abſtulit à fure, & utroque, nempè domino, & fure ſimul comparente, actio furti, ſeù rei furtivæ debeatur domino, aùt furi, & ſucceſsivè an res ſit reſtituenda furi, aùt domino, videatur Card. Turrecr. in *Cap. Deus*, *cauſa* 3. *quæſt.* 1. §. *Patet ergo*, *num.*2. allegans Hug. putantem, ex æquitate dominum eſse præponendum in actione furti; & propterea ei rem eſse reſtituendam ad ſimilitudinem ejus, quod dicitur de depoſito, juxtà Textum in *l.Bona fides*,§.*Incurrit*,*ff.Depoſiti*, *vel contrà*: Eſtò de ſtricto jure videatur eſse reddenda furi

furi, ſivè prædoni, cui favet, prætèr Tex. alleg. etiam Tex. in *Capit. In litcris, de reſtitut. ſpoliat.* ibi-- Quia prædo etiam eſt ſecundum rigorem juris reſtituendus. Expoſitæ doctrinæ videtur adhærere Laym. *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 17. §. 3. *num.* 24. in expoſitione, & reſolutione pulcherrimi ſequentis caſus --
„ Titius à fure bonâ fide emit
„ equum, quem poſteà intelligit
„ eſſe Caii; ſed ità res comparata
„ eſt, ut vel Titius jacturam pretii
„ facere debeat, ſi equum reſtituat
„ Cajo (Ponimus enim furem
„ ſtatim aufugiturum eſſe) vel
„ Cajus jacturam equi; ſi Titius
„ reſciſſo contractu, pretium à
„ fure repetat, reddito ipſi equo:
Ad quem caſum citans pro ſe Major. in 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 26. propè finem, Medinam *qu.* 10. *de reſtit.* Sot. *lib.* 4. *de juſt. q.* 7. *art.* 2. *Covar. reg. peccatum, p.* 3. in princ. *n.* 3. & alios, reſpondet magis videri, contractum reſcindi non poſſe, ſed domino rem ſuam eſſe reſtituendam.

29 Infero octavò, actionem rei ſurreptæ competere domino, quamvis dominium hujuſmodi rei ſit quacunque ratione mutatum; ac proindè novo domino rei furtivæ illam eſſe reſtituendam, non dubitamus, & etiam habetur ex Tex. in *l. Si dominium, ff. de furtis*; Dominus enim ſive prior, ſive poſterior rei furtivę ſempèr jure poteſt illam vindicare, ſicùt conſtat ex *l. Mater*, *l. Adversùs, Cod. de rei vindicat*; & tradit Laym. *loc. cit.*

30 Infero nonò, incipientem poſſidere rem bonâ fide acceptam, poſtmodùm verò, dubio inſurgente, alienam eſſe, teneri inquirere veritatem; & adhibitâ morali diligentiâ; adhùc dubio remanente, an ſua ſit, ſi dubium ſit æquale, non teneri quidquam reſtituere, juxtà *Reg.* 65. *In pari, de reg. jur. in* 6. ubi dicitur, quod in dubio melior eſt conditio poſſidentis, & ità paritèr Doctores, Molina *de juſt. tom.* 1. *tractat.* 2. *diſp.* 35. & *to.* 3. *tract.* 2. *diſp.* 721. *num.* 4. Sayr. in *Clav. Regia, lib.* 10. *tract.* 2. *cap.* 3. *num.* 9. Coninch. *de Sacram. diſp.* 34. *dub.* 10. *num.* 85. & alii communitèr, quos refert, & ſequitur Diana, *tom.* 8. *tract.* 7. *de furto, reſ.* 40. *num.* 2. Secùs verò, ſi dubium ſit inæquale, ſeù ille, qui rem incœpit poſſidere bonâ fide; poſt adhibitam ſufficientem diligentiam, inæqualitèr dubitat, & magis propendit, ſeù magis inclinat in eam partem, ut res ſit aliena; nobis favent Valentia, *tom.* 1. *diſp.* 3. *qu.* 16. *punct.* 2. Bannes *in* 2. 2. *qu.* 40. *art.* 1. *dub.* 5. *concluſ.* 4. Ledeſm. *de matrimon. qu.* 55. *art.* 1. *ad* 3. & alii aſſerentes, eum, qui dubitat teneri aliquid reſtituere pro ratione,

ſeù ad menſuram illius propenſionis, ideſt, juxtà quantitatem dubii perſeverantis; reſtituere inquam, illi, cujus rem eſſe dubitat. Contrarium, quod putat probabilius, tenet, alios allegans, Diana, *loc. citat. numer.* 4. §. *Secunda tamen opinio*.

31 Infero decimò incidentèr, exiſtentibus rationibus æqualitèr probabilibus circa factum intèr civilitèr Litigantes, nefas eſſe Judici eam ſequi, quam mavult opinionem; illique proptereà onus incumbere in paritate rationum, rem dividendi, ut tenet quoque Villalobos, Salas, Sanchez, & alii, quos producit Caſtropalaus, *tom.* 1. *tract.* 1. *diſp.* 2. *punct.* 10. *num.* 2. quibus additur Thom. Tambur. in *Decal. lib.* 1. *cap.* 3. §. 4. *num.* 1. Judices enim, juxtà diſpoſitionem legum; imò ratione ipsâ dictante, ex pacto tacitè inito cum Republica, tenentur diligentiſſimè veritatem inquirere, & judicare ſecundùm allegata, & probata; & merita cauſæ perpendendo ſententiam ferre, atque rem meliùs probanti adjudicare; rationibus igitùr probabilibus ęqualitèr pro utraque parte exiſtentibus, debent rem utrique dividere. Si verò res eſſet individua, rem intèr partes poſſe aliquo modo componi arbitramur, ut puta, ſi uni detur res, alteri pretium ſuæ partis. Huic compoſitioni Litigantibus minimè quieſcentibus; cum non ſit major ratio cur uni res adjudicetur, alteri pretium, litem poſſe quoad hoc ſorte definiri, admonet Tambur. alios producens, *loc. cit. num.* 2.

32 Infero undecimò, eum, qui ab initio rem poſſedit, non bonâ, ſed malâ fide, dubitans ad ſe pertinere, obſtrictum eſſe, debitam adhibere diligentiam ad verum dominum inveniendum, ut queat illa bona cum fructibs, etiam conſumptis, ei reſtituere; & pręmiſsâ hujuſmodi diligentiâ, ſi adùc remanet dubius, non teneri ad integram reſtitutionem, ſed ſolùm ad partem pro ratione, ſeù pro quantitate dubii, ut, ſi dubium ſit æquale, teneri reſtituere dimidium; & quantò minùs probabile ſit, bona eſſe aliena, tantò minùs debere reſtituere vero Creditori, de quo dubitat, ſi reperitur, aliàs Pauperibus, tribuendam. Ità etiam docuerunt Leſs. *de juſt. lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 4. *num.* 25. Rebell. *de obligat. juſt. p.* 1. *lib.* 2. *qu.* 5. *nu.* 7. Molin. *de juſt. tom.* 3. *diſp.* 721. *num.* 4. Sanchez *in ſum. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 177. & alii, ſubdentes, ſi dubium eſſet æquale, reſtitutionem eſſe faciendam pro medietate.

33 Infero duodecimò, dubiis Agitatum, teneri, ut rectè operetur, dubium deponere, aliàs peccare

peccare ſecundum qualitatem peccati, de quo dubitat, ſi poſſit vel per ſe, vel per alium rei veritatem attingere, & non curet: quod certum eſt apud omnes Scribentes, hac ratione ductos, quia dubitans, an hic & nunc ſit peccatum, necne, & operatur dubio nequaquàm depoſito, demonſtrat, nihil, aùt parum curare, an id, quod agit, tranſgreſſio ſit legis Divinæ, necne; ac proindè vult eam actionem indifferentèr, ſivè bonam, ſivè malam; & ſic quantum eſt ex ſe, jam malitiâ fœdatam. Hìc animadvertere duximus ad deponendum dubium ſivè practicum, ſivè ſpeculativum, ſeù in genere, quod in practicum tranſit, ſi adſit hic & nunc practicè, & proximè regula actionis, debere dubitanti aliquam ſufficientem affulgere rationem, per quam valeat illud à ſe licitè amovere; cum omnis actus humanus rectus, & honeſtus debeat eſſe prudens; & prudentiam conſiſtere in judicio intellectus definientis quid hic & nunc licitè fiat, ſit ſenſus communis Doctorum. Nùm verò hujuſmodi judicium practicum ad rectè ſeù honeſtè operandum debeat eſse moralitèr certum, quo excludatur omnis formido oppoſiti, Cajet. Armilla, Nav. Suarez, & alii, quos producit, & ſequitur Layman. *loc.cit.* affirmant, hac moti ratione, quia regula humanarum actionum debet eſſe firma, & conſtans, & ſic excludere errorem: Sanchez apud eumdem Laym. ibid. Vaſqu. 1. 2. *diſ.62. cap.* 5. negant, exiſtimantes, non invalidis fundamentis innixi, ſufficere aſſenſum probabilitèr dictantem, eſtò non ſine formidine oppoſiti, hoc, vel illud honeſtè agi, quæ opinio ſavet Scrupuloſis. Quid verò agere debeat qui dubitat, ad dubium practicè deponendum, quando non valet rationem invenire, quâ dubium avertat, nec habet virum idoneum, à quo inſtruatur in directione ſuæ conſcientiæ: ex alia parte urgeat opus faciendum, conſule Theologos Morales, tractantes de conſcientia, præſertim Thom. Tambur. in *Decal. lib.* 1. *cap.* 3. §. 6. *à num.* 2.

34 Inſero decimotertiò, dubium ſcrupuloſum eſſe conſilio pii, & docti Viri reſolvendum: idemque agendum, quando dubitatur, nùm dubium ſit ſcrupuloſum, nec ne: Et ratio videtur eſſe; nàm, qui Virum pium, & doctum in hujuſmodi caſibus conſulit, ſi contingat ejus conſilio errare, excuſabitur tanquàm laborans ignorantiâ invincibili, quam excuſare à peccato, omnes Theologi unanimitèr fatentur; ſuadentes proptereà ſcrupuloſis, intèr cætera

tera remedia, quæ docent ad ſcrupulos tollendos, eligere pro Confeſſario, vel Animæ Directore Virum doctum, & pium; illique ſe ſubdere omninò, & credere, atque ea facere, quæ is imponit, abſque ullo peccandi timore; quia ſcrupuloſi ſequentes proprii Directoris dictamen, id, quod probabile eſt, ſequuntur; & ideò practicè prudentèr operantur, ut ſentiunt Vaſquez, Laym. Sanchez, Coninch. & alii, quos congerit, & probat Th.Tamb. in *Decal. lib.* 1. *cap.*3. §.8. *n.*4. *&* 5. Hinc quemdam Defunctum Ordinis Prædicatorum, qui apparuit alteri ejuſdem Ordinis admodùm ſcrupuloſo, eum interroganti ad ſuorum ſcrupulorum remedia, reſpondiſſe -- Conſule Diſcretos, & acquieſce eis, ſcribit ex Geſtis ſuæ Religionis S. Archiepiſcopus Florentiæ in *Summ. par.*1. *tit.*3. *cap.*10. §.10. ubi ſeptem regulas tradit, quarum adminiculo, ait ipſe, conſcientia ſcrupuloſa, ſeù erronea deponi poteſt, & debet, & ſic ſalvari.

35 Infero decimoquartò, fures, quia prætèr damnum rerum dominis illatum, earum venditione Emptorum conſcientias turbant, illaqueantque, meritò variis pœnis, etiam pœnâ ſuſpenſionis puniri, ut notat Bart. in *Auth. Sed novo jure*, *Cod. de ſerv. fugitiv.* Legatur Alex. in *conſil.* 110. *in* 4. *vol.* Bald. *in conſ.*348. *in* 5. *volum.* Et quamvis fur pro parvo furto ſuſpendi non poſſit, nihilominùs, eum de pluribus modicis furtis accuſatum, convictum, atque confeſſum, poſſe ſuſpendi, tenet Felin. in *Capit. At ſi Clerici*, §. *de adulteriis*, *colum.*fin. *num.*31. *de judic.* ubì citat Roma. Itèm furem manifeſtum in quadruplum condemnari, & furem non manifeſtum in duplum poſſe hodie in Civitate Romana, ſecùs extra Romam, ſcribit Petrus à Blaſio in *tract. de actione, & ejus natura in* 45. *act.* in fin. ſed arbitror eum decipi, ut etiam obſervat Card. Alb. in *Lucubrat. in Bart. to.*2. *num.* 1. *in d. Auth.* Hinc actionem furti dari contra quemcunque furem, etiam ſi ſit impubes, modo ſit doli capax, vult Textus expreſſus in *l. Impuberem* 23. *ff. de furtis*. An autem fur ipſe poſſit pœnitentiam agere, & rem reſtituere, ut valeat pœnam furto ſtatutam evitare, negativè reſpondet Bart. in *l. Sed ſi unus*, §. *Si ea*, *ff. de injur. & in l. Qui eâ mente*, *ff. de furt.* ubi quæſtionem movet; an, & quando, in delictis locus ſit pœnitentiæ: Voluiſſe tamèn hunc Doctorem de pœna quoad forum externum, ſeù contentioſum, intelligere, non dubitamus. An furto cooperans, ſcilicet is, qui

opem

opem furto præſtat, dicatur fur, ac proindè ſit pœnæ furti obnoxius, videtur affirmative reſpondendum ex Tex. in *l. Is, qui opem, ff. de furt.* & tradit Sylv. *v. Furtum, qu.3. num.7.* ubi aſtruit, dictam legem non eſſe generalitèr intelligendam. De hac materiâ tractat Abb. in *Cap.1. de offic. Deleg.* & abundè Felin. in *Cap. Sicut dignum, de homicid.* ubi mirè dilucidat materiam de præbente operam maleficio, Anchar. in *Cap. Acceſſorium, de regul. jur.* Dec. in *Cap. Quia quæſitum, de offic. Deleg.* & Jaſ. in *conſ.137. in 1. vol.* Et quomodò ſit puniendus præſtans auxilium, operam, vel favorem delinquenti, explicat Soci. in *conſ.188. in primo volum.* Curtius in *conſ.41.* ubi ſubdit, auxilium poſſe tribus modis præſtari. Hæc fuſiùs prætèr morem addita ſint huic noſtræ illationi in gratiam Officialium cauſis criminalibus incumbentium.

36 Infero decimoquarto, Militem furantem, alioſque fures, & furto cooperantes non tantùm jurium pœnis ſubjacere, ſed etiam infamiâ jure notari. Milites enim habentur ut nobiles, quia militia nobilitat, ut probat Textus in *l.2.* in princ. ibi -- Præclaram, nobilemque militiam, *Cod. de Primic. lib.12.* & in *l. Intèr alias, quæ eſt penul.* ibi -- Militari dignitate, *Cod. de palat. ſac. largi. eod. lib.* & tradit Bart. in *l.2. §. In filiis, ff. de Decur.* & expreſſiùs Sal. in *l.1. col.4. in 5. qu.* in fin. *Cod. de jur. & facti ignor.* & Andr. Alc. in *lib. de ſingulari certamine, cap.30.* ubi aſſerit, hanc fuiſſe ſententiam Joannis Jacobi Trivultii, Magiſtri Equitum Franciſci Regis; & iterùm *cap.64.* ubi ex hoc dicit, militem, origine ignobilem, poſſe quoad legem mundi, provocare nobilem ad duellum. Idem refert Tiraquell. *Tract. de nobilit. cap. 8. num. 1.* Nobilitatem autèm per infamiam, & vitæ turpitudinem, atque ſcelera deperdi, admonet Textus in *l.1. Cod. Ubi Senat. vel Clariſſ.* ubi hæc verba in fine adſcribuntur -- Omnem enim hujuſmodi honorem reatus excludit: *Et l. Si qua, Cod. de ſcund. nupt. l. Senatoris filia, ff. de rit. nupt. & l.2. l. Judices, l. Quoties, Cod. de digni. lib.12.* & in *cap.1.* & ibi Gloſſ. & DD. de *purgat. Can.* & *Cap. Nobilis, cauſa 2. qu.5.* -- ubi nobilis homo, „ vel ingenuus, ſi in furto, vel „ perjurio, aùt falſo teſtimonio „ fuerit deprehenſus, ferventi „ aquâ, vel candenti ferro ſe „ expurget; ac ſi non eſſet ingenuus, aùt nobilis; quaſi ſcilicet ſuis ſceleribus, præſertìm furto, nobilitatis privilegium amiſerit. Caveant igitùr Milites, cupientes privilegium nobi-

bi-

bilitatis, quod ipſis Militia confert, laudabilitèr conſervare, ne furta committant, quia furari, ſi in aliis turpe crimen reputatur, in ipſis ſanè turpiſſimum; adeò ut inexorabilem, inquit Criſpolt. *de caſib. Militar. caſu* 22. *num.* 13. reddant Ducem; & apud eum meritò non inveniantur Interceſſores. Et apud priſcos Romanos invaluiſſe conſuetudinem, ut Cuſtrametati eſſent Tribuni, ſervos omnes, & liberos ad jusjurandum adigerent, nihil è caſtris ablaturos, ſcribit Polib. *de Roman. Cuſtrametat.* Cotur. *de jur. Milit. lib.* 3. *cap.* 11. Hæc dicta paritèr ſint à nobis cum aliqua prolixitate in gratiam Militum, cupientibus eorum nobilitatem diù conſervari.

37 Infero tandèm decimoquintò, Milites, alioſque Fideles, rebus, furto ſubtractis, gravatos; earumdemque malâ fide Emptores, debere, ſi optant æternæ ſuarum Animarum ſaluti conſulere, pœnitentiam de opere malè perpetrato præagere, reſque, malâ fide ſublatas, & poſſeſſas, dùm vivunt, reſtituere aùt Dominis, aùt eorum Hæredibus, ſi reperiuntur, aùt pauperibus, illis ignoratis; aliàs æternæ perditionis periculo, quod Deus avertat, ſubjacere. Scimus quidèm, hominem, quandiù eſt in præſenti peregrinatione, uſque ad ultimum vitæ terminum, poſſe verè pœnitere, & veniam ſuorum peccatorum obtinere, exemplo Latronis, qui in fine vitæ ſuæ pœnitens, miſericordiam invenit, Luc. *cap.* 23. *verſ.* 43. At, ad ejus exemplum poſſe Latronibus, aliiſque peccatoribus, pœnitentiam furtivarum rerum reſtitutionem uſque ad mortem protrahentibus certò promitti, aſtruere nequaquàm audeo; memor, S. Auguſtinum, Eccleſiæ Doctorem, relatum in *Cap. Si quis, de pœnit. diſt.* 7. ità dixiſse -- Si quis poſitus in „ ultima neceſſitate ſuæ ægritudinis voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit, fateor vobis, non illi negamus, quod petit, ſed non præſumimus, quod benè hinc exit: ſi ſecurus hinc exierit, ego neſcio: pœnitentiam dare poſſumus; ſecuritatem autèm dare non poſſumus: nunquid dico damnabitur? Sed non dico liberabitur. Vis ergo à dubio liberari? Vis quod eſt incertum evadere? Age pœnitentiam dum ſanus es: ſi ſic agis: dico tibi, quòd ſecurus es; quia pœnitentiam egiſti eo tempore, quo peccare potuiſti: Si autem vis agere pœnitentiam, quando jam peccare non potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa.

Finis Difficultatum in Theol. Bell. prætermiſſarum.

PLU-

PLURA
SCITU NECESSARIA,

Pro majori explicatione, atque robore, in utroque Tomo Theologiæ Bellicæ expoſitorum, variis locis apponenda, adduntur.

Difficultati VIII. Lib.I. Tom.I. Additio.

1 SUB *num.* 14. *Authen. Itèm nulla Communitas, Cod. de Epiſc. & Cler.* ubi Eccleſia, & Eccleſiaſtici facti ſunt immunes ab omni onere impoſito, & imponendo, & pro rebus, & poſſeſſionibus ſuis. Quæ authen. eſt lex nova Friderici Imperatoris: Adde verba ejuſdem Authen. quæ ſunt -- Item
„ nulla communitas, vel perſona
„ publica, vel privata, collectas,
„ vel exactiones, angarias, vel
„ perangarias Eccleſiis, vel aliis
„ piis locis, aùt Eccleſiaſticis
„ perſonis imponere, aùt inva-
„ dere Eccleſiaſtica bona præſumant. Hæc lex contrarium agentibus, ſeù Imperatori minimè parentibus, pro pœna tripli ſolutionem imponit. Textus verò Canonicus in *Capit. Non minùs, extrà de immunit. Eccleſ.* vult eos pœnam excommunicationis incurrere. Adde paritèr Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. *cap.* 46. relatum in *Cap. Adverſùs, de Immunit. Eccleſ.* ubi dicitur --
„ Adverſùs Conſules, & Recto-
„ res Civitatum, vel alios, qui
„ Eccleſias, & Eccleſiaſticos Vi-
„ ros talliis, ſeù collectis, & ex-
„ actionibus aliis aggravare ni-
„ tuntur, volens immunitati Ec-
„ cleſiaſticæ Lateranenſe Conci-
„ lium providere, præſumptio-
„ nem hujuſmodi ſub anathema-
„ tis diſtrictione prohibuit,
„ Tranſgreſſores, & Fautores eo-
„ rum

„ rum excommunicationi ſubjacere præcipit; donec ſatisfactionem impenderint competentem, &c. Proptèr imprudentiam tamèn quorundam, Romanus Pontifex priùs conſulatur, cujus intereſt communibus utilitatibus providere. Adde quoque Concilium Conſtant. *ſeſſ. ult. in confirm. Conſt. imperial.* nec non *cap. Quia nullum, de immu. Eccleſ. in 6.* aliis Conciliis, ſacriſque Canonibus omiſſis; ubi interdicitur Sæcularibus Poteſtatibus ab Eccleſiis, vel Eccleſiaſticis perſonis tallias, tributa, impoſitiones pro rebus, vel poſſeſſionibus acquiſitis, vel acquirendis exigere, ubi expreſsè declaratur, Clericos nequaquàm debere neceſſitatibus, ſeù utilitatibus Civitatum, ſeù aliorum Locorum, etiam ubi Laicorum non ſuppetunt facultates, ſubvenire, niſi priùs Romano Pontifice conſulto.

2 Quâ ex doctrinâ civili, & Canonicâ ſequitur, Eccleſiam & Clericos non teneri ad gabellas, quæ imponuntur vino, cerevíſiæ, & ſimilibus annonis, ſeù eſculentis, & poculentis: quod etiam tenet Bald. in *l. Placet, Cod. de Sacroſanct. Eccleſ.* Pan. *in d. Capit. Non minùs, de Immunit. Eccleſ.* Franc. Zypæus, *de juriſd. Eccleſiaſt. lib. 3. cap. 10. num. 1.* Bald. ubi limitat ſic. Niſi gabella fuiſſet impoſita pro oneribus, ad quæ tenetur Eccleſia, quia tunc ſuccedit loco onerum, ut voluit Butric. in *l. Ad inſtructiones, Cod. de Sacroſanct. Eccleſ.* Quam Baldinam limitationem puto non eſſe admittendam, abſolutè ſumptam, ſed tantummodò cum hac modificatione: ad quæ tenetur Eccleſia ex mandato, vel beneplacito Summi Pontificis, aùt ex aliqua diſpoſitione juris Canonici.

3 Notandum eſt, locutionem hìc procedere de gabellis, quæ vino citrà negotiationem imponuntur: Clericum enim illicitè negotiantem in vino non defendi, quominùs ſubjaceat illud ſtatutis, & gabellis negotiationi impoſitis, probat Textus punctualis in *Cap. fin. de vit. et honeſt. Clericor.* & eſt Textus multùm notabilis, quia quotidiè allegatur; ubi dicitur, Clericum, qui tertiò monitus, à negotiationibus ſæcularibus non abſtinet, quoad bona privilegium clericale deperdere. Honorius enim Papa III. ad petitionem Comitis Pontini, ſcripſit ad Epiſcopum Ambianenſem, ut Clericos negotiatores præmoneret, & niſi reſipiſcerent, quominùs de ſuis facultatibus, ſtatutis, & conſuetudinibus Patriæ ſubjacerent, non defenderet eoſdem, & quidem meritò, cum Clerici non poſſint vacari quæſtui negotiorum,

tiorum, *Capit. Clerici*, *Capit. Quoniam*, *cauſa* 14. *qu.* 4. & aliis pluribus, & *Concil. Arelat. I.* confirmato à S. Silveſtro Papa, *cap.* 12. & aliis Conciliis.

4 Liceat mihi duas animadverſiones ſupèr d. Textum, ſeù ſupèr hoc factum Comitis Pontini exhibere; quarum prima eſt, quòd Comes Pontinus in Terris ſuæ ditioni ſubjectis, non ſuâ authoritate ſanxit, ut Clerici negotiatores gabellis ſubjacerent; ſed recurſum fecit ad Honorium III. Summum Pontificem, ut is provideret. Utinam cuncti Principum Confeſſores, & Conſiliarii id factum ſaperent, & intelligerent, &, datâ opportunitate, eis memorarent. Altera animadverſio concernit Pontificiæ locutionis formam; ſiquidèm non dixit Honorius, ſtatutis ſimplicitèr Clericos negotiatores ſubjacere, nè, inquit Zip. *loc. cit. n.*4. hanc in Clericos, Laicis authoritatem videretur agnoſcere, ſed defendendos non eſſe, quominùs de ſuis facultatibus ſubjaceant, eſſe tamen à ſuis Superioribus compeſcendos.

Difficultati IX. Lib. I. Diff. pertin. ad Reges, & Principes, Tom. 1. Additio.

SUb *nu.*24. dicitur non poſſe præveniri, & interfici eum, quem timemus futurum eſſe aggreſſorem, ſi Aggreſſor nullam fecit actionem, vel faltèm non ſufficientem ad cauſandum juſtum metum; ſecùs verò ſi Aggreſſor jam faciat aliquam actionem non remotè, ſed proximè influentem in meam internecionem.

1 Scio, hanc meam propoſitionem, quoad ſecundam partem (quoad primam non cenſetur controvertibilis) nonnullis diſplicuiſſe, fortè arbitrantibus, aùt duorum tantummodò Doctorum, nempè Bannes, & Baldi, ibi allegatorum, authoritate fulciri, aùt coincidere cum propoſitionibus damnatis, infrà producendis; ideò ad tollendam eorum diſplicentiam, addo, prætèr Doctores ibi allegatos, innumeros alios ejuſdem opinionis reperiri, & intèr cæteros, Domin. Sot. *de juſt. & jur. lib.*5. *qu.*1. *art.*8. Cajt. 2.2. *qu.*95. *art.*8. *ad* 3. Leſſ. *de juſt. lib.*2. *cap.*9. *dub.*8. *num.*44.45. 46. Navar. *in Man. cap.* 15. *num.* 3. Covar. *in Clement. Si furioſus*, 3.*p.* §.*unic.num.*6. Victor. *Relat.* 10. *de homic. nu.* 17. S. Anton. 4. *p. tit.*4. *cap.*3. §.1. Jul. Clar. *de homic. num.* 32. & alii. Hancque eſſe ſententiam D. Thomæ, ſatis clarè oſtendit Sot. *loc. cit.*

2 Horum Doctorum ſenſui om-

nia jura favent, præſertim *Cap. Jus naturale, diſt.* 1. ubi ceu licita ponitur violentiæ per vim repulſio, *Capit. Significaſti, de homic.* & *Capit. Si verò*, il primo, *de ſent. excomm.* ubi expreſsè dicitur, quòd vim vi repellere omnes leges, omnia jura permittunt: quodque probat Textus in *l.* 1. *ff. de vi*, & *vi arma*; & in *l. Ut vim*, *ff. de juſt.* & *jur.* Et hoc jure evenit, ut quod quiſque ad ſuum corpus defendendum fecerit, jure feciſſe exiſtimetur: & *l. Injuriarum*, *ff. de injuriis*, ubi habetur, nemini injuriam fieri ab eo, qui ſe defendit. Facit paritèr Clementina unic. *de homic.* ubi declaratur, pœnam non incurrere eum, qui occidit, vel mutilat, alitèr mortem evitare nequiens; Nec non *Capit. Interfeciſti*, *eod. tit.* ubi pœnitentia imponitur occidenti latronem, ſi potuit ſe alitèr liberare; ſecùs verò, ſi alitèr ſe liberare non potuit. Poſſum ergo licitè volenti me injuſtè occidere, & jam actionem facienti in meam occiſionem proximè influentem, vim inferre, illumque morte prævenire; aliàs eſſet non ſolùm jus naturale, aliaque jura pervertere, ſed etiam Chriſti jugum, quod eſt ſuave & leve, acerbum facere, & importabile. Acerba quippè eſſet lex, quæ ſubditos cogeret, ut vitam, quam Mortales tanti æſtimant, cujuſcunque temeritati, & audaciæ dono darent. Occaſio ſanè porrigeretur nefandis hominibus juſtos occidendi, videlicèt, dum certi eſſent, ab illis non ſe eſſe occidendos. Hinc Machabæi decreverunt, etiam diebus ſanctis, nempè Sabbatis, ſe ſe armis defendere, videntes quòd eorum hoſtes eos adoriebantur eo tempore, arbitrantes, tunc eos non poſſe pugnare, ut legitur 1. *Machab. cap.* 2.

3 Meæ illationi, ſivè doctrinæ expoſitæ non officit proſcriptio aliquarum propoſitionum, 18. Alexandri VII. quæ eſt -- *Licet interficere falſum Accuſatorem, falſos Teſtes; ac etiam Judicem, à quo iniqua certò imminet ſententia, ſi aliâ viâ non poteſt Innocens damnum evitare*: 30. Innocentii XI. quæ eſt: *Fas eſt Viro bonorato occidere Invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi alitèr hæc ignominia vitari nequit*; nàm cum hiſce propoſitionibus, meritò proſcriptis, nullatenùs coincidit expoſita doctrina. Caſus enim eſt diverſus; ſiquidèm, in caſu Teſtium falſorum, aùt Judicis volentis iniquè judicare, & nitentis calumniam inferre, non agitur, ut in caſu noſtro, de morte vitanda, quæ, ſecundùm Philoſophum, eſt omnium terribilium maximum, & de conſervatione, ſeù defenſione vitæ,

quæ

quæ eſt ſummum Naturæ Bonum: In primo caſu poteſt ad Principem, vel Gubernatorem, vel Magiſtratum, vel alium Superiorem recurri, ut Teſtium falſorum depoſitionem, aùt iniquam Judicis ſententiam, & calumniantium malitiam impediat: In noſtro caſu, non ſupponitur poſſibilis hujuſmodi recurſus. In primo, ſequutâ ſententiâ, datur locus appellationi; & ſequutâ calumniâ, honor læſus poteſt pluribus modis defendi, & ad priſtinum ſtatum reduci. In ſecundo, ſi Invaſus moritur, quem appellabit? Quomodo ſe defendet? In primo, locum non habet illud univerſale principium. Vim vi repellere; tùm quia defenſio armata non eſt nobis licita, niſi contra Invadentem nos armis, ut rectè docet Cajet. 2. 2. *quæſt.* 95. *art.* 2. *ad* 3. Tùm quia, propriè vis non dicitur, niſi quando quis actualitèr aggreditur aliquo facto per ſe nocivo: Atqui falſi Teſtes, aùt Judex, & Calumniatores nondùm ſic aggrediuntur, eſtò habeant intentionem aggrediendi. Deinde in defenſione non poteſt quis uti majori vi, quàm ſit neceſſè ad injuriam arcendam; alioquin non eſſet defenſio, ſed ultio; & hæc major vis contingeret in primo caſu, ut conſideranti patet: & ideò præfatæ propoſitiones meritò fuerunt damnatæ, cum in praxi nullatenùs ſint admittendæ ob incommoda, quæ ex eis ſequi poſſunt. Facilè enim homines ſibi ipſis perſuadent, ſe per calumniam accuſari, & per malitiam in bonis fortunæ offendi, & non eſſe effugium, niſi morte Accuſatoris, & damnum inferentis; ſicque multæ cædes injuſtè patrarentur; ac proindè plures in Republicâ benè conſtitutâ ut homicidæ plecterentur.

4 Præterquàmquod, ubi unum prohibetur, non intelligitur prohibitum & aliud, quantumvis ſimile, quod eſt notum in jure, ut advertit Thomas Tamburinus in *MethodoConfeſſ. lib.* 2. *cap.* 7. §. 4. *num.* 21. cum prohibitio non ſit extendenda ultrà ſuos terminos, ut notat Paſqualig. in *Tract. de controv. intèr Epiſc. & Regul. de Litan. approb. & probib. num.* 191. Demùm non eſſe faciendam extenſionem legis, ſeù Conſtitutionis pœnalis de caſu ad caſum, quamvis ſit omnimoda ſimilitudo, & ſubſit eadem ratio, tradunt Joan. de Imol. Joan. And. apud Sylv. *v. lex, num.* 18. circa medium. Quodque probat Regula *Odia, de reg. jur. in* 6. & quidèm à fortiori, quando non adeſt ſimilitudo, nec par ratio, ut in caſu noſtro.

Difficultati XVI. Lib. I. Tom I. Additio.

SUb *n.*11.dicitur,quod Clerici vi jurium non poſſunt cogi ad hoſpitandum Milites.

1 Adde Tex. in *l.* 1. *Cod. de Epiſc. & Cleric.* ubi apertè dicitur, quòd Clerici extraordinaria munera minimè ſubeunt, & hoſpitem recipere non tenentur;&Tex.in *Cap.Præterea, extrà, de jurepatron.* ubi idem, eſtò per verba diverſa,habetur. Ita Faber in *Cod.ſuo, lib.9.tit.* 29. *defin.*26. Choppin. pariter *de ſac.pol. lib.*3. *tit.*2.*n.*3.ubi & Conſtitutionibus cautum, & Senatuſconſultis firmatum aſſerit,Clericos à Militum hoſpitio eſſe liberos, dempto, ſubdit, eo caſu, ſi obſidione cincta mœnia proponerentur, vel ſummum aliud patriæ periculum impenderet; hiſce enim in caſibus interveniret neceſſitas, quæ, ut legi non ſubjacet, dummodò vera ſit, & non prætextus, ità etiam privilegii obſervantiam non admittit: tunc enim optimè æquitas reſtrictionis Pontificiæ in *Capit. Non minùs, extrà, de immunit. Eccleſ.* in praxim vocatur, ſcilicèt, cum laicorum non ſufficiunt facultates; & in noſtro caſu, cum Laicorum non ſufficiunt hoſpitia. Et omnis ratio ità videtur exigere, ſiquidèm Clerici in ſortem Domini ſunt, electi, *Capit.Duo ſunt, diſt.*96. ut pro populo Deum interpellent, ejus peccata precibus & oblationibus deleant, *Capit. Ipſi Sacerdotes, cauſa* 1. *qu.* 1. Si autèm immiſſum ædibus militem cogerentur habere, cogitare non poterunt, quæ Domini ſunt, nec intercedere pro populo, nec illius peccata delere; nàm diviſi erunt, inquieti erunt: & inquetudinem vocat gravamen *l.* 3. *Cod. de ſilentiar. lib.* 12. gravamen paritèr dicitur hoſpitalis moleſta, *l. Archiatros, l. Hac lege, Cod. de metat. lib.*12. Quomodo poſſunt Clerici mentem in Deum elevare gravamine preſſi? Non convenit igitùr, diverſæ profeſſionis homines ſociari,*Clem.*1.*de elect.*Diverſam admodùm eſſe profeſſionem militiæ ſæcularis, & cæleſtis, probat Tex.in *Capit.Clericum, diſt.* 50. *& Capit. diverſis fallaciis, extrà, de Cler. conjug.*

2 Subdimus, ab onere milites hoſpitandi non tantùm immunes eſſe Clericorum ædes, ex *l.*1.*Cod.de Epiſc.& Cler.*in quibus domicilium habent, ſeù actualitèr habitant apud Eccleſiam ſuam ſitas; ſed etiam quas alibi habent, *l.*2. *C. eod.* ſaltèm non elocatas, ſed per ſuos inhabitatas, in quibus, aliquo caſu contingente, ſolent ipſi hoſpitari, aùt degere, ut puta,

puta, Epiſcopi; quibus ſanè expedit liberas habere domos,non ſolùm juxtà Eccleſiam Cathedralem, ſed etiam per Diœceſim ſuam, in quibus queant degere, dum munus Viſitationis explent: Et id quidèm, nè Eccleſiaſticorum Domus ſubjaceant tabernarum incommodis, qualia, aùt etiam graviora poſſent contingere ex laſciviis Militum, ſi in illis hoſpitari deberent: & ob hanc rationem, ſeù ob eandem Militantium inſolentiam, etiam vetitum eſt Militibus in ipſis SynagogisJudæorum hoſpitari, per *Text. in l. In Synagoga, Cod. de judæ. & cœlic.* ibi – quos, nempè Milites privatorum domus, non religioſarum loca habitationum meritò convenit attingere: Atqui, inquit Zyp. *de juriſdict. Eccleſiaſt. lib. 3. cap. 9. num. 6.* Hæc eadem ratio domus Clericis hoſpitandis deſtinatas, & habitationum loca, magis quàm Judæorum, religioſa facit, ut eadem Milites non debeant attingere: ſic ille.

3 Non incongruum hìc ducimus memorare Tex. *in l. Decurionibus, Cod. de Silentiar. lib. 12.* dicentem, Domos eorum, nempè Silentiariorum, non tantùm (ſunt verba Textus) in hac ſacratiſſimâ Urbe: ſed in qualibet alia poſitas civitate immunes ab omni hoſpitum cujuslibet dignitatis inquietudine vindicamus: quorum argumento, & argumento à majori eorum, qui memorantur in *l. 4. 5. 8. Cod. de metat. lib. 12.* recitantur *in l. Fabricenſium*, ubi domus Fabricenſium, qui ſunt hi, ut notant ibi *Gloſſ.* qui faciunt publica arma, ad hoſpites recipiendos non gravantur: *l. Devotum*, ubi devotus poſſeſſor ab omni inquietudine, quam hoſpitatio ſolet adferre, liberatur, *l. Archiatros*, ubi Archiatri imperialis palatii, nec non Urbis Romæ eodem gaudent privilegio, ſeù ab hoſpitali moleſtia ſunt immunes, *C. de metat. & Epid. lib. 12.* Utinam hæc Imperatorum ſtatuta non ſolùm Militibus, ſed aliis cujuslibet dignitatis in locis præfatis hoſpitari vetantia intelligerent non ſolùm Eccleſiaſtici in dignitate conſtituti, ſed etiam Laici, qui per oppida, & Civitates tranſeuntes, non erubeſcunt in Religioſorum Clauſtris hoſpitium quærere; & per dies, quandoque menſes, & ultrà, illud non ſine aliquo regularis Diſciplinę detrimento protrahere. De hac materia, ſeù de munere Milites hoſpitandi fusè & perdoctè tractat Franciſcus Zypæus, in *Conſult. can. de immunit. Eccleſ. conſ. 1. §. Quæ ſententiæ*, & in *jur. pont. nov. Analy. eod. tit.* & etiam *de juriſdict. Eccleſ. lib. 3. cap. 9. per totum.*

Diffi-

Difficultati XXXIII. Lib. I. Tom. I. Additio.

SUb *num.* 1. ubi dicitur, hæc opinio ſuâ probabilitate non caret:

1 Addo, ità ſentire Ugolin. *de cenſur. Pont. reſerv. part.* 2. *verſ. Illiſque ad id*, *num.*4. Bonac. *de cenſur. Bullæ Cœn. diſp.* 1. *quæſt.*8. *punct.* 4. *n.* 10. Duard. *hic*, *can.* 7. *qu.* 35. *num.* 1. & alios, qui, productâ cum ſuis fundamentis hac ſententiâ, ipſis, & mihi contrariâ, afferunt, locum tantummodò habere extrà cauſam Religionis, & eſſe intelligendam cum limitatione, nempè, dummodò abſit ſcandalum & periculum Fidei; & quamvis eam non expreſſiſſent, eſſe nihilominùs ſupponendam, & intelligendam, admonet Novar. *in Cap. Ità quorundam, de Judæ. Notab.*4. *nu.* 27. & quidèm rectè, cam non ſit credendum, Principem Catholicum inire cum Infidelibus fœdus, illiſque auxilia præbere in damnum Chriſtianorum, & Catholicæ Religionis, & ut ſe, ſuoſque omnes in ignominiam, & cenſuras conjiciat; *arg. Reg.* 1. *de reg. jur. &* *l. Meritò, ff. pro* Soc. *& cap.* 1. *diſt.* 40.

2 Subdo, quandam ſpeculativam probabilitatem huic opinioni à me concedi, cum minimè potuerim illam abſolutâ improbabilitate notare ob ejus rationes in meo ſcripto relatas; & ob reverentiam debitam Authoribus, qui illam concedunt; additá praxi temporis præteriti, & forſitan præſentis, ex quo tamen non ſequitur, illam poſſe tutè in praxim deduci, cum aliqua opinio poſſit eſſe vera, aùt probabilis ſpeculativè, non aùtem practicè, ut tradunt, intèr innumeros, Granad. 1. 2. *art.* 12. *diſp.*4. *ſect.*4. *num.*32. Novar. *in Cap. Si quis autem*, *num.*57. *de pœn. diſt.*7. Suarez 5. *de leg. cap.* 18. *nu.* 20. Leſſ. *lib.* 2. *de juſt. & jur. cap.* 20. *dub.*6. Merol. *tom.* 1. *diſp.*3. *cap.* 4. *dub.* 3. *num.* 96. Non enim repugnat, eamdem opinionem ex uno motivo apparere probabilem, & ex alio falſam, ut ſentiunt communitèr DD. undè benè poſſumus aliquid putares probabile, & illud rejicere ut falſum, inſpecto præſertim diſcrimine, quod Theologi notant intèr judicium de probabilitate opinionis, & judicium de uſu, & electione opinionis, docentes, primum verſari circa motiva, in quibus fundatur opinio, & judicat de ipſis, & pertinet ad illum babitum, qui deducit ipſam opinionem; ſecundum verò eſſe judicium practicum, & pertinere ad conſcientiam; cum

cum ſit in ordine ad regulandam operationem hîc & nunc, & judicare de ipſa opinione, an poſſit aſſumi tanquàm menſura operationis. Ex quo diſcrimine patet, quòd quamvis præfata opinio dicatur probabilis, non indè ſequitur, adeſſe judicium de uſu, ſeu eligibilitate ejuſdem: Siquidèm non quælibet probabilitas ſufficit ad ſecuritatem conſcientiæ, præſertim concurrens cum probabilitate oppoſitâ longè majori, ut docet noviſſimè, intèr alios, Thyr.Gonz.in *tract.de uſu opin. probab. diſſert.* 3. *cap.* 3. §. 11. *num.* 220. Hinc nemini licere ſequi ſententiam minùs tutam in concurſu tutioris, quando hæc, tùm ab authoritate, tùm à ratione, apparet operanti ut manifeſtè probabilior, tradunt ferè omnes Doctores claſſici tàm antiqui, quàm moderni, ut notat idē Thyr.Gonz.*loc.cit. cap.* 1. *n.*4.ideòque meritò fuit damnata ab Innoc. XI. illa propoſitio, quæ eſt 3. in ordine *Generatim, dùm probabilitate ſive intrinſecâ, ſivè extrinſecâ, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudentèr agimus*: Sicque conſultò dixi; præfatam opinionem ſuâ non carere probabilitate, & non dixi, eſſe ſimplicitèr & abſolutè probabilem: Pronomen enim, *ſua*, eſt reſtrictivum, & ſignificat quandam immedietatem, ut habetur ex Menoch. *conſ.* 328. *num.* 14. Stephan.Gratian. *Diſcep.forenſ. cap.* 104.*num.* 19. & aliis, quos producit, & probat Barboſ. *Tract. var. de dict. dict.*397. *nu.*4. Quaproptèr, dùm meam opinionem ibi trado ut veriorem, probabiliorem, & tutiorem, uti validiſſimis fundamentis firmatam; atque rationes opinionis contrariæ ibidem à me diluuntur; hæc apparet minùs tuta, ac proindè minimè eligibilis.

Difficultati XXXV. Lib. I. Tom. I. Additio.

SUb *num.* 16. ubi aſſeritur, ſtipendium eſſe Militis ſolvendum pro tempore, quo fuit infirmus.

1 Additur nunc, ità ſentire præter Doctores, ibi allegatos, Ceſpedem in *Dubiis Militar. dub.* 20. & ità ſentire debere Criſpolt. de *Caſib. Militar. caſ.* 28. docentem, Milites, qui ob delictum ſunt ad catenam damnati, indulgentiâ Principis, Militiæ reſtitutos, ſtipendia recuperare, & quidem juſtè; quia omnes, qui Militiæ nomen dederunt, nec è numero Militum ſunt deleti, & in Caſtris præſentes ſunt, ſtipendia merentur,

ut tradit Claud. Cotoræus de *jur. Milit. lib.*1. *cap.* 54. Inibi ſubdit Criſpolt. non ſolùm in Caſtris Milites præſentes, ad catenam damnatos,ſed etiam illos, qui proficiſcendi pro rebus propriis, licentiâ obtentâ, à ſignis abfuerunt, integra ſtipendia mereri, ac ſi præſentes eſſent, quod probat Textus punctualis, in *l. Hac lege*, *Cod. de prox.Sacr.Scrin. lib.*12.ità quoque ſentire debet Speculator, *tit. de locat.* §. *Poſtquàm tàm plenè*, *num.*20.Homobonus, de *ſtat. par.*2.*cap.*23. Graff. *par.*1. *deciſ.lib.*3.*cap.*8.*num.*7.Novar. *de reſtit. lib.*2. *cap.*2. *num.*115. & alii, quos producit, ſed reprobat Diana,*par.*1. *tract.*8. *de Contract. Reſol.* 86. mordicùs ſuſtinentes, Dominos teneri ſalarium ſolvere famulis infirmis pro tempore infirmitatis, non tantùm, ſi tempus fuerit unius, vel alterius hebdomadæ, de quo non eſt dubitandum, ſed etiam unius, vel duorum menſium, aùt ultrà, ut infrà explicabitur.

2 Prætèr rationem extrinſecam, ſivè Doctorum authoritatem, additur ratio intrinſeca. Juribus, & Doctorum authoritate probatum eſt, omnes & ſingulos, qui Militiæ nomen dederunt, nec è numero Militum ſunt deleti, ſtipendia mereri: Certum eſt, ut ſupponitur, Milites infirmos, nomen Militiæ dediſſe, & à numero Militum minimè fuiſſe ratione infirmitatis deletos. Ergò ceſſante infirmitate, & Militiæ reſtituti, debent ſtipendia temporis infirmitatis recuperare. Tum quia, contractus, qui eſt intèr Militem, & Principem, eſt valdè ſimilis contractui, qui intervenit intèr Regularem, & Religionem, ut docet Criſpoltus in *ſuis Caſib. Militar. caſ.*1. *num.*46. dicens, Militiæ contractum ſpeciem quandam contractus ab aliis diverſam conſtituere, & ſuas habere peculiares leges, nullique rectiùs comparari, quàm profeſſioni alicujus Religioſi, qui dùm Religionem profitetur, legibus & inſtitutis Religionis ſubmittitur. Religionem autèm, ſivè Monaſterium ipſo jure teneri, etiam nullâ ſpeciali pactione interveniente, Religioſo, dummodò non ſit canonicè à Religione expulſus, indiſtinctè,tùm ſano, tùm infirmo alimenta præbere,habetur,ex *Capit.unic.* §. *Sanè*, *de Stat. Regular. in* 6. Ergò idem dicendum eſt de Principe ergà Milites. Prætereà, Canonicis, qui infirmitate impediti, in Choro non cantant, diſtributiones deberi, & ſolvi ordinariè,ſententia magis communis eſt Theologorum, & Canoniſtarum, Sylv.Angeli, Covarruviæ, omnium relatorum à Navar. de *reſtit. lib.*2. *cap.*2.

*cap.2.num.*208. Sicut & Beneficiatis ſolitis aliòquin Eccleſiæ inſervire, ſuperveniente infirmitate in loco Beneficii, ſivè extrà illud, diſtributiones deberi, reſolvit Sac.Congregatio Concilii in *Nullius diſtribut.* 18. *Decembris 1666.in lib.*21. *Decr.fol.*29.impreſſa apud Antonell. *jurib.Cleric.fol.*16. Immò diſtributiones deberi etiam abſenti cum debita licentia ad recuperandam valitudinem ob aeris mutationem, habetur in *una Firmána*, 10. *Julii*, 1627. *lib.*13. *fol.* 288. *& in una Ferrarien.*27. *Iunii*,1641. *lib.*16. *fol.* 542. & de quodam Beneficiato Baſilicæ Vaticanæ, qui ex Medicorum conſilio in Patriam ſe receperat recuperandæ valetudinis causâ; reſcripſit paritèr ead. Sac. Congr. Concilii in *Romana diſtributionum*, 16. *Novembris* 1699. *in lib.*49.*Decr.fol.*196.demandando, ut ei reſtituerentur omnes diſtributiones pro tempore præterito cum conceſſione indulti ad aliud futurum Biennium, ſi tandiù ejus infirmitas perduraſſet, ut eruditè notat D.Dominicus Urſaya in *Inſtitut. Criminal. lib.*1.*tit.*10.§.3. *num.*7. *&* 8. Ergò ſimilitèr Milites, nequientes Militiæ causâ infirmitatis ſervire, non debent ſtipendio privari. Inſupèr Capellanum infirmum, aùt carcere detentum,vel ſimili impedimento laborantem, eſtò teneatur per ſe celebrare, nihilominùs non ſolùm excuſari à celebrando per ſe, vel per alium, ſed etiam frui debere ſtipendio annuali,quod per ſe currit, ſi breve eſt impedimentum, docet, aliis citatis, Tho. Tamb. *de celebrat. Miſſ. cap.*5. *de oblig. Capell.* §.1.*nu.*1.*&* 2. huic fundamento innixus, quia præſumendum eſt, Teſtatorem noluiſſe tàm rigidè in brevi impedimento cum ſuo Capellano agere, ut ſtatim ad fructuum reſtitutionem teneatur; ſecùs verò ſi longum eſſet impedimentum, aùt quando ſe declaraſſet, aùt expreſsè colligeretur, mentem Teſtatoris fuiſſe, ut nunquam deeſſet Miſſa. Sic igitùr etiam in caſu noſtro; non enim tantus præſumitur in Principe rigor, ut velit ſuos Milites ægrotantes, qui fidelitèr, & utilitèr ei deſerviunt, ſtipendiis, ad eorum ſuſtentationem primariò aſſignatis, deſtitui; præſertim ſi infirmitas fuerit brevis: Argumentum à ſimili in jure eſt receptiſſimum, ut obſervant Abb. Imola, & alii, quos refert, & ſequitur Menoch. *conſil.*1014. *num.*27.

3 Verùm, quænam dicatur brevis, quæ longa infirmitas in caſibus Canonicorum, & Capellanorum infirmorum,& ſucceſſivè Militum ægrotantium,

non conveniunt intèr ſe Scribentes. Peyrinus in *Decl. Conſtit.* 9. Urbani VIII. *auth. editæ*, §. 19. *ad* 10. putat, per modicum, ſeù breve tempus intelligi ſpatium trium annorum: quæ opinio pluribus, & quidem rectè, uti nimis laxa, non placet, Barboſ. *de poteſt. Epiſc. p.*2. *coll.*24. *n.*31. docet, infirmitatem brevem dici octo, vel decem dierum; cui doctrinæ, tanquàm nimis ſtrictæ, non omnes acquieſcunt. Bonac. *diſp.*4. *de Euch. qu. ult. punct.*8. *nu.*17. modicum tempus infirmitatis ad quindecim dies extendit, cui extenſioni non pauci aſſentantur. Petr. Navar. *de reſt. lib.*2. *cap.*2. *nu.*20. illud porrigit ad unum menſem, & De Lugo, *de Euch. d.*21. *ſect.*2. *num.*40. ad duos menſes; & ità omnes probabilitèr ſentiunt; quia in jure tale tempus, videlicèt, duorum menſium, modicum, ſivè breve communitèr ſolet judicari, & colligitur ex *Capit. Præſentium, cauſa* 7. *q.* 1. ubi abſens à ſuâ Eccleſiâ per duos menſes cauſâ ægritudinis non dicitur defuiſſe, & ex Synod. Trident. *ſeſſ.*23. *de reform. cap.*12. ubi Canonicis, & ſimilibus per duos, Epiſcopis, per tres menſes indulgetur poſſe à ſuis Eccleſiis abeſſe. Admiſſo itàque argumento à ſimili, fatendum eſt, Militibus infirmitate unius, vel duorum, vel etiam plurium menſium, ſi circumſtantiæ perſonæ, vel loci, vel neceſſitatis, vel aliorum poſtulaverint, impeditis, ſtipendium hujuſmodi temporis non poſſe denegari.

4 Noſtro non obſtat aſſerto Textus in *l. Cum allegatis* 5. *Cod. de re militar. lib.*12. *in l. ex cauſa*, 15. *ff. eod. tit.* ubi habetur, Notatum ex cauſa deſertionis, ac ex indulgentia Principis Militiæ reſtitutum, temporis, quo in deſertionis cauſa fuerit, ſtipendiis expungi; nàm hujuſmodi jura loqui de Milite, qui à Caſtris abſuit, & militiam deſeruit, liquidò conſtat: Deſertores enim, qui à Caſtris aufugiunt, nomen Militis perdunt; hinc decens, & juſtum non eſt, ut temporis, quo Milites non extiterunt, ſtipendia ſibi uſurpent: At Milites, qui fuerunt infirmi, militiam non amiſerunt tempore infirmitatis; Milites extiterunt, nec fuerunt Militiæ ex indulto Principis reſtituti. Ergò eis ſtipendia debentur pro tali tempore, & etiam dum ſunt aliquâ juſtâ causâ itinerantes, & etiam dum capti ab hoſtibus, apud eos detinentur, ut tradit Surdus, *de alimentis, quæſt.*76.

Diſ-

Difficultati I. Lib. II. pertin. ad Duces Exercituum. Additio.

SUb *num.*24.ibi animadvertimus, non ordinariam requiri in Ducem eligendo nobilitatem; cum notum ſit, ad honores, & Magiſtratus, Nobiliores eſſe anteferendos:quod juribus, Doctorum authoritate, & rationibus demonſtratur.

1 Addimus nunc, Electum in Ducem Exercitus, ſi fortè non eſſet nobilis, quod poteſt contingere, imò ſæpè contingit,ut in antiquis Romanorum geſtis memoratur, vigore ejuſmodi electionis magnam acquirere nobilitatem, teſte Tullio,qui in *Oratione pro Murena* ſcribit, duas artes eſſe, quæ locare poſſunt hominem in ampliſſimo dignitatis, & ſic nobilitatis gradu; quarum alteram Imperatoris eſſe dicit; Imperatorem enim dici eum, qui à Principe exercitui præficitur, ſeù, qui conſtituitur Ductor exercitus, Præfectus Copiarum, pluriès in toto opere adnotavimus; & colligitur ex veteri Teſtamento, præſertìm *Gen. cap.* 21. *&* 37. 2. *Reg. cap.*19. *&* 24. *Judith. cap.* 2. *& Ierem. cap.* 39. ubi, ut obſervant 70. Interpretes,& S.Hieronymus in *Iſaiam lib.*7. qui præficiebatur Exercitui, dicebatur Ductor Exercitus, Princeps Militiæ: & civilibus quoque legibus Magiſter Militum vocatur; quod idem ſonat; ut deducitur ex *l.*1. *Cod. de exbib. & tranſm.reis,& l.*2. *& l. ult.Cod. de Decur. lib.* 10. *& l.ult.Cod.de comit. rei milit. lib.* 12.ubi Præfectus copiarum intèr Nobiles, & Illuſtres enumeratur, & *l. Viros*, *& l. ult. Cod. de diver. offic. eod. lib.*12. *& l. ult. Cod. ut dig. ord. ſer. eod. lib.* 12. ubi is Magnificus nuncupatur: Magnificum verò, nobilem, & illuſtrem eumdem eſſe, tradit Tiraquell. *Tract. de nobilitate*, *cap.*8. *n.*15. & habetur in §. 1. *in Auth. Ut ord. præfect. Urb.* ubi is glorioſiſſimus vocatur;quod peræque valet, ac nobiliſſimus: per gloriam enim ipſam nobilitatem intelligi,probat idem Tiraquell. non ſolùm Tullii, aliorumque Ethnicorum Scribentium authoritate,ſed etiam variis Sacræ Scripturæ locis, *eod. Tract. de Nobilit. cap.* 20. *num.*3. Apud antiquos. Romanos Tribunus Celerum, vocabatur, qui Equitibus, qui celeres ſunt, præerat, & veluti ſecundum locum à Regibus obtinebat; idque legimus in *l.*2. §. *Quod ad Magiſtratum*, & ibi in *Gloſſ. ff. de orig. juris*. Legimus paritèr in

Inſcriptione, mox referendâ, Magiſtrum Equitum, & Peditum dici eum, qui alibi Magiſter militiæ, vel Militum vocatur: hiſceque muneribus magnam nobilitatem, atque dignitatem ad ea aſcendentibus exoriri, conſtat in ſequenti Inſcriptione, quâ fuit animatus Cippus, Romæ ſub Templo Concordiæ inventus; quamque Reipublicæ eruditæ ſcriptam reliquit Bartholomæus Marlianus, *lib.* 2. *Topographiæ Urbis Romæ*, *cap.* 10. quæ eſt:

FL. Stilichoni. V. C.
Flavio Stilichoni illuſtriſſimo Viro,
Magiſtro Equitum, Peditumque,
Comiti Domeſticorum, Tribuno Prætoriano.
Et ab ineunte ætate per gradus clariſ-
ſimæ Militiæ, ad columen gloriæ
Sempiternæ, & regiæ adfinitatis evecto,
Progenero Divi Theodoſii, Comiti Divi
Theodoſii Auguſti in omnibus bellis,
Atque victoriis, & ab eo in adfinitatem
Regiam cooptato, itemq. Socero, D. N.
Honori Auguſti Africa conſiliis ejus.
Ex proviſione liberata ex S. C.

2 Quâ inſcriptione apertè oſtenditur, ex militia, ejuſque laboribus nobilitatem acquiri; & quamvis ſimplex militia haud nobilitaret, tamèn, eum, qui arte militari aliis excellit, ejuſque clarum ſpecimen, & teſtimonium non ſemèl præbuerit, magnum Nobilitatis gradum conſcendere; dicique jure optimo clariſſimum, atque illuſtriſſimum Virum militarem, ſeù Militem. Siquidèm notæ illæ, V. C. poſitæ in titulo Inſcriptionis, ſignificant *Viro Clariſſimo*, ut advertit Tiraquell. *loc. cit. num.* 16. & eamdem eſſe dignitatem Illuſtriſſimorum, & Clariſſimorum, tradunt nonnulli Scribentium in *l.* 1. *ff. de offic. ejus, cui mand. eſt juriſd.*

3 Ex traditis conſtat, etiam in jure, nomen Militis etiam Ducibus, ac Imperatoribus Militiæ, vel exercitus benè concongruere, quod notat Card. de Luca, *tom.* 14. *de matrim. diſc.*4. *num.*20. contra Tondutum, *tom.*2. *quæſt. reſolut. p.*3. *cap.*154. *num.*7. ibi aſſerentem, quòd is, qui exercitui præeſt,

non

non Miles, ſed Magiſter Militum nuncupatur per *l.* 1. *Cod.de exhibend.reis*; ſcilicèt, quòd attributum Militis non debet Duci convenire, ſivè quòd attributum nobilis non convenit ei, qui Principis, vel Magnatis primi ordinis dignitatem habet: quam Tonduti conſiderationem eſſe intèr fabulas reponendam, ſubdit idem Card. de Luca, *loc. cit.* & quidem rectè, aliàs militaria privilegia Ducibus & Imperatoribus Militiæ vel Exercitus convenire non deberent, quod ſanè magnum abſurdum eſſet, ut conſideranti patet.

4 Hanc Card. de Luca doctrinam, & cætera ſupra expoſita, dignentur ſedulò adnotare Ordinarii locorum, Parochi, nec non Vicarii Exercituum, ceù admodùm congruentia, imò neceſſaria pro variis dubiis militaribus reſolvendis, & maximè exortis circa matrimonia Militum, qui Exercitui præficiuntur, ſivè iis, qui excellentes in arte militari, Clariſſimi, Nobiliſſimi, Glorioſiſſimi, & Illuſtriſſimi, atque Excellentiſſimi nomine decorantur.

Difficultati II. ejuſdem Lib.II. Tom. I.

SUb *num.*23. diximus, à Militia, ſeù ab Exercitu fore expellendos Apoſtatas, ſivè illos Regulares, qui habitu Religionis, quam profeſſi fuerant, abjecto, Sacramento militari ſe adſtrinxerunt.

1 Addimus nunc, ad hujuſmodi expulſionem obſtringi Exercituum Duces, tùm ex charitate, tùm ex munere. Quidquid dicat noſter P. D. Franciſcus Ceſpedes in ſuis Dubiis Militaribus, *Dub.* 52. ubi mordicùs contrarium ſuſtinet. Huic noſtro additamento favet Criſpoltus, infra citandus, ſed potiſſimùm ratio. Dicimus itàque ex charitate teneri Exercituum Duces, Apoſtatas ab exercitu expellere; ſiquidèm D. Th.2.2. *q.* 25. *art.* 6. *in corp.* ad quæſtionem, quam ipſe proponit. Nùm Peccatores ſint ex charitate diligendi, reſpondet, affirmativè, non quâ peccatores; cùm ſecundùm peccatum, quo Deus offenditur, ſint odio habendi quicunque Peccatores, etiam Pater, & Mater, & Propinqui, ut habetur Luc. *cap.* 14. *verſ.*25. ſed quâ capaces, ut homines, æternæ Beatitudinis, ſupèr cujus communicatione, ut ait Doctor Angelicus, *loc. cit.* charitas fundatur. Debemus igitùr in peccatoribus odiſſe, quòd peccatores ſunt, & diligere, quòd homines, Beatitudinis capaces, & hoc eſt

eos

eos verè ex charitate diligere proptèr Deum. Regulares igitùr Apoſtatæ, eſtò ut peccatores, ut eorum Religioni infideles, ut excommunicatione irretiti, ſint odio habendi, nihilominùs, ut cæleſtis Beatitudinis capaces, ſunt proptèr Deum diligendi, & ſucceſſivè removendi ab evidenti periculo æternæ damnationis; quo modo? expulſione ab exercitu: nàm expulſi deſinunt ſe immiſcere ſæcularibus negotiis, eorũ ſtatui, & legibus omninò repugnantibus, ut probat *tot. tit. Ne Cleric. vel Monach. ſæcular. negot. ſe immiſc.* & admonet Nicæna Synodus in *Capit. Placuit.* il primo, S. Hieronym. ad Riparium, & Deſiderium, relatus in *Capit. Monachus*, & ad Paulinum in *Capit. Si cupis*, Eugenius Papa in *Capit. Placuit*, il ſecondo; Calixtus Papa in *Capit. Interdicimus*; Alexander II. in *Capit. Juxtà*, *cauſa 16. q. 1.* & ſucceſſivè omiſſis negotiis bellicis ſibi proficuis, neceſſitate coacti, quem improbè, & impudentèr dimiſerunt, faciliùs reaſſument Habitum, & viam perditionis relinquent. Eos verò à Militia expellere ad Ducem Exercitus, qui ſupremã habet in eo authoritatem, ſpectare, non eſt ambigendum.

2 Additur, Religionum Prælatos ex officio teneri inquirere, & reducere hujuſmodi Apoſtatas, juxtà mandatum Chriſti, Matth. *cap.* 10. *verſ.* 6. Luc. *cap.* 15. *verſ.* 6. & ità diſponente Conc. Colon. 3. *tit. Cenſuræ*, *cap.* 6. Urbano VIII. *Conſtit.* 28. quæ incipit: *Sacra Congregatio*. Quomodo autèm poſſunt Prelati capere, & reducere in viam ſalutis Milites Apoſtatas, ſuos ſubditos, qui claudicaverunt à ſemitis ſuis, *Pſalm.* 17. *verſ.* 46. quandiù in exercitu detinentur? Ergo Dux Exercitus præcepto charitatis obſtringitur eos de militia expellere, ut queant, aùt ſpontè, aùt coactè ad ſuam Religionem redire.

3 Aſtruximus, Ducem etiã teneri ex munere Milites regulares Apoſtatas expellere. Oſtenſum eſt in *Theol. Bell. to.* 1 *toto lib.* 2. *Diffic. pertin. ad Duces Exercit.* Ducis munus ad plura ſe extendere, præſertìm ad militarem diſciplinam firmandam, & ad illa damna, mala, & delicta impedienda, quæ ſolent regularitèr à Militibus perpetrari, ut ſunt furta, rapinæ, tumultus, ſeditiones, & alia Reipublicæ nociva. Quis neſciat, Regulares Apoſtatas hiſce criminibus, ut plurimùm notari? Hinc eos non poſſe ad beneficia ſæcularia admitti, & admiſſos, eſſe eiiciendos, & à nullo poſſe defendi, vult Concil. Ravenat. II. ſub Clemente V. *capit.* 22. & eſſe variis pœnis puniendos, ſtatuit Paulus IV. *Conſtit.*

*ſtit.*14. *Poſtquam*, ubi ſubdit, eos non poſſe præſentari ad beneficia, & nullam eſſe præſentationem ſi fiat, debere propterea geſtare biretum lineis albis, & nigris intextum; eorumque Receptatores eſſe puniendos: eoſque inſupèr, ſivè habitum deferant, ſivè non, poſſe non ſolùm à ſuis Superioribus, ſed etiam ab Ordinariis locorum capi, & puniri, juxtà regularia Inſtituta, mandat idem Urbanus VIII. *Conſtit.* ſuperiùs alleg. Ergo Duces Exercituum tenentur vi muneris, tanquàm Militiæ, ſivè Diſciplinæ militari nocivos, eos expellere.

4 Noſtrâ aſſerti probatio, videlicèt, Regulares Apoſtatas eſſe Reipublicæ, præſertim Militari nocivos, firmatur exemplo cujuſdam Hæredìæ, aliis pluribus, brevitatis gratiâ, prætermiſſis, qui, relictis Clauſtris, quibus ſe votis ſolemnibus conſecraverat, atque Sacris Concionibus, in quibus admodùm verſatus erat, habitu ſæculari indutus, Turmas aliquot Hiſpanorum Militum apud Siculos degentes, ad ſeditionem commovit, ab illiſque Dux electus, plura patravit facinora. Eum tandèm fuiſſe à Ferdinando Ganzaga, Siciliæ Prorege captum, & uti Reipublicæ valdè nocivum, unâ cum pluribus Seditionis Conſociis miſerrimè ſuſpenſum, Author eſt Jovius, *lib.* 37. *Hiſtor.* ſui temporis, quem refert Tullius Criſpoltus, *in ſuis caſib. Militar. caſ.*2. *ſub num.* 20.

5 Non tamen negamus, poſſe quandoque Regulares Apoſtatas, ſi Sacerdotes ſunt, in exercitu tolerari, ut puta, ſi, deficientibus Parochis, omnibuſque aliis Secerdotibus, ſeù Confeſſariis, opera eorum foret expediens, & neceſſaria ad res ſpirituales, Militibus, præſertìm infirmis, & moribundis adminiſtrandas; quo in caſu crederem, voluiſſe Ceſpedem intelligere, aſſerendo, Duces exercituum nequaquàm teneri ex officio, aìt ex charitate Regulares Apoſtatas à militia delere.

Diſ-

Difficultati X. ejuſdem Lib.II. diffic. pertin. ad Duces Exercituum, Tom.I. Additio.

SUb *num.* 26. dicitur, non fieri irregularem eum, qui mutilat, vel occidit in defenſionem inculpatam honoris, vitæ, caſtitatis, &c.

1 Nunc excipimus caſum defenſionis neceſſariæ, quando neceſſitas ortum haberet à culpa; ut puta, ſi quis ab aliquo injuriâ affectus eum invaderet animo non quidem occidendi, aùt mutilandi, ſed tantummodò verbis injuriam acceptam reſarciendi; & videns eum à longè pluribus Viris armatis adſociatum, evaginato gladio, in ſe irruentem, eum, ut ſe defenderet, tormento manuario interficeret. Hujuſmodi Occiſorem pœnam irregularitatis minimè evitare, arbitramur cum Navar. in *Manual. cap.* 15. *num.* 7. *&* *cap.* 27. *num.* 238. *&* *conſil.* 32. *de homicid.* S. Anton. *p.* 3. *tit.* 4. §. 1. Aſten. *lib.* 2. *ſum. tit.* 35. *art.* 2. Roſella, *v. Humicidium* 4. *num.* 2. Summa Corona, *p.* 3. *tit. de irregular. n.* 13. Zerola *in Praxi Epiſcopali*, *v. Irregularitas*, *dub.* 6. & aliis.

2 Moveor juribus, præſertim, *capit. fin. de homicid. in* 6. ubi expreſsè dicitur, irregularem eum effici, qui mandat aliquem verberari, quamvis expreſsè prohibeat occiſionem, vel mutilationem, ſi Mandatarius fines mādati excedens, mutilet, vel occidat; hac præcipuâ ratione, quia mandando, in culpa fuit; & hoc poſſe evenire, cogitare debebat; quod quippè ſufficit, ut homicidium ſit volitum in cauſa, ac proindè inducens irregularitatem. In caſu autem expoſito, ſeù excepto, Injuriatus obviam eundo Injurianti, vindictam, ſivè compenſationem acceptæ injuriæ ab eo ſumpturus, non ne fuit in culpa? Eum viris pluribus armatis adſociatum conſpiciens; eſtò non habuerit animum occidendi, aùt mutilandi, non ne ſe periculo expoſuit occiſionis, aùt mutilationis culpabilis in contingentia prævenientionis Aggreſſi, quam poterat certò animadvertere? Ergo neceſſitas ſe defendendi ortum habuit à culpa. Ergo homicidium culpatur in defenſione; Ergo hujuſmodi neceſſaria defenſio eum ab irregularitate nequaqam excuſat. Hæ ſanè deductiones ex Textu allegato enucleantur.

3 Procedamus ad rationes, quibus veritas à jure enucleata clariùs explicatur, ac ſolidiùs firmatur. Certum eſt, quòd injuriâ affectus invadens, ſeù ſal-

ſaltèm jens ad invadendum, incipit ipſe invaſionem: & qui injuriâ eum affecit, videns ſe invaſum, ſeù videns eum venientem ad ſe invadendum, incipit deſenſionem, & cupiens prævenire internecione, continuat deſenſionem; & ſucceſſivè etiam alter proſequitur invaſionem, quam incœperat, aùt paratus erat incipere; & mortem inſerendo, cenſetur unum actum moralem continuare; atque voluntatem, quam ab initio habebat injurianti injuriam inferendi cum propoſito non occidendi, nec percutiendi, perficere, ſeù executioni demandare, atq; adeò culpabilitèr occidendo, irregularitatem incurrit.

4 Præterea: ut poſsit invaſor licitè occidi ad irregularitatem, aliaſque jurium pœnas vitandas, duo collectivè requiruntur; & quòd evidentèr damnum grave inferat, aùt conetur inferre; & quòd evidentèr non poſsit moralitèr aliâ viâ damnum illud impediri, aliàs, ut notant communitèr Scribentes, innumeris occiſionibus, aliiſque inconvenientibus janua aperiretur, cum magna, & jugi Reipublicæ perturbatione. Prætérquàmquod, hiſce duabus circumſtantiis deficientibus, non ſolùm non haberetur deſenſio occiſiva moderata, & omnibus juribus permiſſa, ſed ſimplicitèr non intelligeretur deſenſio licita, ſed ultio punieda. Hinc, ut alibi notavimus, rectè fuit ab Innocentio XI. s. m. ſequens propoſitio, quæ eſt 30. in ordine, proſcripta- *Fas eſt viro bonorato occidere Invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi alitèr hæc ignominia vitari nequit*: & ſequens Alexandri VII. ſel. recordat. quæ eſt 18. -- *Licet interficere falſum Accuſatorem, falſos Teſtes, ac etiam Judicem, à quo iniqua certò imminet ſententia, ſi aliâ viâ non poteſt Innocens damnum evitare*. In noſtro autèm caſu duo præſata abeſſe requiſita, quæ licitam deſenſionem conſtituunt, non obſcurè dignoſcitur. Circa primum; non videtur evidens, damnum grave fore inſerendum; cum Invaſus potuerit gladium evaginare, obviamque ire Invaſori animo non occidendi, ſed tantummodò timorem iniiciendi, eumque ad fugam cogendi. At, quidquid ſit de primo requiſito, certum eſt, hîc non abeſſe ſecundum, nempè aliam viam, damnum illud impediendi, quæ, meo videri, eſſet fuga.

5 Non me latet, intèr Theologos, nec non Canoniſtas gravitèr controverti, nùm quis in contingentia invaſionis, ſi poteſt ſugere, & non fugit, ſed reſiſtit, ſeque defendit, & occi-

Eee dit,

dit, aùt mutulat, incurrat irregularitatem; & partem tùm affirmativam, tùm negativam ſuos habere Sectatores validis fundamentis innixos. Me paritèr non latet, à Viris doctiorbus controverſiam diſtinctione reſolvi, dicentibus, nempè Invasū peccare, & fieri irregularem, ſi poteſt ſine dedecore, & infamiâ fugere, ut eſſet Clericus, vel Religioſus, vel perſona vilis, & hujuſmodi, ſi non fugit, ſed ad ſui defenſionem reſiſtit, mutilat, vel occidit: quo in caſu defenſionem, ſubdunt ipſi, non dici inculpatam; ſecùs verò, ſeù Invaſum non peccare, nec irregularitatem incurrere, Aggreſſorem occidendo, vel mutilando, ſi ſit perſona, cui dedecus, & infamia eſt fugere, ut eſſet Nobilis, aùt Miles, & ſimiles. An autèm quando fuga non eſt ignominioſa, ſi Invaſus nolit fugere, ſed ſe tueri, peccet contra juſtitiam, vel contra charitatem occidendo Invaſorem, vide Jul. Clar. *de homicid. nu.*32. Leſſ.*cap.*9. *nu.*86. Filliuc. *to.*2. *in Decal. cap.*3. *qu.*4. *n.*41.

6 Huic poſteriori opinioni, quæ nobis tutior & probabilior apparet, adhærentes, ſubdimus in caſu noſtro, primum aggreſſorem teneri fugere, quando videt, quòd Aggreſſus excedentes habet vires, exceditque terminos juſtæ defenſionis, & quòd ab ipſo ponitur in neceſſitate aùt occidendi, aùt mutilandi, aùt gravem corporis læſionem inferendi. Ità ſentit in terminis Suarez, *diſp.* 46. *de cenſur. ſect.* 1. *num.* 12. ubi notat, illam infamiam, quâ Aggreſſor poteſt notari fugiendo, non eſſe veram, ſed mundanam; cui propterea vitam proximi eſſe præferendam arbitramur cum Navar. *cap.*27. *num.*211. Covar. in *Clement. unic. de homicid.* 3. *part.* §. 1. & alii ſuprà allegatis; nàm quantumcunque Aggreſſor ſit per fugam amiſſurus honorem, non poteſt jure alteri reſiſtere, quia illi priùs actu injuriam intulit aggrediendo; & ideò jure ab alio repellitur. Ergo Aggreſſor, videns Offenſorem ſimul cum Sociis armatis, diſcedere obſtringitur, & non obviam ei ire, atque reſiſtere: Ergo debet fugere ad vitandam & novam culpam, quæ eſt illicita reſiſtentia, ſivè occiſio, & irregularitatem, quæ per illicitam, ſeù culpabilem occiſionem incurritur.

7 Dicet fortaſsè quiſpiam, diſpoſitione jurium, quæ indiſtinctè loquuntur, unicuique in quovis caſu licitam eſſe defenſionem; ad Tex. *l. ut vim*, *ff. de juſt. & jur. l. Scientiam*, §. *Qui cum alter*, *ff. ad leg. Aquil capit. Significaſti*, *de homicid. & cap. Perpendimus*, *de ſent.* ex-

excomm. cap. Non inferenda, cauſa 23. *quæſt.* 3. & hoc eſſe de jure naturali, habetur in *cap. jus naturale, diſt.* 7. & tradit Bald. in *l. Quicunque, Cod. de ſerv. fugit.* & Bar. *in d. l. ut vim, & in l.* 1. *ff. de teſt. milit. & in l. cum mulier, ff. ſolut. matrim.* Et uſque adeò defenſionem unicuique à Natura concedi quiſque fatetur, ut etiam Brutis animalibus competat. Hinc ait Philoſ. omne ens appetit vivere, & propriam ſalutem tueri. Idemque legitur apud Tullium, *lib.* 1. *de off.* in initio, ubi inquit -- Principio generi animantium hoc tributum eſt, ut ſe naturamque ſuam tueatur: Cui conſonat, quod dixit Boetius in 3. *de conſolatione*, nempe -- Omne animal tueri ſalutem deſiderat, mortemque evitare. Hinc non defuiſſe, qui opinati ſunt, defenſionem in Paradiſo originem habuiſſe, ſcribit Card. Alban. in *Lucubrat. in Bart. tom.* 1. *de juſt. & jur. in l. ut vim, num.* 1. hoc tit. ubi concludit, defenſionem nullatenùs poſſe impediri. Ex qua doctrina deducitur, Aggreſſorem non teneri fugere, ad vitandam irregularitatem, quamvis prior injuriam intulerit.

8 Ad præfata reſponſum eſt facilè, inſpectâ juris naturalis, & poſitivi regulâ, *l. ut vim, ff. de juſt. & jure*; ſcilicèt, quòd vim vi repellere, ſeù injuriam inferendam propulſare, licet; aùt quod quiſque ob tutelam corporis ſui, ut loquitur Textus, fecerit, jure feciſſe exiſtimatur, cum moderamine tamèn inculpatæ tutelæ, & incontinenti. Moderamen inculpatæ tutelæ eſſe illud, quod æquivalet illatæ violentiæ in qualitate armorum, in concurſu temporis, & in ipſo actu violento, ne aliàs excedendo, cenſeatur vindicta, & conſequentèr peccatum, communis eſt Doctorum ſenſus, ut notat S. Anton. in *Summ. par.* 3. *tit.* 4. *cap.* 3. *de bello particulari*, & docet Gloſſ. in *l.* 1. *v. Moderamine, Cod. unde vi*, Alciat. *præſumpt.* 39. *num.* 1. *& ſeqq.* Ex qua doctrina colligitur, jura allegata tantummodò locum habere, ſeù defenſionem occiſivam licitam reddere quando alitèr periculum mortis vitari non poteſt, niſi reſiſtendo, occidendo, mutilando, aùt aliud grave damnum inferendo, & ità ſenſiſse Doctores productos: oſtenſum eſt autèm, mortem ſivè periculum mortis poſse vitari, fugiendo. Ex eadem doctrina conſtat, moderamen inculpatæ tutelæ excludere culpam: Probavimus autèm, actionem aggreſſivam in caſu expoſito fuiſse culpabilem. Animadvertendum tamen eſt, ut defenſio inculpata dicatur, & fa-

cta cum moderamine defenſionis, reddatque occiſionem impunibilem, plura requiri, quæ ſuperiùs tetigimus, quæque doctè explicata videri poſsunt apud D.Urſaya *Inſtit. crim.lib. 2. tit. 1. ibi num.* 368. aſserentem, his deficientibus, occiſionem dici commiſſam ſine moderamine, & per defenſionem culpabilem.

9 Concluditur igitùr, quòd injuriâ affectus irregularitatem incurrit, ſi injuriantem occidat, vel mutilet, quem invaſit animo non occidendi, aùt mutilandi, ſed tantùm injuriam acceptam verbis reſarciendi, videns eum gladio evaginato in ſe irruentem.

10 Opinionem contrariam, quam reprobare nequaquam audemus, tenent graviſſimi Authores, Sylv. *v.Homicidium 3. qu. 4.* Armilla *v. Irregularitas, num.* 42. Sotus, *lib.* 5. *de juſt. & jur.quæſt.1. art.9.verſ. In tertio autem*, Henriquez, *lib.* 14. *ſum. cap.* 3. *num.* 4. & *cap.* 10. *num.* 4. & alii plures, quos congerit & ſequitur Paſqualig. in *qq. moral. jurid. quæſt.* 19. *num.* 3. ubi autumat hanc opinionem eſſe tenendam.

11 Ex traditis deducitur, utentem uxore alienâ, à legitimo marito invaſum, non poſſe licitè ei reſiſtere, ſed teneri fugere, ſi fugiendo poteſt ſine periculo proprio, & ſine occiſione Invaſoris mortem evitare, præſertim quia in ſimili facti contingentia nulla ex fuga oritur rationabilis infamia, cum Maritus, inquit Suarez, *loc.cit.* habeat humanam excuſationem ob dolorem acceptæ injuriæ; & omiſsâ in ſuo facinore debitâ circumſpectione, ex duplici titolo peccare mortalitèr, nempè adulterio, & morali & proxima excitatione Mariti ad rixam; undè ab eo irregularitatem incurri, putat Suarez, *ibidem*, ſi poſtea contingeret ſe moderatè defendere, cum illa actio fuerit ab initio infecta malitiâ homicidii ſaltèm indirectè.

12 Deducitur etiam, nemini licere occidere Accuſatorem, falſos teſtes, aùt teſtem paratum crimina occulta revelare, ut nonnulli opinati ſunt; cum hujuſmodi occiſiva Accuſatoris & Teſtium defenſio ſit extra terminos moderaminis inculpare tutelæ, poſſitque damnum, quod timetur, facilè aliâ viâ impediri, ſcilicèt alios teſtes adhibendo, ad Principem recurrendo, ad ſupremum Tribunal appellando, clamando. Hinc rectè, ut ſuperiùs innuimus, fuit ab Alexandro VII. fel. record. proſcripta propoſitio 18. quæ habet -- *Licèt interficere Accuſatorem, falſos teſtes, & etiam Iudicem, à quo iniqua certò imminet ſententia &c.*

13 De-

13 Deducitur quoque, non licere rem alienam injuſtè poſſidenti vim ſibi illatam propulſare pro ea, ſeù vi reſiſtere legitimo illius domino, qui ſtatim venit ad illam recuperandam juxta Textum in *l.* 1. *Cod. Unde vi*: neve licere rerum Domino, non ſolum eas, quas actualitèr poſſidet, defenſione occiſivâ defendere, ſed etiam eas, ad quas jus habet incoatum, cum poſſit alitèr, nempè per viam juris, ſcilicèt per Judices, facili negotio, quæ ſua ſunt, vel ad quæ jus habet, recuperare, ſi verò alitèr contingat, eſt per accidens: Non enim præſumitur, à jure naturali, vel poſitivo proptèr bonum alicujus privati in aliquo raro caſu permitti defenſionem immoderatam, quæ plurimorum inconvenientium eſſet origo, ut benè advertit oculatiſſimus Viva in ſua *Theolog. Tract. par.* 1. *ſuper prop.* 17. *&* 18. Alex. VII. *num.* 7. Et ideò Innocentius XI. ſan. mem. rectè illam damnavit propoſitionem, quæ eſt 32. in ordine, quæque habet -- *Non ſolum licitum eſt defendere defenſione occiſiva, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus*: necnon 33. quæ habet -- *Licitum eſt tàm hæredi, quàm legatario contra injuſtè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe alitèr defendere, ſicut & jus habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum poſſeſſionem injuſtè impedientem*. Diximus injuſtè res poſſidenti nō licere vim vi repellere, ſcientes, juſtè res poſſidenti, id licere incontinenti tamen, & cum moderamine inculpatæ tutelæ, & non ſolùm pro rebus ſuis, ut docet S. Antoninus, infrà producendus, ſed etiam pro rebus ſibi depoſitis, & commodatis; & etiam pro rebus Amicorum, Propinquorum ſuorum, eos ſcilicèt adjuvando, ad Tex. in *Cap. Conſentire, diſt.* 83. *Cap. Qui conſentit, cauſ.* 11. *quæſt.* 3. Secùs verò, nempè, ei minimè licere vim repellere ex intervallo, poſtquam divertit, ut loquitur S. Doctor Florentinus, ad actus contrarios; quod probat Tex. in *l. Idem* 3. §. *Si quis, ff. de vi, & vi arm.* Animadvertendum tamen eſt, dictam regulam moderaminis inculpatæ tutelæ, nempè licere cuique rem, quam juſtè poſſidet, defenſione occiſivâ tueri, non comprehendere regularitèr poſſeſſionem rei exigui valoris; quia vita hominis eſt ſummum naturæ bonum, ut dicunt Philoſophi, cui jus naturæ, aùt jus gentium nequaquàm tolerat exiguum fortunæ bonum præponi: & ideò hiſce juribus repugnat vitam proximi profundere ad le-

ve

ve. malum proprium avertendum; propterea Innocentius XI. ſan. me. proſcripſit propoſitionem, quæ eſt 31. quæ habet -- *Regularitèr occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei*. Hic animadvertere duco, dictionem *regularitèr* denotare, mentem Summi Pontificis in proſcriptione hujus propoſitionis, non fuiſſe declarare tanquàm illicitam rei exiguę occiſivam tuitionem, quando amiſſio hujuſmodi rei in ingens damnum proximi illam poſſidentis redundaret; ut puta, ſi quiſpiam in gravi neceſſitate conſtituto, unum aùt duos julios, qui ei ſunt neceſſarii ad ſe, ſuamque familiam nutriendam, adimeret; aùt artifici inſtrumentum ſuæ artis auferret, quo amiſſo, nequiret ſuam, aùt ſuorum vitam ſuſtinere. Hujuſmodi amiſſioni ſavere regulam moderaminis inculpatæ tutelæ incontinenti, & conſequentèr, eam poſſe licitè defenſione occiſivâ reparari, non dubitamus, eâdem freti ratione, quâ Scribentes probant, res magni valoris poſſe defenſione occiſiva incolumes cõſervari, nempè quia, illis deficientibus, vita non poteſt juxtà proprium ſtatum ſuſtineri, & quemadmodùm unicuique fas eſt jure naturæ vitam tueri, ità etiam bona externa, quibus vitæ ſuſtentatio, ſtatus, honoriſque conſervatio habetur: quam ſane rationem adamuſſim militare in caſu, de quo loquimur, Conſideranti patet.

14 Deducitur ultimò, Clericum, ſi alium occidat, cum poteſt fugere, ſemper, & ſinè diſtinctione incurrere irregularitatem: Ita Gloſſ. in *Clement. Si furioſus*, & *in Capit. Suſcepimus*, *de homicid.* & omnes Doctores unanimitèr; & ratio ſuadet, quia Clerico, qui non tenetur eſſe paratus ad pugnam, quæ ſuum dedecet ſtatum, fuga minimè cenſetur ignominioſa. Idem cẽſuit Sotus *lib.5.de juſt. et jur. q.2.art.*8.de viro infimæ ſortis, qui nullam honoris jacturam faceret fugiendo, præſertim ſi eſſet ignotus, aùt noctu fugeret: Quæ cuncta Viris eruditis & prudentibus magis perpendenda relinquo.

15 Nùm cuilibet liceat non ſolùm ſe ipſum, ſed etiam Conjunctos, & Extraneos contra quoſcunque injuſtè invadentes defendere, & nùm in hujuſmodi defenſione, ſi contingat occidere, vel mutilare, evitet, vel non evitet irregularitatem, aliaſque pœnas Canonicas, vel civiles, conſule S. Antonin. in *Sum. p. 3. tit. 4. de bello particulari, cap.3.§.1.pag. mihi* 70. & *ſeqq.* ubi hanc materiam ſuccinctè diſcutit, perdoctè reſolvit. Nos enim ex hoc, quòd defenſio propriæ vitæ permiſſa

ſa ſit de jure Divino, Naturæ, Gentium, Canonico, & Civili, hic deducimus, etiam in foro conſcientiæ, & ſine incurſu in irregularitatem, in quovis loco, etiam Sacro, unicuique generi perſonarum, tàm ſcilicèt Laicis, quàm Clericis, contrà cujuſcunque gradus, & dignitatis perſonas etiam Religioſas licere ſe defendere; quod paritèr docet Barboſ. *de poteſt. Epiſc. p.*3. *alleg.* 51. *num.* 4. In quibus circumſtantiis ſi contingat aliquem occidi, Occiſorem nec peccare, nec teneri ad damna compenſanda, minùſve fieri irregularem, tradit Pignatell. *conſult.* 80. *tom.* 7. ubi teſtatur, ità fuiſſe deciſum à Sac. Congregatione in *Januen.* 23. *Maii*, 1589. Ulteriùs in præfatis circumſtantiis eum peccare mortalitèr, qui Aggreſſorem non occidit, ſed permittit ſe interfici, cenſent Sot. *de juſt. & jur. lib.* 5. *quæſt.* 1. *art.* 8. Joan. Burnſfeld. *de injur. & famoſ. libell. concluſ.* 6. Georg. Freivald. *de neceſſar. defenſ. poſition.* 4. apud Baſilenſ. *tom.* 2. *par.* 2. *litteris* DD. & alii, putantes quemque teneri ſub mortali peccato ſe defendere, & defenſionem ſui omittentem non minùs peccare, quàm qui ſibi violentas manus infert. Huic opinioni, minimè adhæremus, tantummodò relatæ in gratiam Eruditorum.

Difficultati III. expoſitæ in Mantiſſa ad Lib. IV. diffic. pertin. ad Milites privatos, Tom. II. Additio.

SUb *num.* 17. dicimus, quòd Miles, qui eſt doctor, præfertur Militi tantùm, aùt Doctori.

1 Addimus nunc, magnam eſſe controverſiam intèr Scribentes, ſeù legum Interpretes, nùm privilegia Militi teſtanti conceſſa, conveniant etiam Doctoribus? Affirmativè reſpondent Joannes Hebriſterus in *Oratione de privileg. Doctorum, pag.* 40. Zeſius *in l. Milites, ff. de re judic.* Graſſus *Tract. de ſucceſſ.* §. *Teſtamentum, qu.* 4. & noviſſimè Walterius in *Tract. juridico-politico, de privileg. Doctorum, cap.* 16. *qu.* 681. §. 111. aſſerentes, Advocatos actu legentes, vel patrocinantes in conficiendis teſtamentis, gaudere illis privilegiis, quæ Militibus conceduntur, non reſpectu ſimplicitatis, & ignorantiæ juris; cum ratio ignorantiæ legum non militet in Doctore, quem dedecet leges neſcire, ſeù, cui turpe eſt jura ignorare, in quibus verſatur, *l.* 2. *ff. de orig. jur.* & docet ſubtiliſſimus Bo-

lo-

lognetus in *l.Centurio, num.*23. *ff. de vulg. & pupill.* ſed proptèr dignitatem militiæ, vel utilitatem Reipublicæ, quam militando navant, & ut alii loquuntur, ratione prærogativæ, & meritorum; Nàm Doctores in dignitate, & quidem majore, quàm Milites, ut diximus *loc. cit.* & alibi, ſunt conſtituti, dicunturque militando utilem Reipublicæ navare operam ex *l. Advocati, Cod. de advocat. diverſ.judic.* & quemadmodùm Milites corpore ſuo, armiſque defendunt Rempublicam; ità & ipſi Doctores ſcientiâ, & labore Clientulos defendunt, atque Rempublicam: Ex quo patet, publicam utilitatem æqualitèr haberi à Doctoribus, ut & à Militibus ex d. *l. Advocati*; & ſucceſſivè haud eſſe negandum Doctoribus privilegium teſtandi abſque ſolemnitatibus, & apicibus juris, quod Militibus indulgetur. Quiquid ſentiat, & dicat Coraſius in *l. Precibus, Cod. impub. & aliis ſubſtitut.*

Difficultati VII. Lib.IV. Diffic.pertinen.ad Milites privatos. Additio.

1 PLuriès nobis contigit in utroque Tomo Theologiæ Bellicæ, ità materia exigente, ſermonem habere de Militibus ſubditis, & non ſubditis Principis Bellum indicentis, & ſignantèr in dicta *Diffic.*7. quæ eſt: *An Milites extranei, ſeù non ſubditi Principis bellum indicentis, ſi dubitant de juſtitia belli, poſſint licitè in eo bellare*; & partem affirmativam tanquàm probabiliorem, atque Principibus favorabiliorem, necnon publico Bono utiliorem ſuſtinuimus, fatentes, contrariam ſententiam à graviſſimis Doctoribus defendi, atqueadeò ei non infimum probabilitatis gradum congruere.

Nunc operæ pretium ducimus, ut noſtra reſolutio clariùs eluceſcat, hic & alibi, ubi de Militibus ſubditis, & non ſubditis egimus, diſcrimen, ceù neceſſarium, quod fuit ex inadvertentia omiſſum, intèr Milites ſubditos, & non ſubditos Principis bellum gerentis, huc adferre.

2 Subditum propriè dici ratione domicilii, tradit Gloſſ. *in Clement. unica, v. ſubditos, de for. compet.* Videatur Panorm. *in Capit.* 3. *de appellat.* & in Gloſſ. *in Capit. Nupèr, de ſent. excom.* Cernatur paritèr Gloſſ. *in Capit. Statutum, §. Cum verò, de reſcript. in* 6. Nobis enim de bello loquentibus, tantummodò cura hic incumbit diſcrimen aſſi-

aſſignandi intèr Milites ſubditos, & non ſubditos Principis bellum indicentis.

3 Diximus itàque ex communi omnium ſententia, ſubditum Militem dici eum, qui non ſolum natus eſt, & habitationem habet, ſeù domicilium in ditione Principis bellantis, ſed etiam qui, quamvis ſit alienigena, nihilominùs tempore pacis fuit militiæ adſcriptus antequam bellum indiceretur, ſtipendia alicujus Principis recipiens, obſtrictus, tàm pacis, quàm belli tempore, illi inſervire: hunc itaque tanquàm ſubditum eſſe judicandum, tradit Cajet. in *Sum.v. Bellum, &* 2.2. *quæſt.*169. *art.*2. circa fin. *verſ. Ad ſecundum dicitur*, Valentia *in* 2. 2. *diſp.*3. *quæſt.* 16. *punct.* 2. *verſ. Si autèm Miles*, Thom. Sanchez, *in ſum. lib.*6. *cap.*3. *nu.*16. Molina, *tract.*2. *diſp.*113. Laym. *lib.*2. *tract.*3. *cap.* 12. *num.* 8. Bannes, 2. 2. *qu.*40. *art.*6. *dub.* 6. Villalobos *in ſum.tom.*1. *tract.* 1. *diff.* 8. *num.*2. Salas, Caſtropal. Merolla, & alii. Cajetanus, *loc. cit.* putat, & docet, Extraneos, qui adepti jam erant incolatum, eſſe tanquàm ſubditos reputandos; & proindè ſi dubitant de juſtitia belli, teneri Principi bellum indicenti obedire, & militare, juxtà monitum S. Aug. relati in *Capit. Quid culpatur, cauſa* 23. *qu.* 1. dummodò tamèn non habeant dubium practicum.

4 Militem non ſubditum, ſeù extraneum illum cenſeri putant Scribentes, qui eſt alienigena, & tempore pacis fuit militiæ adſcriptus ad tempus determinatum: v. g. ad menſem, & annum, ad decennium, &c. quo tempore tranſacto, eſſe in ſuo arbitrio, ſeù in ſua poteſtate recedere à ditione Principis, cui in bello inſervivit, tradunt Cajetan. & Sanch. *loc. cit.* Ex traditis ſufficientèr apparet, quoad rem noſtram, in quo differant Milites ſubditi, & Milites non ſubditi.

5 Hìc non incongruum puto celebrem, quam nonulli movent, quæque, dum ſcriberem, meo defeſſo calamo non occurrit, memorare controverſiam; nùm liceat Indigenis, & ſubditis arma ſumere, & pugnare in bello, de cujus juſtitia dubitant, quando, nullo interveniente præcepto illos pugnare cogente, liberè, & ſpontè, indicto hujuſmodi bello, ſe ſe militiæ adſcripſerunt.

6 Partem negativam ſuſtinet Cordubenſ. *in ſuo Quæſtionar. lib.*1. *qu.* 39. *punct.* 1. *verſ. Si verò iſti Prœliantes*; Adamus Contzen. *lib.*10. *politicor. cap.*5. §.6. in fine, cum aliis: quorum præcipuum fundamentum videtur eſſe, quia, ut liceat Militi ſubdito pugnare, debet eſſe

Fff mo-

moralitèr certus, bellum eſſe juſtum; aùt ſaltèm cogi juſſione Principis ad pugnandum: In expoſito autèm caſu utrumque deeſt, nempè & præceptum Principis cogens bellare, ut ſupponitur, & moralis certitudo de juſtitia belli movens Militem ſubditum ad bellandum; quia cum Principis declaratio ſit regula humana, eſt fallibilis; atqueadeò exorto rumore, bellum eſſe injuſtum; & nulla juſſione Principis exiſtente, quâ Miles ſubditus cogatur pugnare, non poteſt regula illa ſubditum conſtituere moralitèr certum, bellum eſſe juſtum. Ergò non poteſt Miles liberè ſe periculo injuſtæ occiſionis committere.

7 Partem affirmativam defendunt, prætèr Cajetanum, Sanch. *loc.cit.* Caſtropalaus, *tom.* 1. *tract.* 1. *diſp.* 3. *punct.* 13. *nu.* 3. Merol. *tom.* 1. *diſp.* 3. *num.* 331. & alii, hac præcipuè ratione moti; quia cum rarò Princeps compellat ſubditos ad bellandum, ſequeretur, quòd Reſpublica grave damnum ſæpè incurreret, ſi ejus Cives non poſſent, niſi coacti præcepto, bellare. Certum eſt enim, rariſſimè belli cauſam adeò certam, ac evidentem eſſe, ut nullum penitùs oriatur dubium circà ejus juſtitiam. Cum igitùr Cives non teneantur tanto periculo propriam exponere patriam, concluditur, eis de juſtitia belli dubitantibus, & nullo præcepto coactis, licere bellare.

8 Utramque ſententiam eſſe probabilem non videtur controvertendum, tanquàm ratione, tùm intrinſecâ, tùm extrinſecâ, ſufficientèr fultam. Nos tamèn mediâ viâ incedentes arbitramur, ſubdito licere in bello dubio militare juſſione Printipis nequaquam coacto, quando dubium eſt purè negativum, ſcilicèt quandò nullæ adſunt rationes militantes, aùt in favorem juſtitiæ, aùt contrà juſtitiam belli; ſecùs verò, quando dubium eſt poſitivum, eſtque rumor & fama, bellum eſſe injuſtum. Hæc noſtra media via, quoad primam partem ſuadetur animadverſione. 1. Principem eſſe legitimam Regulam actionum ſuorum ſubditorum, non ſolùm quando præcipit, ſed etiam quando dirigit, oſtendendo quid publico Bono ſit expediens, & quomodo debeat bono privato commune Bonum præferri: 2. Subditum dici moralitèr certum hoc ipſo, quòd nihil occurrit adversùs ſui Principis directionem. Quoad verò ſecundam partem firmatur *Capit. Quid culpatur*, *cauſa* 23. *q.* 1. ubi S. Auguſt. *cap.* 74. *lib.* 22. *contra Fauſtum Manichæum*, dicit -- Vir juſtus ſi fortè etiam
„ ſub Rege homine ſacrilego
„ mi-

„ militet ; rectè poteſt, illo jubente, bellare, ſi quod ſibi jubetur, vel non eſſe contrà Dei præceptum, certum eſt; vel utrum ſit, certum non eſt : itaùt fortaſſe reum faciat regem iniquitas imperandi, innocentem autèm Militem oſtendat ordo ſerviendi : Ubi notandum eſt, Militem à S. Doctore excuſari, quia militàt jubente Rege, & ratione regiæ juſsionis militando, innocens, non reus apparet. Ergo, ſemotâ Regis juſſione, nefas ei eſſet militare. Huic rationi extrinſecæ adnectitur ratio intrinſeca, quæ eſt: Ideò exiſtente Principis præcepto ſubditus pugnando in bello dubio licitè agit, quia, concurrente ex unâ parte certâ obligatione parendi ; ex aliâ parte dubiâ obligatione non pugnandi in bello fortè injuſto, prævalet certa obligatio parendi: At Principe non præcipiente, tunc dubia obligatio non pugnandi in bello fortè injuſto prævalet ſubditi libertati ad pugnandum, vel non pugnandum; cùm nemo debeat liberè, & nullo modo coactus, in periculo occiſionis injuſtæ ſe conſtituere.

Difficultati XIV. ejuſdem Lib. IV. Diffic. pertin. ad Milites privatos, appoſitæ in Mantiſſa, Tom. II. Additio.

IN hac difficultate agitur de Milite, qui furatus eſt Sacrum Vas, in quo Sanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum tunc minimè continebatur : & dubitatur quinam Judex poſsit & debeat inſurgere adversùs ſcelus tàm horrendum, Eccleſiaſticus nempè, an Militaris, ſeù Sæcularis, quod primum obtinet gradum intèr ſacrilegia, pœnâ mortis irremiſibilitèr plectendum, Ricc. *dec.* 27. *par.* 2. concluditurque, eſſe mixti Fori, ac proindè ſpectare ad Judicem Eccleſiaſticum, & Sæcularem, ſeù Militarem ; ſecùs verò, ſi Hoſtia, ſivè una, vel plures Particulæ conſecratæ in Pyxide furtim ſublatâ continebantur, eamdemque cum eiſdem fur apud ſe retinuit, vel aliò aſportare præſumpſit; tunc enim diximus, & variis rationibus, nec non Apoſtolicis Conſtitutionibus probavimus, hujuſmodi furtum, tanquam delictum, hæreſim, vel vehementem hæreſis ſuſpicionem continens, ad Judices Eccleſiaſticos, & ad Inquiſitores contrà hæreticam pravitatem privativè ſpectare.

1 Addimus nunc, id fuiſſe die-

bus noſtris â Suprema Inquiſitione ad praxim deductum in quemdam filium perditionis, nempè Paulum Antonium Galles, qui furtis vivere aſſuetus, abdicato Dei timore, juſtitiæ humanæ, ac Divinæ omnimodè oblitus, auſus fuit in Eccleſia S.Mariæ Tranſtyberim, non tantùm Sacrorum Oleorum Vaſcula ſurripere, ſed etiam, quod ingenti perturbatione totam Urbem referſit, manus ſacrilegas ad Sacram Pyxidem, plures conſecratas Particulas continentem, furtim extendere. Quo horrendo facinore, poſt aliquos dies detecto, & ad Supremum Inquiſitionis Tribunal delato; causâ in eodem examinatâ: Hoc decrevit, Reum Brachio ſæculari eſſe relinquendum, juxtà *Conſtit.* ſan. mem. Innocen. XI. confirmatam ab Alex. VIII. fel. record. 22. *Decemb.* 1690. ut notat D. Urſaya: *Inſtitut. Crim. lib.* 3. *tit.* 4. *num.* 89. quod ſub die 27. *Aprilis, anno* 1708. in Area SS. Baſilicæ Vaticanæ ſupèr erecto ad ejuſdem Baſilicæ ſcalas ſpatioſo tabulato, præſentibus, in primo loco, Conſultoribus Sancti Officii; & in ſecundo, Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo Capitulo Sancti Petri; lecto coram innumerabili Populo Proceſſu, unâ cum ſententia; præmiſsâ, juxtà antiquam Eccleſiæ praxim, interceſſione, citrà pœnam ſanguinis, fuit exequutum, & die ſequenti, Reus fuit laqueo ſuſpenſus.

2 Diximus, juxtà antiquam Eccleſiæ praxim, fuiſſe præmiſſam in facto expoſito conſuetam interceſſionem pro Reo citrà pœnam ſanguinis; ſiquidèm Eccleſiam conſuevisse ad favorem Rei Brachio ſæculari relinquendi ſempèr intercedere, probat Textus *in cap. Novimus, de verbor. ſignif.* & innuit S.Aug. *Epiſt.* 158. & notant Baron. *ad annum* 386. *tom.* 4. §. *His de rebus, pag. mihi* 525. *lit. A.* Gonzalez, *cap. Clerici, num.* 7. *Ne Clerici, vel Monach.* Farinac. *de hæreſi, q.* 189. *num.* 10. Bellett. *Diſquiſ. Cler. p.* 1. *de Diſciplin. Clerical.* §. 5. *num.* 104. quos probat Illuſtriſſimus Petra *in Commentar. ad Conſtitut. Apoſt. tom.* 3. *in Conſtitut.* 17. *Alex. IV.* incip. *Ad audientiam, num.* 8. ubi obſevat ex Card. Albit. *de inconſt. in fide, cap.* 21. *num.* 33. præfatam interceſſionem non poſſe à Judice Eccleſiaſtico omitti; eſtò hujuſmodi interceſſio nullum habeat effectum in favorem Rei, quem Judex ſæcularis tenetur, non obſtante tali interceſſione, ad pœnas à jure ſtatutas damnare.

3 Ex traditis non levis oritur difficultas; nùm Judex ſæcularis

laris ab Inquiſitore requiſitus pro ſui Brachii exhibitione, poſſit ab Inquiſitore Acta requirere, eaque examinare, antequàm brachium exhibeat, ſeù ſententiam ab Inquiſitore latam exequatur. Quam ſanè difficultatem nequaquàm ab ea differre, in qua admodùm laborant pro reſolutione Scribentes, arbitramur, videlicèt; an Judex ſæcularis ab Epiſcopo requiſitus ad exhibendum ei brachium, ſit ſimplex facti executor, ſivè potiùs poſſit merita cauſæ cognoſcere antequàm ſententiam exequatur. Scimus, aliquos Doctores hanc difficultatem reſolvere præſumpſiſſe, adhibitâ diſtinctione intèr cauſas merè ſpirituales, aùt Eccleſiaſticas, & cauſas mixti fori; concedentes in primis, ſivè ſint civiles, ſivè criminales, Judicem ſæcularem ab Eccleſiaſtico pro brachio exhibendo requiſitum, eſſe merum exequutorem, & ſucceſſivè ei minimè competere facultatem de juſtitia ſententiæ cognoſcendi; ſecùs verò in ſecundis, quarum cognitionem putant ad Judicem ſæcularem etiam ſpectare. Scimus paritèr ab aliis contempto remedio diſtinctionis, abſolutè reſponderi affirmativè, nempè, Judicem ſæcularem requiſitum ab Eccleſiaſtico Judice pro brachio exhibendo poſſe, antequàm ſuum exhibeat brachium, merita cauſæ revidere, & intèr ãlios, ità docuere in terminis etiam cauſæ hæreſis, Bart. in *l. Divus, num. 3. ff. de Cuſtod. Reor. & in l. Magiſtratibus, ff. de juriſdict. om. Judit.* Decian. *Tract. criminal. lib. 4. cap. 9. num.* 123. Molin. *de brach. ſæcular. lib. 1. cap. 7. num. 2.* cum aliis.

4 Alii verò, quibus adhæreo, quibuſve omnes debent adhærere, contrarium ſentiunt, videlicèt in cauſis ſpiritualibus, & merè Eccleſiaſticis, Judici ſæculari munus tantùm competere ſimplicis exequutoris ſententiæ Judicis Eccleſiaſtici, omnimodâ ei interdictâ præſumptione merita cauſæ revidendi, Alciat. *de offic. Ordinar. cap. 1. num.* 111. Covarr. *lib. 1. var. reſolut. cap. 1. num.* 10. Diana *p. 1. tract. 2. reſol.* 109. & alii, quorum ſenſum nullatenùs poſſe controverti, ſicut & placitum Bartoli, ſuorumque Aſſeclarum eſſe omninò explodendum, probant duæ Pontificiæ Conſtitutiones; altera Bonifac. VIII. relata in *cap. Ut Inquiſitionis, §. Prohibemus, de hæret. in 6.* Altera Leonis X. quæ eſt 43. incipiens, *Honeſtis*, §. 3. & quidem clarior; in quibus duo mandata exprimuntur: Primum, quo Judices ſæculares prohibentur in cauſis merè Eccleſiaſticis nec quidèm

quidèm indirectè ſe intromittere; & quoad injunctas ſibi executiones, & fortè injungendas, poſtquàm requiſiti fuerint, obſtringuntur ſine aliqua proceſſuum per Judices Eccleſiaſticos factorum viſione, vel examinatione ad promptam executionem devenire. Secundum, cujus vigore Judices ſæculares renuentes brachium exhibere, ſeù ſententiam Judicis Eccleſiaſtici exequi, poſſunt per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia juris opportuna remedia, appellatione poſtpoſitâ, ad id agendum compelli. Inſupèr poſſe contra eos procedi tanquam Hæreticorum fautores, dùm renuunt ea, ad quæ ex officio tenentur, agere, tradit Card. Albit. *loc. cit. cap.* 21. *num.* 13. cum aliis, admittentibus quidèm Judici Sæculari rectè prohiberi cognoſcere de juſtitia requiſitoriæ; ſubdentibus tamèn, ei nihilominùs debere conſtare de ſententia, & de relaxatione ejus brachio factâ ab Inquiſitore, ut noſcat, quâ pœnâ debeat Delinquentem punire.

5 Hic alia me pulſat difficultas; nùm Inquiſitores per actum traditionis Rei Iudicio ſæculari ſint extra omne periculum incurrendi irregularitatem. Non me latet, morem Judicum Eccleſiaſticorum, & ſignantèr Inquiſitorum eſſe, dum Reum judicio ſæculari committunt, pro eo intercedere, quod ſuperiùs tetigimus, ne aliàs in effuſione ſanguinis participes eſſe videantur, ut legitur in *Repertor. Inquiſit. verb. Judex, verſ. Nota formam*. Et in fine ſententiæ relaxationis, id ſolent hiſce verbis præſtare-- Deprecantes efficacitèr Curiam ſæcularem prædictam, quòd citrà ſanguinis effuſionem, & mortis periculum, erga te ſententiam ſuam moderetur; ut apud Eymeric. *part.* 3. *de decimo modo terminandi proceſſum*, *lit. E. pagina mihi* 515. Pulſationis motivum eſt animadverſio, dictam interceſſionem nil penitùs apud Iudicem ſæcularem operari; idque à Iudicibus Eccleſiaſticis certò ſciri. Verùm, inſpectâ doctrinâ Felin. *cap. Ad abolendam, nu.* 4. in fin. *de hæret.* Fagnan. *cap. De cætero, num.* 29. *de homicid.* ubi allegat Archidiac. & Specul. aſſerentium, poſitâ præfatâ interceſſione, nullum adeſſe periculum incurrendi irregularitatem, definit me pulſare, ſeù evaneſcit exorta difficultas, præſertìm additâ authoritate Lorcæ in 2.2. D.Th. *quæſt.* 11. *art.* 4. *diſp.* 49. *num.* 9. Arav. *deciſ. moral. tract.* 5. *quæſt.* 5. per totam, noſtri Diana, *p.* 1. *tract.* 2. *reſol.* 135. Thom. Del Bene, Magiſtri mei chariſſimi, & aliorum atteſtantium, Iudi-

ces

ces Eccleſiaſticos, & Inquiſitores ab irregularitate eſse præſervatos per indultum Summorum Pontificum, Pauli IV. & S. Pii V. Quo indulto gaudere Sac. Congregationem Concilii, ejuſque Perſonas, conceſso à Gregorio XV. *die* 27. *Aprilis*, *anno* 1621. ſcribit Illuſtriſſimus Petra ejuſdem S. Congr. Secretarius, *loc. cit. num.*7. ubi hoc decretum per extenſum refert.

6 Hactenùs de additionibus, Iudices Eccleſiaſticos, atque Inquiſitores, horrendum ſcelus, ſeù furtum Sacræ Pyxidis punientes, concernentibus: Nunc aliqua addenda ducimus, quæ Reum ſacrilegum reſpiciunt.

7 Eum, qui furatur Patenas, Calices, & hujuſmodi ſacra non incurrere excommunicationem, cenſuit Pan. in *Cap. Ex literis, de furtis*, quem ſequi videtur, Sylv. in *ſumm. v. Furtum, quæſt.*3. *num.*8. ubi tenet, ipſum eſse excommunicatum, ſi ad furandum fregerit januas Eccleſiæ, vel Armaria, aùt feneſtras, vel alia hujuſmodi, & probat Textus in *Cap. Conqueſtus, de for. compet. & cap. conqueſti, de ſent. excomm.*

8 Furantem Res Sacras, & ſignantèr Pyxidem, ſine tamen Particulis, pacificè, & quietè degentem in Loco furti gaudere immunitate Eccleſiaſticâ, ſed poſse, annuente Sanctiſsimo, condemnari ad pœnam extraordinariam exilii, notat Reverendiſsimus Petrus Andreas Riccius, Abbas Ex-Generalis Congreg. Reform. S. Bernardi Ordinis Ciſtercienſis, nunc Procurator Generalis in *Synopſi Decretor. Sac. Congr. Immunit. v. Fur, num.* 5. *& ſeqq.* ibi adducens decretum hujus Congr. in una *Squilacen.* 26. *Maii*, *anno* 1632. *lib.* 2. *decret. Paul. pag.* 128. & aliud in una *Civitatis Caſtellanæ*, 10. *Junii*, 1681. *lib.* 1. *decr. Alt. pag.* 2204. & *num.* 6. refert, furem ſacrilegum quatuor lampadarum argentearum in Eccleſia; & poſtmodùm de iſta egredientem tempore, quo Birruarii conſultò eum expectabant ut carcerarent, ſicuti de facto carceraverunt, gaudere immunitate; mandante tamèn Sanctiſſimo in carceribus Eccleſiaſticis retineri, & proceſſum à Curia ſæculari, attentis gravibus delicti circumſtantiis, confici. In una *Spoletana* 3. *Iulii*, 1674. *lib.* 1. *decr. Alt. pag.* 963.

9 Furanti in Eccleſia coronas aureas, vel argenteas, & alia pretioſa Deiparæ oblata, de rigore privilegium immunitatis minimè denegatur; eſtò poſſit ex gratia Sanctiſsimi ad pœnam triremium damnari. Ità reſcripſit Sac. Congregatio Immunitatis in *Placentina*, 21. *No-*

Novembris 1635. *lib.* 4. *decr. Paul. pag.* 238. *à tergo.* Item in *Mantuana*, 14. *Novembris*, 1645. *lib.* 3. *decr. Paul. pag.* 264. *à tergo*.

10 Sacra Congregatio Immunitatis in una *Lucana*, 2. *Decembris*, *anno* 1681. *lib.* 2. *decr. Alt. pag.* 2290. approbavit tanquàm licitam, & validam extractionem ab Eccleſia factam per Epiſcopum cujuſdam perditiſsimi hominis, qui auſus fuit furari in Ciborio Sacrum Vas, in quo ſervabatur Venerabilis, ſpargens in eodem Ciborio Particulas conſecratas; & cauſam hujuſmodi Sacrilegi Delinquentis ad Sanctum Officium remiſit; & renuente Sac. Congreg. S. Officii in tali cauſa procedere, mandavit Epiſcopo per ſe ipſum procedere, juxtà ſuas ordinarias facultates: *in eâd.* 23. *Ian.* 1682. *lib.* 3. *decr. Alt. pag.* 8.

11 Furtum Pyxidum à Tabernaculo, indecenti projectioni Sanctiſsimi Sacramenti in terram adnexum, eſſe crimen læſæ Majeſtatis Divinæ, & hæreſis, cenſuit Sacra Congregatio Immunitatis, ideò in una *Neapolitana*, 22. *Ian.* 1697. *lib.* 2. *decr. Vall. pag.* 71. *à tergo*, mandavit Archiepiſcopo furem ſacrilegum extrahere à loco immuni, eumque retinere in carceribus Eccleſiaſticis, etiam adhibitâ particulari cuſtodiâ, necnon conficere proceſſum, ac tranſmittere. Et in una *Siracuſana*, 6. *Aprilis* 1692. *lib.* 1. *decr. Paul. pag.* 132. *à tergo*, reſcripſit, mandante Sanctiſsimo hujuſmodi ſacrilegos fures, in Carceribus Curiæ Eccleſiaſticæ retentos, conſignari Curiæ ſæculari condignè puniendos.

12 Hiſce ſacrilegis Furibus ad mortem damnatis, qui non meruerunt immunitatis Eccleſiaſticæ privilegio gaudere, eſſe omnia Sacramenta Eccleſiæ miniſtranda, ſi eos pœniteat, tradit Sylv. *v. furtum*. §. *Tertium*, *num.* 8. *qu.* 3. Nec valere conſuetudinem contrariam, habetur ex *Clem.* 1. *de pœnit. & remiſſ.* Eoſdem, ſicut & alios, qui propter ſua delicta, ad mortem damnantur, non eſſe ſepulturâ privandos, ſed in Cœmeterio ſepeliendos, admonet Pan. in *Cap. Fures*, *de furtis*, quem refert, & ſequitur Sylv. *loc. cit.*

Diſ-

Difficultati XV. ejuſdem Lib. IV. exhibitæ in Mantiſſa ad Lib. IV. diffic. pertin. ad Milites privatos, Tom. II. Additio.

SUb *num.29.* plures producuntur Doctores aſſerentes, licitum eſſe Sacramenta petere, & recipere à Miniſtris excommunicatis, non tamèn nominatim denunciatis.

1 Nunc illis adduntur Sanchez, *de matrim. lib.7. diſp.9. n.*8. Petrus Hurtad. de Mendoz. *de virtutibus Theolog. diſp.*173. *ſect.* 18. §. 249. Diana, *p.*5. *tract.*7. *de ſcandalo*, *reſ.*4. §. *Verùm his*, ubi docet, hanc opinionem eſſe probabilem, motus Decreto Concilii Conſtantienſis, & Martini V. quo datur facultas Chriſtifidelibus, ut poſsint communicare in Sacramentis cum Excommunicato ſine ſcrupulo: quodque per extenſum refert S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus, eximius Doctor, 3. *p. tit.* 25. *cap.* 3. ubi aſſerit ex Juliano Cardinali, hoc indultum datum fuiſſe non ſolùm Germanicis, verùm etiam omnibus Chriſtianis; eſſeque de jure perpetuum, niſi revocetur: refert quoque Hurtad. *loc. cit.* §. 250. Hinc Milites, qui ſciunt, Capellanos exercitus eſſe Regulares Apoſtatas, ac proindè excommunicatos (qui caſus non eſt metaphiſicus, & utinam talis eſſet!) poſſunt licitè, ut ſuprà tetigimus, ab eis pœnitentiam, aliaque Sacramenta petere, & recipere, aliis Sacerdotibus, & Confeſſariis deficientibus. Præfatam facultatem eſſe in favorem non Excommunicati, niſi indirectè, ſed Pœnitentium ad viam illorum ſcrupulis præcludendam, tradit Diana, *loc. cit.* ibidem ſubdens, Excommunicato dictam facultatem tantummodò indirectè concedi; ſiquidèm, eò ipſo, quòd Chriſtifidelibus tribuitur facultas petendi, & recipiendi Sacramentum ab Excommunicato, tribuitur etiam eidem facultas illa adminiſtrandi.

2 Oppoſitam ſententiam ſuſtinent Baſilius Pontius, Vaſquez, Sayr. & alii, quos producit noſter P. Ceſpedes in *Dubiis Militarib. dub.*46. §. *Sed quæres*, ubi nobis in terminis favet.

Difficultati XXXIII ejuſdem Lib.IV.diffic.pertin. ad Milites privatos. Additio.

SUb *num.* 14. dicimus, & probamus eum, qui dubius eſt, an aliquem occiderit, non eſſe irregularem, quamvis alii occiderint, dummodò rationabilitèr dubium deponat; & cum ſufficienti fundamento magis credat ſe neminem manu propriâ occidiſſe, aùt mutilaſſe; nec debere ſe reputare irregularem &c.

1 Addimus nunc, contrarium ſentire Joſeph Bertachinum in ſuis doctiſſimis *Votis deciſ.vot.* 156. *num.* 1. *& ſeqq.* ubi poſitâ controverſiâ, num Miles, qui in bello neminem occidit, vel mutilavit, ſit irregularis, & bellum quando dicatur juſtum, tres caſus diſtinguit: primum nempè, quando bellum eſt injuſtum; ſecundum, quando juſtum eſt bellum; tertium, quando bellum eſt juſtum, & Miles dubitat, an in eo aliquem occiderit, vel mutilaverit. In primo aſſerit, Militem evadere irregularem, quamvis aliquem nec occiderit, nec mutilaverit: quod fuit à nobis, *tom.* 1. *lib.* 4. *diff.* 34. *num.* 17. Doctorum authoritate, & validis rationibus reſolutum affirmativè. Addimus nunc Rotam, *deciſ.*355.*coram Albergato, Leodien. Canonicatus Aquiſgranenſ. intèr recent. numer.* 12. In ſecundo docet, Militem nequaquàm irregularitatem incurrere, ſi neminem propriâ manu occiderit, aùt mutilaverit, nec cuiquam mandatum dederit ad aliquem occidendum in particulari: quod paritèr fuit à nobis, ibidem *n.*5. fusè diſcuſſum, & juribus, variiſque rationibus, tùm intrinſecis, tùm extrinſecis, necnon exemplis clarè probatum. Addimus nunc Rotam in *deciſ. allegat. num.* 11. dicentem, ſolum concurſum ad bellum moralitèr, & probabilitèr juſtum non inducere irregularitatem, omni ſemotâ occiſione, aùt mutilatione, aliàs innumera hominum multitudo irregularitatis vinculo illaqueretur. In tertio ſuſtinet, Militem, qui remanet dubius, an ipſe aliquem occiderit, vel mutilaverit, debere ſe irregularem reputare, hac fultus ratione, quia in dubio melius eſt abſtinere, quàm temerè celebrare: ſubdens, hanc præfatorum caſuum diſtinctionem deſumi ex Textu in *Capit. Petitio tua* 24. *de homicid.* ubi Gloſſ. & Canoniſtæ, Bonac. *oper. moral. tom.* 1. *diſp.* 7. *quæſt.* 4. *punct.* 6. Bellett. *diſquiſ. Clerical. p.* 1. *tit. de diſciplin.* §. 5. *num.* 141. *&* 142. Rot. *in recent. deciſ.* 3. *ſub num.* 5. *p.* 2. *&*

deciſ.

deciſ. 355. *num.* 12. *& ſeqq. p.*14. *& deciſ.*148.*n.*9.*par.*18. & alii, quos ibi producit. Hujus Authoris opinionem non reprobamus,quia ſuâ probabilitate non caret; noſtra tamèn, quam probabiliorem exiſtimamus, Viris doctis, & ſcrupuloſis non diſplicet.

2 Quoad poſterius controverſiæ membrum ab hoc Authore propoſitæ, videlicèt, bellum quando dicatur juſtum, ipſe fatetur, magnam adeſſe difficultatem ad cognoſcendum quando bellum eſt juſtum, & quando injuſtum. Liberè quidem concedit, bellum eſſe juſtum, juſtiſſimum, ac ſempèr commendabile, quando pugnatur contra Turcas, Hæreticos, alioſque Infideles, causâ Catholicam Religionem dilatandi: quod ſanè Doctorum authoritate, juribus, & exemplis oſtendimus, *tom.*1. *lib.*1. *diſſ.*32. Sed quando bellum verſatur intèr Principes Catholicos, ſubdit, rem admodùm difficilem eſſe decidere, an bellum ſit juſtum, vel injuſtum;& ad ſuas,quas patitur anguſtias, temperandas, conatur nonnulla Sacræ Scripturæ loca interpretari, varios canones congerere, & explicare. Hæc materia,quam & nos concedimus eſſe difficilem, quamque ipſe obitèr, & ſuccinctè tangit, *loc.cit.* propoſita,diſcuſſa, digeſta, & reſoluta reperitur in noſtra *Theol. Bellic.tom.* 1. *lib.*1. *Diffic.*10.*num.* 1. *eodem lib. Diffic.* 31. *num.* 8. *Diffic.*40. *num.*8. & alibi; ubi cum ipſo concludimus, ad tollendos è Caſtris ſcrupulos; cum arcana Regum & Principum ſint recondita, & penetrari non poſſint, bellum in dubio reputandum eſse pro juſto; & bellum dicenti injuſtum onus incumbere probandi factum aliquod particulare occiſionis, vel mutilationis propriâ manu, vel conſilio ſequutum, ex quo ſurgat irregularitas, ut cenſuit Rota in *Leodien. Canonicatus Aquiſgranen.* 26. *Maii*, 1665. *coram Albergato*, & eſt *p.*14. *recent.* la355. quæ ad excludendam irregularitatem credidit,bellum Vulencenæ ex parte Hiſpanorum fuiſſe juſtum, utpotè ordinatum ad defenſionem, quæ uti à naturæ lege procedens, ſempèr juſta præſumitur, *Capit.Scire,cauſa* 23. *q.*8.Bart.*in l.Hoſtes, n.*9.*& ſeq. ff.de capt.& poſtlim.reverſ.* Innoc.*in capit.Olim*,il primo,*n.*8. *de reſtit.ſpol.* Menoch. *de præſumpt.* 96. *num.*4. & alii, quos probat Rot. *loc. cit.* & idipſum firmatum fuit ab eadem Rota in *Vratislavien. Canonicatus*, 23.*Iunii*, 1673.*cor.Rondinino*, §. *Hinc opus non eſt*, quam deciſionem eſse impreſsam intèr *recent.deciſ.*148.*par.*18. ſcribit Bertachin. *loc.cit.*

Difficultati XLI. Lib.IV. Tom.I. Additio.

SUb *num.* 12. dicitur, quòd omnes, qui in Caſtris reperiuntur, etiamſi Milites non ſint, gaudent privilegio teſtandi jure militari.

1 Adde Molin. *de juſt. tom.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 129. Machad. *de perfecto Confeſſar. tom.* 1. *lib.* 3. *par.* 6. *tract.* 5. *doc.* 5. *num.* 7. ſecùs autem ſi non ſunt in loco hoſtili. Adde Bart. in *l.* 1. *ff. de bon. poſſeſſ. ex teſtam. Militis*, Tuſch. *to.* 8. *concluſ.* 119. *n.* 23. Pariſium, *conſil.* 32. *num.* 25. *vol.* 1. Diana, *p.* 7. *tract.* 6. *reſol.* 59. ubi alios producit; ſubdens in fine, privilegium teſtandi more Militum competere quoque Mercatoribus caſtra ſequentibus; itèm Laniis, Victoribus, quamvis non ſint in Matricula deſcripti, modò in loco hoſtili verſentur.

Sub *num.* 16. aſſeritur, Teſtamentum factum à Milite abſque ſolemnitate, valere, & hæredem etiam Notis ſcribi poſſe; quod probat Textus in *l. &c.*

2 Adde Walterum, *lib.* 2. *Miſcell. cap.* 12. Hunnium in *Encylopedia juris*, *part.* 4. *tit.* 5. *cap.* 3. *num.* 3. Bucerum, *tract. de bello*, *lib.* 1. *cap.* 18. *num.* 8. Diana, *part.* 7. *tract.* 6. *reſ.* 52. ubi alios refert, aſſerentes, teſtamentum Militis cùm breviaturis & notis confectum validum eſſe; eſtò teſtamentum aliorum ſit integris literis, non breviaturis, aùt notis, ſcribendum.

Sub *num.* 20. habetur, quòd mutus, & ſurdus à natura poteſt teſtari ad pias cauſas.

3 Adde Enenkelium, *de privileg. milit. lib.* 2. *privileg.* 16. *num.* 28. ubi abſque noſtra limitatione loquendo, aſſerit, mutum, & ſurdum teſtamentum facere poſſe, etiamſi naturale hoc ei vitium inſit; ad quod probandum, jura, & Doctorum authoritatem adfert, ſubdens, talibus jure communi, neque teſtamentum facere neque codicillos, neque fideicommiſſum relinquere, neque mortis cauſâ donare, nec libertatem, ſivè vindictâ, ſivè alio modo imponere, concedi, juxtà Tex. *l. Diſcretis*, *Cod. qui teſtam. facere poſſ. l. qui in poteſtate*, §. 1. *l. ſeq. ff. eod. tit.* Addendum tamèn arbitror, in tali caſu conſtare omninò debere per ſigna certa, quæ per notos homines poterunt interpretari, ipſum, nempe mutum, & ſurdum ſic voluiſſe teſtari; & facit *l. Divus Trajanus*, *l. Lucius*, in princ. *ff. de milit. teſtam.* Facit quoque *l. Si pater*, *ff. de adopt.* Enenkelio videtur adhærere

rere Card. de Lugo, *de juſt. to. 2. diſp. 24. ſect. 1. num. 12.* Villalobos in *Sum. tom. 2. tract. 30. diff. 3. num. 11.* docentes, ſine ulla diſtinctione, Militem mutum poſſe jure militari teſtari: Ergo etiam mutus à natura idem facere poteſt.

4 Contrariam ſententiam mordicùs ſuſtinet Bucerus, *Tract. de bello, lib. 1. cap. 18. num. 15.* quam variis juribus, & Doctorum authoritate, atque pluribus rationibus conatur probare.

5 Quidquid ſit de productis opinionibus, ſcimus extrà controverſiam eſſe, mutum, & ſurdum Militem, amiſſo in caſtris ſermone, & auditu, poſſe jure, & privilegio militari teſtamentum facere ex Textu punctuali in *l. 4. de Milit. teſtam.* ubi expreſsè, ac ſimplicitèr dicitur, jure militari ſurdum, & mutum, teſtamentum facere poſſe ante cauſariam miſſionem, quatenùs ſcilicèt in numero maneat.

Difficultati XLII. ejuſdem Lib. IV. Tom. I. Additio.

SUb *num. 17.* notamus, poſſe Militem decedere pro parte teſtatum, & pro parte inteſtatum.

1 Addimus nunc Textum in *l. jus noſtrum, §. in Paganis, ff. de reg. jur. l. Si miles, l. Idem eſt, ff. de Milit. teſtam.* Adde Tiraquell. *de privileg. piæ cauſæ, privileg. 13.* Unde ſi Miles unum ex certis rebus hæredem ſcripſerit, aliis rebus minimè memoratis, creditur quantùm ad reſiduum patrimonii inteſtatus deceſſiſſe, dicta *l. Si Miles,* la ſeconda, *ff. de Milit. teſtam.* ubi dicitur -- Si Miles
„ unum ex fundo hæredem ſcri-
„ pſerit, creditur quantùm ad
„ reſiduum patrimonii, inteſtatus
„ deceſſiſſe; Miles enim pro
„ parte teſtatus poteſt decedere;
„ & pro parte inteſtatus: *l. Cogi poterit, §. Sed & ſi Miles,* ibi-- Ex certa re Miles hæredem inſtituere poteſt: Itèm ibi -- Nàm
„ ſicut conceſſum eſt Militibus
„ circà inſtitutionem ſeparare
„ ſpecies bonorum, *ff. ad Senatuſcon. Trebell.* Et ideò ſi Miles duos ſcripſerit hæredes, quorum altèr omiſerit hæreditatem, ejus pars non accreſcit alteri hæredi, ſed pro ea parte inteſtatus videtur defunctus deceſſiſſe, *l. Si duobus, ff. de Milit. teſtam.* Partem verò, pro quà Miles inteſtatus deceſſit, ad legitimos Militis hæredes ſpectare, probat Textus in *l. 1. & 3. Cod. de teſtam. Milit.* Quam ſententiam docent ex Graſſo, & Sicardo, Hunnius in *Encylopedia juris, par. 4. tit. 5. cap. 3.*

*cap.*3.*num.*4. Bucerus, *tract. de bello, lib.*1. *cap.*20. *num.*3. noſter Molſeſius *in ſum. part.* 2. *tract.*13.*cap.*2. *num.*59.

2 Ibidem ſub *num.*23. addo pariter, poſſe ex deductis inferri, Militem ſcientem ſe habere Liberos, ſi eos in teſtamento prætérit, vel exhæredat, teneri præteritionis, & exhæredationis cauſam exprimere, ut hujuſmodi teſtamentum valeat; alioquin eſſe nullum, tradit Hunnius, *loc. cit. num.* 8. Vaſquius, *de ſucceſſ. Creat.* §. *Teſtamentum, quæſt.*7. Joannes Dauther, *Tract. de teſtamentis, Rubr. de Hæred. inſtituen. nu.*355. Diana, *part.*7. *tract.*6. *reſ.* 62. §. *Verum non videtur, &c.* ubi teſtatur, hanc ſententiam cum hujuſmodi modificatione, ſeu cum expreſſione cauſæ præteritionis eſſe communem: ideòque mihi placet.

3 Ex traditis infert Enenkelius, *de privileg. Milit. lib.* 2. *privileg.*16. *num.*54. Militi, qui liberâ voluntate teſtari poteſt, de parte bonorum unâ, aut pluribus, licere teſtari; nec reliquam bonorum partem Hæredi inſtituto adcreſcere oſtendit.

Difficultati XIII. Lib. VI. Tom. II. Additio.

Sub *num*11. aſſeritur, Matrimonium Militum nullibi habentium firmam ſtationem, coram quovis Parocho contractum ſuam habere validitatem; quamvis Parochus non poſſit Vagorum, & ſic horum Militum Matrimonio intereſſe, niſi diligenti inquiſitione præmiſsâ, & obtentâ Ordinarii licentiâ.

1 Addimus nunc, quòd huic aſſerto repugnare videtur Franciſcus Zipæus in *Reſp. de jure canon. noviſſimo, lib.*4. *de ſponſal. Reſp.*7. *num.* 2. §. *Quare & Miles*, dicens, quòd Miles, qui in firmo præſidio eſt, habitationem imitatur, & coram Parocho præſidii Matrimonium rectè contrahit per Textum in *l. Heres abſens*, §. 2. & 3. *ff. de judic. Capit. Is, qui, de ſepult. in* 6. *l. Municeps*, §.2. *ff. ad Municipal.* ubi dicitur — Miles ibi domicilium „ habere videtur, ubi meret, & „ ſi nihil in patria poſſideat: ſubdens, quòd ſi ad exiguum tempus alicubi ſubſiſtat, ut quaſi per modum tranſitus ibi ſit, non cenſebitur loci Parochus illius proprius, & id ex juribus allegatis; & ideò, inquit, per concordata Delegati exercitus declaratum fuit, antiqua præſidia ſpectare ad Ordinarios locorum; & anno 1624. idem repetitum, adjectumque eſt, nempè ab Ordinariis ſolis curam

Ani-

Animarum fixorum præſidiorum exercentes approbari, & iiſdem facultates ab eiſdem Ordinariis committi, ſeù ab ipſis eaſdem recipere illos debere. Hæc doctrina, quæ nobis placet, utpotè Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.* 1. conformis, nullatenùs noſtro aſſerto repugnat. Aſtruximus enim, validum eſſe Matrimonium, quod Milites, nullibi domicilium habentes, coram quovis Parocho contrahunt. Milites verò, qui in firmo præſidio ſunt, habitationem imitantur, ſeù ibi domicilium videntur habere ex juribus allegatis; & ſucceſſivè coram Parocho Præſidii, qui eſt eorum proprius Parochus, debent Matrimonium contrahere: quod paritèr probant concordata Delegati exercitus, intèr quæ hic adeſt articulus -- „ Non licere Parochis aſſiſtere „ Militibus, ſeù perſonis de Exer„ citu Matrimonium contrahere „ volentibus, niſi tanquàm præ„ ſidiarii in eorumdem Parocho„ rum parochiis reſideant.

2 Ex doctrina, ſeù juribus allegatis, domicilium concernentibus, liceat mihi incidentèr inferre ad occurrendum litibus, quæ poſſent intèr Parochos contingere, translationem perſonæ ad certum locum factam ad tempus, Eccleſiæ jus ſepulturæ non auferre. Textus eſt punctualis in *d. Capit. Is, qui de ſepult. in 6.* ibi -- Is, qui habet „ domicilium in Civitate, vel „ Caſtro, quandoque ad villam „ ruralem ſe transfert recreatio„ nis causâ, vel ut ruralia exer„ ceat in eadem, ſi non electâ ſe„ pulturâ decedat ibidem, non in „ Eccleſia dictæ villæ, ſed in ſua „ parochiali, vel in ea potiùs, in „ quà majorum ipſius ab antiquo „ ſepultura extitit, ſepeliri debe„ bit, dummodò abſque pericu„ lo ad ipſam valeat deportari.

Difficultati XX. *Lib.* VI. *Tom.* II. *Additio.*

SUb *num.* 16. dicitur, non teneri Clericos tempore belli cuſtodire civitatem, vel oppidum, niſi ſubeſſet neceſſitas maxima, vel caſus inopinatus emerſerit.

1 Addo *Capit. Pervenit, extrà, de immunit. Eccleſ. Capit. Igitur, cauſa* 23. *qu.* 8. *Capit. Si nulla*, ibidem, ubi habetur, interveniente neceſſitate, aùt caſu inopinato, ad vigilias portuum, murorumque cuſtodiam vocari: quatenùs inquit Gregorius IX. ſcribens Archiepiſcopo Tarraconenſi, ſivè Tricenſi relatus in *d. Capit. Pervenit*, cunctis vigilantibus meliùs valeat Civitatis cuſtodia procurari. An verò Clerici ad murorum

rum cuſtodiam vocati poſſint tempore invaſionis Civitatis arma movere ſinè irregularitate, niſi ſuis manibus occidant, vide Pan. in *Capit. Petitio tua, extrà, de homicid. & d. Capit. Pervenit, extrà, de immunit. Eccleſ.*

Ibi diximus, urgente neceſſitate, Clericos ad cuſtodiam Civitatis vocari.

2 Subdimus; eâ ſemotâ, hujuſmodi vocationem reddi culpabilem; cùm nemo militans Deo implicare ſe debeat negotiis ſæcularibus; & ideò neque vigiliis, neque cuſtodiis Urbium, aùt Caſtrorum, etiam adversùs Piratas, & Infideles, *Capit. Reprehenſibile, cauſ.* 23. *quæſt.* 8. & ſic ab hujuſmodi gravaminibus, quæ foſſatam expeditionem, aùt qualibet alia ſimilia concernunt, Eccleſiam debere eſſe immunem, habetur ex *Capit. Non minùs, extrà, de immunit. Eccleſ. & Capit. Ex multa*, §. fin. *extrà, de voto*, & notat Franc. Zipæus, *de juriſdict. Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 12.

Ibidem *num.* 17. aſſeritur, non teneri Clericos ſivè jure Civili, ſivè jure Canonico, ad collectas, quæ imponuntur ob publicam neceſſitatem &c.

3 Addo, hanc propoſitionem non ità ſeverè, & ſtrictè à me firmari, ut velim aſſerere, Eccleſiam, & Eccleſiaſticos aliquandò Reipublicæ neceſſitatibus ſuccurrere obſtrictam non eſſe, quando certæ concurrunt conditiones, quas magiſtralitèr producit, & explicat Sacra Rota in celebri *Deciſione Brunduſinæ Gabellæ, die* 13. *Febr. an.* 1604. *coram Pegna*; quaſque refert Diana in *par.* 5. *tract.* 1. *reſol.* 11. & ideò arbitramur, aliquam poſſe Clericis contributionem imponi, quandò Laicorum facultates ad proſpiciendum communi, & publicæ neceſſitati nequaquàm ſufficiunt, dummodò tamen adſit conſenſus Summi Pontificis, ut patet ex Bulla Cœnæ, & olim etiam patebat per Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. olim enim tantummodò requirebatur Epiſcopi, & Cleri conſenſus, ut habetur *eod. Capit. Non minùs, de immunit. Eccleſ.* nunc verò neceſſarius eſt Pontificius, *Capit. Adversùs, eod. tit.* ubi habetur, Clericos non debere neceſſitatibus, ſeù utilitatibus Civitatum, aùt aliorum locorum, etiam ubi Laicorum non ſuppetunt facultates, ſubvenire, niſi priùs Romanus Pontifex conſulatur; idemque, videlicèt, Clericos non teneri ad ullas contributiones, niſi interveniente Summi Pontificis licentiâ, aſſerit Bulla Cœnæ, prohibens ſub anatehmatis diſtrictione alitèr fieri; Et Clerici

etiam

etiam ſpontè volentes Laicis contribuere de bonis Eccleſiæ ſinè aſſenſu Romani Pontificis obnoxii ſunt pœnis *Capit. Adverſùs, de immunit. Eccleſ. Capit. Clericis, eod. tit. in 6.* ubi Bonifacius VIII. Prælatis, & perſonis Eccleſiaſticis in virtute obedientiæ, & ſub depoſitionis pœnâ diſtrictè mandat, pro rebus ſuis, vel Eccleſiarum nil Laicis ſolvere debere abſque licentia Apoſtolicæ Sedis ſub quocunque colore adjutorii, mutui, ſubventionis, doni, vel quovis alio titulo, & ſi ſolverint, vel Laici oblata, receperint; vult in excõmunicationis ſententiam ipſo facto eos incidere; declarans ab hujuſmodi excõmunicatione, aliiſque cenſuris à nemine poſſe abſolvi (præterquam in morris articulo) abſque Sedis Apoſtolicæ authoritate, & licentia ſpeciali: Et quidèm rectè; nàm cum immunitas tori Clero, & in favorem Ordinis fuerit conceſſa, à ſingularibus Clericis, etiam in ſui præjudicium, eam renuntiari non poſſe, probat Textus in *Capit. Si diligenti, de for. compet.* & obſervat Ortiz de *politia & immunit. Eccleſ. part.3. fol. 32.* Maximilianus Fauſt. de *Ærario, cla. 17. conſil. 42.* cum aliis, aſſerentibus, illicitam omninò eſſe præfatam & Laicorum petitionem, ſivè impoſitionem, & ſpontaneam Clericorum contributionem, inconſultâ Sancta Sede Apoſtolicâ.

4 In terminis verò de caſu, in quo Eccleſiaſtici tenerentur pro neceſſitate belli Principi ſubſidium præbere, videatur Sanchez in *Opuſc. tom.1. lib.2.cap. 4. dub. 56. num.36.* ubi eſſerit & probat, eſſe priùs petendãm, & obtinendam licentiam à Sede Apoſtolica. Idem paritèr docet Stephanus Baunius, Doctor Gallus in *Theolog. Moral.* quæ nunc eſt prohibita, *part. 1. tract.1. quæſt.3.* ubi idem docet. Idemque tradunr Fragoſo, Maynardus, Tamburinus, & alii, quos producit, & ſequitur Diana *par.7.tract.1.reſ.20.*

5 Addimus, nullatenùs eſſe audiendum P. Rabardeum, qui *ſect.3. nu.4. fol.60.* contrarium docet, aſſerens, in Hiſpania tempore Philippi II. pro adjuvandis Catholicis adversùs Hæreticos, Gallos, Clericos, ſinè permiſſione, & conſilio Summi Pontificis, coactos fuiſſe ad contribuendum Laicis ſubſidium. Hoc enim falſitate, & errore notari, validiſſimè probat doctiſſimus Sahagum de Villa-Sante in *Capit. Decernimus, de judiciis, num.36. & 38.* & nuperrimè P.Diana *par.7.tract.1. reſ.19. & 20.* oſtendens, non eſſe admittenda exempla, quæ ipſe adducit ad probandum, non eſſe neceſſariam Pon-

tificis conſultationem; quam ſanè requiri vult, & validiſſimis rationibus probat doctiſſimus Valboa de Magrovejo in Scriptura ad Regem nomine Decani, & Capituli Eccleſiæ Salmanticenſis, *Concl.* 12. *num.* 147. Horum Doctorum authoritate, & rationibus, quas adducunt, brevitatis causâ prætermiſsis, clarè demonſtratur contra P. Rabardeum, piiſsimos Hiſpaniarum Reges nunquàm ſubſidium ex bonis Eccleſiaſticorum petiiſſe, & accepiſſe, niſi conſentientibus Eccleſiaſticis, & obtentâ à Summo Pontifice licentiâ per ea, quæ fusè differit Pan. *lib.* 1. *conſil.* 3. & Guttierez *pract. qq. lib.* 1. *qu.* 1. cum aliis, quos ipſi producunt.

6 Doctrina Valboæ, & aliorum, Sedi Apoſtolicæ juſtè faventium, confirmatur contrà P. Rabardeum variis exemplis, quæ refert Maximilianus Fauſt. *de Ærario*, *cla.* 17. *conſil.*4. præſertim Maximiliani I. & Caroli V. Imperatorum, licentiam petentium ab Alexandro VI. & Paulo III. ſubſidium ab Eccleſiaſticis pro bello contra Turcas, & Hæreticos obtinendi. Idem feciſſe, ſeù hujuſmodi licentiam obtinuiſſe à Leone X. Emanuelem Regem Luſitaniæ pro bello contra Mauritanos, ſcribit Diana *loc. cit.* Idem teſtatur de Carolo Emmanuele Duce Sabaudiæ Antonius Borrinius in *tract. de Cavalcata*, *ſeù ſervitiis Vaſſallorum*, *part.* 3. *cap.* 6. Idem notat de Duce Ferrariæ Alciatus, *conſil.* 165. Idem refert de Repub. Veneta Bembus, *lib.* 5. *Hiſtor.* Demùm idem reperitur apud Dianam, *p.* 7. *tract.* 1. *de Immunit. Eccleſ. reſ.* 20. *num.* 3. de Catholico Hiſpaniarum Rege, qui tempore Urbani VIII. obtinuit ab eo, *die* 10. *Auguſti*, *anno* 1634. licentiam imponendi gabellam Clericis pro expenſis tempore peſtis in Civitate Panormitanâ factis: quique alia paritèr licentiam ab eodem Pontifice pro Statu Mediolanenſi, *die* 10. *Maii*, *eodem anno*, petiit, & obtinuit. Idem de aliis, qui cerni poſſunt apud Scribentes in hac materia.

7 Hiſce laudatiſſimis Principum, Regum, Imperatorum exemplis intelligant Orbis Orthodoxi Principes, eſſe ad Summum Pontificem recurrendum, quando bellorum, aùt aliarum calamitatum neceſſitatibus premuntur, ſibique nullatenùs licere, abſque illius facultate, tributa Eccleſiaſticis imponere, quando periculum non eſſet in mora, ut quando inopinatum, & improviſum contingit bellum, aùt inopinata hoſtium incurſio; qui caſus prævideri non poſſunt, quique celeritatem reparationis, ſivè def-

defenſionis depoſcunt, & moram nequaquàm patiuntur; ut ajunt Fragoſo de *regim. Reipubl. p.1. lib.2. diſp.4. nu.*334. Baunius, *loc. ſupra cit.* Maynardus, *de privileg. Eccleſ. par.2. art.23. num.*30. & 31. Aſcan. Tambur. *de jur. Abbatum*, *to.1. diſp.*15. *quæſt.*24. *num.*5. Quibus in caſibus admittimus poſse ab Eccleſiaſticis, ſeù à Clericis, & Epiſcopis, ſine conſenſu Pontificis, ſubſidium peti; dummodò tamèn neceſſitas non contingat in exactione, itàut brevi tempore ſit perficienda; nàm ſi longiori tempore ſit duratura, eſtò in contingentia neceſſitatis poſſit inconſulto Summo Pontifice inchoari, ipſum poſteà eſſe conſulendum firmitèr arbitramur, ut longiori tempore protrahatur. Hanc limitationem, quæ eſt valdè notanda, & ad praxim deducenda, ponit Suarez contra Regem Angliæ, *lib.*4. *cap.*26. *num.* 18. Palaus, *tom.* 2. *tract.* 12. *diſput. unic. punct.* 9. *num.* 7. Card. de Lugo, *de juſt. to.*2. *diſp.*36. *ſect.*8. *num.*127.

8 Ex traditis patet, raro poſſe contingere, Principes evadere immunes ab obligatione Summum Pontificem adeundi, aùt anteà, aùt poſteà, pro ſubſidio Clericorum obtinendo, exortâ bellorum, aùt aliarum calamitatum neceſſitate. Et ideò ſi quiſpiam præſumeret, quod non credo, ſibi licere, etiam extrà præfatos caſus à Doctoribus limitatos, bello, aùt alio infortunio enaſcente, tributa ab Eccleſiaſticis, contemptâ Summi Pontificis conſultatione, exigere, ei verba repeterem Cardinalis Baronii, *tom.* 4. *ſub anno Chriſti* 387. §. *Certè quidèm*, *pag. mihi* 538. nempè — Certè quidèm ſi præterita repetas „ tempora, in his, quæ ad tributorum exactionem pertinent; id „ primum à gentilibus Imperatoribus Eccleſia paſſa eſt: deindè ab Imperatore Apoſtata; „ poſteà ab Ariano Principe in „ Oriente. Etenim conſtat, primum omnium Apoſtatam Julianum poſt Chriſtianos Imperatores de bonis Eccleſiarum, „ earumque Miniſtris exegiſſe „ tributum: ejuſque aſſectatum „ eſſe veſtigia Valentem Arianum Imperatorem, qui tributum à Clericis, atque Monachis exigebat. De Valentiniano, & Gratiano nihil hujuſmodi in Occidente factum legimus &c. Vides nonniſi Apoſtatas, atque Hæreticos Imperatores exegiſſe ab agris Eccleſiæ cenſum, hac ex partè Pharaone Ægypti Rege deteriores. „ Cum aliqui Catholici Principes in ditandis Eccleſiis amplis „ reditibus munificentiſſimi ſempèr extiterint; qui ſi aliquando „ neceſſitate ingruentium bello-

„ rum, preſſi indiguerint accipe- „ re ab Eccleſiis ; id perquàm „ ſubmiſſo animo à totius Chri- „ ſtianæ Religionis Antiſtite Ro- „ mano Pontifice expetere con- „ ſueverunt ; & ab illo paternæ „ charitatis affectu pro facultate „ præſtari, cujus rei innumera „ ſunt exempla. Sic Parens An- „ nalium.

Difficultati III. Lib. VIII. Diffic. pertinen. ad Bona, Tom. II. Additio.

SUb *num.* 9. ubi poſt jura tùm Civilia, tùm Canonica, poſtque rationes, exemplo oſtenditur, Bona Eccleſiæ nullatenùs eſſe à Poteſtatibus Laicis tangēda; imò ſi fortè fuerint impiâ aliquorum Conſiliariorum ſuaſione uſurpata, eſſe Eccleſiæ, à qua fuerunt ablata illicò reſtituenda.

1 Additur nunc Edictum Conſtantini Magni Imperatoris ad Anulinum conſcriptum, ab Hiſtoricis non ſolùm Catholicis, ſed etiam Ethnicis enixè commendatum, & à Baronio *tom.* 1. *Annal. ſub anno Chriſti* 57. *pag. mihi* 450. *lit. E.* fidelitèr relatum -- Quare volumus, inquit „ Imperator, ut ſimul ac haſce „ litteras à nobis acceperis, ſi „ quæ ex his poſſeſſionibus, quæ „ ad Catholicam Chriſtianorum „ Eccleſiam, in quibuſque civitatibus, aùt aliis locis pertinent etiam adhuc à Civibus, „ aùt ab aliis quibuſdam retineantur; eas quamprimùm eiſdem Eccleſiis facias reſtitui: „ quandoquidèm animo inſtituimus, ut ea, quæ Eccleſiæ antea poſſederunt, ad ipſarum jus „ denuò revertantur. Cum igitùr „ tua pietas animadvertat, decretum hoc abſque dubio, de noſtrâ ſententiâ eſſe publicatum, „ enitere, atque labora, ut ſivè „ Horti, ſivè ædes, ſivè aliud „ quodcunque aliquando ad jus „ ipſarum Eccleſiarum ſpectaverint, omnia illis, quàm celerrimè reddantur. Hujuſmodi enim Bona fuerant ſublata temporibus ſæviſſimi belli, ſeù perſecutionis Diocletiani, atque Maximiani Imp. ut notat ibi idem Baronius, aſſerens ex Euſeb. *lib.* 10. *cap.* 5. alia extare Imperatorum Edicta, quibus poſſeſſiones Eccleſiæ ablatas reddi mandarunt; in quibuſque hęc ſcripta leguntur- At, paulò antè „ dixit Baron. quoniam ipſi Chriſtiani non ſolùm ea loca, in quæ „ convenire ſolent, ſed etiam alia „ habuiſſe cognoſcuntur, quæ „ non privatim ad ſingulos, ſed „ ad jus totius ipſorum Communitatis, ideſt Chriſtianorum ſpectabāt ſingulis, qui ea poſſident, „ mandes velim, ut omnia per „ legem, quam ſuprâ poſuimus,

abſque

„ abſque ulla controverſia, Chri-
„ ſtianis, ideſt ſocietati ipſorum,
„ & conventui reddant. Porrò ea omnia loca, quæ dicit ſpectare ad Chriſtianorum Communitatem, bona Eccleſiæ fuiſſe, probat idem Baron. *ibid.* & ideò Eccleſiæ ea fore reſtituenda, Ratio convincit, Jura obſtringunt, Juſtitia decernit, Conſcientia dictat, pietas ſuggerit, Religio vult, Deus mandat.

Difficultati XXII. *Lib.* VIII. *ejuſd.* Tom. II. *Additio.*

SUb *num*5. aſſeritur, iis ſolis ex lege juſtitiæ decimas deberi, quibus cura incumbit Animarnm.

1 Addo reſolutionem dubii ſequenti. Bellorum tempore ſæpè accidit, animalia unius Parochiæ in aliam Parochiam fugere, ibique parere. Dubitatur, cui Parochiæ ſit decima de natis animalibus ſolvanda. Reſpondent Bal. Alber. & Paulus in §. *Si quis, in Authen. Quib. mod. Naturales effic. ſui*, decimam animalium deberi Parochiæ, ubi pariunt; & ratio ſuadet, quia intrà illam Parochiam paſcuntur; & proindè reputantur fructus agri ratione paſcuorum *l. Arbor*, §. fin. *ff. commun. divid. & l.* fin. §. penult. *ff. Quæ in rau. cred.* & notant Thoma. de *Collect.* §. *Vendentes*, *num.* 10. Mundius, *de Muner. cap. 6. num.* 17. ques producit, & ſequitur Paſq. *qq. var. quæſt.* 82. *num.* 2. ibi concludens, animalia cenſeri fructus agri, in quo paſcuntur; & ſucceſſivè decimam deberi Parochiæ, intrà cujus fines ſunt paſcua.

Difficultati XXIII. *Libro* VIII. *ejuſd.* Tom. *Additio.*

SUb *num.* 10. dicitur, quòd Milites pugnantes in bello contra Turcas, aliosque Chriſtiani nominis hoſtes pro defenſione Reipublicæ, aùt recuperatione Civitatum, Regnorum, aliorumque bonorum, ab illis injuſtè occupatorum, non eſſe Martyres dicendos, ſi in bello occumbunt.

1 Adde, eſse tamèn ſummè laudandos, & ità ſentire videtur D. Th. 2. 2. *qu.* 123. *art.* 5. in corp. ubi dicit, pericula mortis, quæ ſunt in bellicis directè imminere homini proptèr aliquod bonum, inquantùm, videlicèt, defendit bonum commune per juſtum bellum; ibidem ſubdens, fortitudinem, quæ eſt virtus firmans animum contrà pericula mortis, propriè eſſe circa pericula mortis, quæ eſt in bello. Hinc ſequitur, morien-

rientibus in bello contra Turcas, alioſque Chriſtiani nominis hoſtes proptèr bonum commune, eſtò non debeatur honor, & corona Martyrii, ſummam tamèn deberi laudem, tanquàm pollentibus fortitudine, quæ eſt virtus ſummè laudabilis.

2 Idem, nempè eſſe ſummè laudabile mortem ſubire pro bono Chriſtianæ Reipublicæ, teſtatur S. Joannes de Capiſtrano, qui, referente Wadingh, *lib.* 28. *Hiſtor. Boem. Dubrau. num.*64. *pag.*259. interrogatus à quodam Bohemo Milite, ſatagente Turcam, qui cum vexillo murum conſcenderat, in præceps ſuo complexu deiicere, hiſque verbis rogante Capiſtranum -- Si ſponte me cum „ cane iſto de muro præcipita- „ vero illicò commoriturus, quid „ de Anima mea cenſes futurum? Ille, nempè Capiſtranus reſpondit -- Salvam ſine dubio fore: Et ratio videtur eſſe, quia mors illa accidit prætèr intentionem; & actus ipſe, qui magnam indicat fortitudinem, per ſe directus eſt ad finem licitum, & honeſtum, qui eſt Chriſtianæ Reipublicæ defenſio.

3 Idem probat laudatum Eleazari exemplum, 1. *Macab. c.*8. qui Elephanti ſe ſuppoſuit, ut Beſtiæ necem inferret, quamvis, illâ cadente, ejuſdem mole oppreſſus fuerit.

Difficultati XXXVI. ejuſdem Lib. VIII. Tom. II. Additio.

Poſt *num.* 6. ubi tanquàm probabilius ſuſtinemus, poſſe Militem pro ſua Hærede inſtituere ſuam Meretricem; eique arma, equum, & alia bona ſua relinquere; & ipſam poſſe hæreditatem, & bona ei relicta in conſcientia retinere.

1 Nunc addimus tanquàm quid probabile. Duces exercituum nequaquam teneri in conſcientia expellere ab Exercitu Meretrices. Huic aſſertivæ additioni favere videntur D. Th. *Opuſc. de regim. Principum, lib.*4. *cap.*14. *lit. I.* & 2.2. *qu.*10. *art.*11. in corp. Covaru. *p.*1. *de ſponſalib. cap.* 4. *num.*7. Abul. in *Deuteron. cap.*24. *q.*6. Graff. *p.*1. *deciſ. lib.*2. *cap.* 75. Barboſ. in *Cap. Omnis*, *num.*4. *Diſtinct.*3. & alii, quos producit, & ſequitur in terminis Franc. Ceſpedes in *Dubiis Militaribus*, *dub.*53.

2 Movemur primò juribus in *Capit. Duo mala* (aliis pluribus omſſis) *Diſt.*13. ubi Concilium Toletanum VIII. inquit, quòd duo mala, licèt omninò certiſſimè ſint præcavenda, tamèn ſi periculi neceſſitas unum ex his

his perpetrare compulerit,id debemus reſolvere, quod minori nexu noſcitur obligari; quodque ratio naturalis clarè ſuadet: ſcimus autèm ſimplicem fornicationem eſſe quidèm peccatum mortale, Innoc. IV. *Conſt.* 14. *Sub Catholicæ*, *Capit. Nubendi*, *cauſa* 27. *qu.* 1. & intèr ſeptem Capitalia eſſe maximum, *Capit. Non ſolum*, *cauſ.* 32. *quæſt.* 7. relativè tamèn ad adulteria, inceſtus, ſagrilegia, ſtupra, neſandum crimen, & ſimilia, eſſe hiſce omnibus, minus malum. Scimus paritèr, Viros bellicoſos regularitèr eſſe calidos, & præ aliis luxurioſos, & præſertim Equites; nàm aſſiduè equitantes, libidinoſiores evadere, tradit Ariſtoteles *Problem.* 12. *lect.* 4. agitatione enim, & motu caliditas augetur, & cum caliditate libido, ut notat Ludovicus Septalus in *ſuis Comment. in d. Problem.* 12. Si igitùr meretrices ab Exercitu expellerentur, Milites ad excitatam eorum libidinem extinguendam majora mala committerent; id ſanè advertente S. Aug. *tom.* 1. *lib.* 2. *de Ordine*, *cap.* 4. ante med. *col.* 2. *pag. mihi* 204. ubi dicit. Auſer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus: Ex quibus ſequitur, Duces Exercituum obſtrictos minimè eſſe in conſcientia meretrices à ſuis ſignis ejicere. Hinc Reipublicæ expedire ad majora mala vitanda, meretrices permittere, ſeù tolerare, pluribus productis, probant Rebuff. *ad Conſtitut. Regn. Francorum*, *tom.* 1. *in proem. gloſſ.* 1. *n.* 2. Garon. ad *nov. Conſtit. Mediol. lib.* 4. *tit.* 15. *de Meretric. & Leoni. art.* 1. *num.* 1. *& ſeqq.* & alii ſumme extollentes prudentiam Legiſlatoris, minores permittentis legis transgreſſiones, ut majores caveantur. Additur, humanum regimen, quod à divino regimine derivatur, debere ipſum imitari, ut docet D. Th. 2. 2. *q.* 10. *art.* 11. in corp. Quis neſceat, Deum, quamvis ſit omnipotens, & ſummè bonus, permittere tamèn aliqua mala fieri in Orbe terrarum, quæ prohibere poſſet, ne, eis ſublatis, majora bona tollerentur, ut notat Doctor Angelicus *loc. prox. cit.* vel etiam pejora mala ſequerentur?

3 Non tamèn reprobamus ſententiam nobis contrariam, quæ videtur eſſe Homoboni *de hum. vit. ſtatibus* Luc. de Pen. ab eo allegati in *l. Sicut* 4. *Cod. de erogat. Militar. Annon. lib.* 12. & aliorum, huic fundamento innixorum; quia Duces conſtituuntur Militum Superiores; idcircò in conſcientia tenentur ex officio illos continere in militari diſciplina, quam maximè laxari, imo convelli ex Militum converſatione cum meretricibus,

bus, habetur ex Veget. *lib.3.de re militar.* probante, luxuriâ Milites, quos fortes expedit eſſe, admodùm enervari, atque effæminari; & fœminarum fugâ fortiones effici, atque conſervari. Hinc apud Gallos hanc, intèr cæteras, Militiæ legem reperiri, quâ præcipitur Auditoribus Exercituum expellare à Militum comitatu Meretrices, ſcribit Petr. Gregor. Toloſa. *loc. cit.* & caſtra à caſtrando dicta eſſe, quòd Milites, ut fortes ſint, aptioreſque ad res bellicas, honeſtè, & caſtè vivere debent, notant Doctores ſuperiùs allegati, & approbat Ceſpedes *loc. cit.* Non immeritò igitùr, Meretrices, quæ malis moribus imbutæ ſunt, malèque vivunt, ab honeſtâ viciniâ poſſe expelli, ne inficiant mores vicinorum probos, vult Textus in *l. Non alitèr, ff. de uſu, & habit.* & tradit Lucas de Pen. in *l. Si qua, Cod. de ſpect. lib.* 11. Petrus Gregor. Toloſ. in *Syntag. jur. univerſ. lib.*4. *cap.*24. *nu.*10. Animadvertimus tamèn, ut poſſint Meretrices à vicinia, in quàprobæ perſonæ vivunt, expelli, tria debere concurrere; Primum, quòd conſtet de vita inhoneſta, & meretricia; Secundum, quòd in vicinia, & domo meretricis habitare ſolitæ ſint perſonæ honeſtæ; Tertium, quòd inſtantia proveniat ab his, qui habent jus agendi pro ejectione: Ita nos docent Ric. *dec.* 63. *par.*1. & *dec.* 529. *par.* 4. & Themund. *dec.* 212. *num.*2. & alii, quos producit doctiſſimus Amicus meus Advocatus Urſaya in *Inſtit. Crim. lib.*2. *tit.*7. *num.*96. & 97.

4 Dignentur itaque, qui inhumano regimine præſunt, has duas ſententias perpendere, ut valeant, illam ad praxim deducere, quam eorum muneri, Subditorumque conſcientiis, atque Reipublicæ Bono magis expedire judicaverint. Sciantque propterea rectè ſe gerere, ſi aliqua mala tolerant, ne mala pejora contingant, ut docet, præter Scribentes allegatos, Card. Turrecrem. in *d. Capit. Duo mala*: Neve rectitudinem amittere, ſi ſecùs ſe gerant, nempè, ſi nulla mala permittant, ut videant Bona, videlicèt Chriſtianas virtutes elucеſcere, quæ Animæ ſunt ornamentum, ſeù, quæ ſunt quaſi picturæ, ut loquitur S. Amb. relatus in *Cap. Illa Anima, de pœnit. diſt.*2. ad Animæ ornamentum: Nam — illa Anima, inquit Textus, à Deo pingitur, „ quæ habet in ſe virtutum gratiam renitentem, ſplendoremque pietatis. Illa Anima benè picta eſt, in qua elucet divinæ „ operationis effigies: Illa Anima benè picta eſt; in qua eſt „ ſplendor gloriæ, & paternæ

imago

„ imago ſubſtantiæ, ſecundum
„ hanc imaginem, quæ refulget,
„ pictura pretioſa eſt. Ideòque S.
Auguſtinus, aùt quiſquis ſit Au-
thor *ſermonum ad Fratres in*
Eremo cupiens hujuſmodi pi-
cturâ pretioſâ, videlicèt virtuti-
bus, præſerrim caſtitate, Animas
exornari, ſubdit *tom.* 10. *ſerm.*
67. *lit.C. col.*2. *pag. mibi* 750.
libidinem eſſe omninò extin-
guendam, quia -- Fornicatio
„ urget Animam ad pœnam; Ca-
„ ſtitas levat Mortalem ad Glo-
„ riam. Caſtitas erigit iter ad Cœ-
„ lum; Luxuria facit ruere in
„ infernum. Caſtitas jungit homi-
„ nem moribundum Sanctis, &
„ Angelis perpetualibus; Forni-
„ catio ſociat Satanæ, & Dæmo-
„ nibus. Hinc S. Doctor *tom.* 5.
lib. 1. *de civit. Dei*, *ad Mar-*
*cellinum,cap.*15. *pag. mibi*, 11.
col. 1. *lit. A.* in favorem hujus
poſterioris ſententiæ, ſubdit --
„ Sit igitur in primis poſitum,
„ atque firmatum, virtutem,
„ quâ rectè vivitur, ab Animi Se-
„ de membris corporis imperare,
„ ſanctumque corpus uſu fieri
„ ſanctæ voluntatis; ac ſi dicat,
Animam eſſe virtutibus exor-
nandam, ut valeat illecebras
corporis, quibus ipſa fœdatur,
aſſiduè abhorrere.

5 Ad extinguendam libidinem,
quá fortiores efficiuntur debi-
les; quâque Chriſti Aſſeclæ in
libertatem vocati, *ad Gal.cap.*5.
*verſ.*23. in ſervitutem diaboli
rediguntur -- Nihil eſt enim,
„ inquit S. Amb. quod tàm miſe-
„ rè ſervituti ſubjiciat hominem,
„ quàm libido, *to.*1. *lib.de Noe,&*
*Arca,cap.*9. *lit.*E. *pag. mibi* 138.
Et ad conſervandam Caſtita-
tem, quam enixim extollit S.
Aug. quâque homines ad An-
gelorum conditionem aſcen-
dunt, ut notat S. Amb. *tom.*4. *de*
Virginib. lib. 1. circa fin. *lit. B.*
*pag.*348. dicens -- Caſtitas etiam
Angelos facit; qui eam ſerva-
vit, Angelus eſt, qui perdidit,
diabolus, quâque membra no-
ſtra Templum Spiritus Sancti
conſtituuntur, 1. *Cor. cap.*6.
*verſ.*19. plura, & quidèm vali-
da à Theologis, Animarumque
Directoribus ſuppeditantur re-
media. Illud tamèn, quod præ
cæteris validius mihi apparet,
crebram eſt fœminarum con-
verſationem effugere, S. Claræ-
vallenſi Abbate me admonente,
nequire humanam fragilitatem
cum hujuſmodi converſatione
abſque lapſu diù permanere
dùm *ſerm.* 65. *ſuper Cantic. lit.*
*M. pag.*760. dicit -- Cum fœmi-
„ na ſemper eſſe, & non cogno-
„ ſcere fœminam, non nè plus eſt
„ quàm mortuum ſuſcitare? Sæ-
pè familiaritas, ſubdit Melli-
fluus Doctor, *ſerm.*58. *de modo*
bene vivendi, poſt initium, *pag.*
1301. vincit, quos vitium ſupe-
rare non potuit. Hinc S. Hiero-
nymus in *Epiſt.*22. *ad Euſto-*
chium, de cuſtodia virginitatis,

poſt initium, *lit. E. p.*48. Euſtochio ſuadens promptam humanæ converſationis fugam, eam ſic affatur -- Si Apoſtolus, vas
„ electionis, & ſeparatus in Evan-
„ gelium Chriſti, ob carnis acu-
„ leos, & incentiva vitiorum, re-
„ primit corpus ſuum, & ſervituti ſubjicit, &c. Si poſt nuditatem, jejunia, famem, carcerem, flagella, ſupplicia, in ſemetipſum reverſus, exclamat -- *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus*, tu te putas
„ ſecuram eſſe debere? Et S. Bernardus Virginem quamdam erudiens ad ſui virginitatem illæſam ſervandam, ei ſic loquitur *loc. cit.* -- Soror mihi in
„ Chriſto dilecta, moneo te, ut
„ vir quamvis ſit ſanctus, nullam
„ tecum habeat familiaritatem
„ &c. Ne viſitandi familiaritate
„ utriuſque pereat Caſtitas, ne
„ videndi frequentatione utriuſ-
„ que annihiletur honeſtas &c.
„ Sæpè occaſio peccandi volun-
„ tatem fecit, & facit. Quæ ſanè cuncta in illis paucis Eccleſiaſtici Verbis *cap.* 3. *verſ.*27. comprehenduntur, *Qui amat periculum, in illo peribit*, ſicut enim, hunc Textum explanans Cornelius à Lapide, dicit, Milites pugnantes, qui amant bellum, in ejus periculis, & præliis pereunt &c. Sic qui amant rem quampiam, cui ſubeſt periculum peccati, v.g. conſortium fœminarum, in eo communitèr pereunt, quia cadunt in peccatum, & exitium, cujus erat periculum, in quod ultrò ſe conjecerunt, nec ab eo etiam admoniti ſe abduxerunt: ſic ille. Nemo igitur miretur, ſi Sanctus Bernardus *loc. cit.* dixerit -- Decidet à charitate Dei, qui occaſionem dederit peccandi: Decidet etiam à charitate proximi, qui occaſionem præbuerit malefaciendi, quia etſi malè non facit opere; tamèn opinionem peſſimam nutrit. Debent itàque Confeſſarii ſuorum Pœnitentium converſationem, de qua ſe accuſant, perpendere, & percipientes in ea ſempèr, aùt ſæpè opere, verbo, aùt deſiderio lethalitèr peccare, ſciant ſe carere facultate eos, uti in occaſione proxima conſtitutos, abſolvendi, ſi nolint hujuſmodi occaſionem deſerere, & contrariam opinionem fuiſſe ab Innoc. XI. s. m. proſcriptam, quæ eſt. *Poteſt aliquando abſolvi qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt & non vult omittere: quinimmò directè, & ex propoſito quærit, aùt ei ſe ingerit.*

LAUS DEO, ET DEIPARAE, ATQUE CHRISTIANAE FIDEI PRINCIPIBUS PETRO, ET PAULO.

TA-

TABULA

Variarum propoſitionum à S. Sede damnatarum, quæ hìc apponuntur eo ordine, quo propriis locis in volumine ſunt diſpoſitæ, oppugnatæ, & rejectæ, & à quo Pontifice, vel in quo Concilio fuerunt damnatæ.

Damnata in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. VIII.

AD matrimonii eſſentiam neceſſariò requiritur copula carnalis, vel ſaltém conſenſus expreſſus in copulam carnalem, nu 80. pag. 182.

Damnata ab Alex. VII. in ordine 26.

Quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles poteſt, Judex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio, num. 90. pag. 186.

Damnata ab Alex. VII. in ordine 27.

Si liber ſit alicujus junioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dùm non conſtat rejectam eſſe à Sede Apoſtolica tanquàm improbabilem, num 91 pag. 187.

Damnata ab Innoc. XI. in ordine 1.

Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore, niſi &c. n. 14. pag 235.

Damnata à Leone X. in ordine 34.

Præliari adversùs Turcas eſt repugnare Deo viſitanti iniquitates noſtras per illos, num 23. pag. 287.

Damnata ab Innocentio XI. in ordine 2.

Probabilitèr exiſtimo, Judicem poſſe judicare juxtà opinionem etiam minùs probabilem, num 15. pag. 369.

Damnata ab Alex. VII. in ordine 18.

Licet interficere falſum Accuſatorem, falſos Teſtes; ac etiam Judicem, à quo iniqua certò imminet ſententia; ſi aliâ viâ non poteſt Innocens damnum evitare, num. 3. pag. 386.

Damnata ab Innoc. XI. in ordine 30.

Fas eſt Viro honorato occidere Invaſorem, qui nititur calumniam inferre; ſi alitèr hæc ignominia vitari nequit, ibidem.

Damnata ab Innoc. XI. in ordine 32.

Non ſolùm licitum eſt defendere defenſione occiſiva, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus, num. 13. pag. 405.

Damnata ab Innoc. XI. in ordine 33.

Licitum eſt tàm Hæredi, quàm Legatario contrà injuſtè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe alitèr defendere, ſicut & Jus habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum poſſeſſionem injuſtè impedientem, num. 13. pag. 405.

Damnata ab eod. Innoc. XI. in ordine 31.

Regularitèr occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei, num. 13. pag. 406.

Damnata ab Innoc. XI. in ordine 61.

Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima occiſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere; quinimmò directè, & ex propoſito quærit, aùt ei ſe ingerit, num. 5. pag. 434.

IN.

INDEX
RERUM, ET VERBORUM
LOCUPLETISSIMUS.

Primus numerus eſt marginalis: Secundus indicat paginam:

A

ABſolutio à caſibus reſervatis: Vide *Confeſſarius*.

Achatolici dicuntur Chriſtiani, ſed non ſunt de Fidelium Republica, num.11. pag.281.

Actio rei furtivæ cui competat, numer.29. p.327.

Advocato nùm liceat patrocinari cauſas cum dubio circa jus Clientis, num.26. p.314.

Aggreſſor an poſſit præveniri, & interfici, num.1. & ſeq. p.385.& ſeq.

Alchimiæ etymologia quæ ſit, nu.1. p.327. Unde hæc vox ortum habuerit, & quo tempore, num.eod. p.328. An hac arte ex non auro poſſit fieri aurum verum, num.3. p. ead. & ſeq. Auri artificialis proxima materia quæ ſit, num.4.p.329. Artem Aurifactoriam pertinere ad quamdam Magiæ ſpeciem, ſenſus eſt aliquorum, num.5. p. ead. Reſponſum diaboli cuidam petenti conſilium circa modum ſe gerendi in hac arte, ibid. Experientias in hac arte conficere nùm liceat, n.6. & ſeqq. p.330. & ſeqq.& nu.20. & ſeqq. p.335. Nocumenta ab hujuſmodi arte plura naſcuntur, nu.11. p. 332. Hujus artis Libros juſſit Diocletianus comburi, & quare, num.12. p.ead. & ſeq. Hanc artem exercere in Anglia fuit interdictum ſub pœna capitis, num.12. p.333. Aurum alchimiſticum non poteſt vendi pro auro vero, vide *Aurum*: neque poteſt adhiberi in medicamentis, num.18. pag.334. neque ad monetarum mixtionem, num.19. p. ead. Hanc artem exercentes facillimè decipiuntur à Dæmone, num. 21. p. 335. incurrunt notam ſuperſtitionis, num.22. p.eâd. Alchimiæ uſus nullibi debet permitti, num.23. p.eâd. & quare, num.eod. p.336.

Alexandri VIII. diſpenſatio facta Conſtituto in Ordine Subdiaconatus ad Matrimonium contrahendum, numer.43. p.159.

Altaria an remaneant polluta, pollutâ Eccleſiâ, num.20. p.196.

Altare duplex eſt, portatile, & fixum, num.1.

num. 1. pag. 200. Appellatur Viaticum, ibid. Dicitur Ara Sacra, ibid.
Altare conſecrare ſoli convenit Epiſcopo, num. 6. p. 203.
Altare portatile nùm poſſit conſtare ex duobus lapidibus, num. 8. & ſeqq. p. 204. & ſeq. Quantæ magnitudinis debeat eſſe, num. 13. p. 206.
Altaris Myſterium in quo conſiſtat, num. 12. p. 205. An in ejus conſecratione requiratur Reliquiæ, n. 14. & ſeqq. p. 206. & ſeq. Quando deſinat eſſe Sacrum, num. 17. & ſeqq. p. 208. & 209. Non eſt conſecrandum, ſi non eſt lapideum, num. 22. pag. 209. Ejus conſecratio ſpectat ſolùm ad Epiſcopum, nu. 25. p. 210. Hujuſmodi conſecrationem non poteſt Epiſcopus alteri delegare, ibid.
Altaris portatilis uſus eſt licitus Epiſcopo in propria Diœceſi, in propria domo, num. 29. p. 211.
Altare ſivè fixum, ſivè portatile, non poteſt ſine Reliquiis conſecrari, non obtentâ licentiâ Summi Pontificis, num. 34. p. 214.
Altare quid ſit, & an differat ab Ara; & ejus etymologia, num. 35. p. 215.
Altare portatile an gaudeat privilegio Immunitatis Eccleſiaſticæ, num. 36. p. eâd.
Amicitia ex pluribus efficit unum, num. 17. p. 283. & ſeq.
Animalia reputantur pro fructibus agri, num. 1. p. 429.
Apoſtatæ regulares debent ab Exercitu expelli, num. 1. p. 397. & ſeq. Eos tenentur Superiores Religionum inquirere, num. 2. & ſeq. p. 398. Reipublicæ ſunt admodùm nocivi, num. 4. p. 399. Sunt variis pœnis puniendi, ibid. Hujuſmodi punitionis exemplum, ibid. Si ſunt Sacerdotes, an poſſint in exercitu quandoque tolerari, nu. 5. p. eâdem.
Appellatio quando ſit admittenda, num. 56. & ſeq. p. 169. Ejus cauſam quis debeat cognoſcere, num. 58. pag. 170.
Archiepiſcopus non poteſt extrà ſuam provinciam pallio uti, nu. 46. pag. 67.
Ars notoria quid ſit, num. 20. p. 323. Non licet ejus obſervationibus inquirere ſcientiam, ibid.
Articuli pacti intèr Deputatos Berlemontii, & Vicarios Archiepiſcopatus Mechlinien, qui ſint, & quot ſint, num. 10. p. 7. & ſeq.
Auditor generalis requiritur in quovis exercitu, num. 1. p. 291. Soli Duci ſubeſt, num. 3. p. 292. In omnes militiæ Officiales animadvertit, ibid. Quo modo liceat ei procedere in cauſis militaribus, ibid. Poſt eum adſunt in exercitu alii Auditores particulares, num. 4. p. 292. Quæ poteſtas in Milites delinquentes iiſce competat, num. 6. p. 293.
Aurum alchimiſticum non poteſt vendi pro auro vero, & quare, n. 17. & ſeqq. p. 334. & ſeq. Non licet eo uti in medicamentis, num. 18. p. eâd. Eo ad monetarum mixtionem utentes, committunt crimen Monetarii, num. 19. p. 334.

B

Baratteria quid ſit, & quando dicatur commiſſa, num. 24. p. 359.
Bellum quibus in caſibus ſit juſtum, num. 3. p. 278. Debet moveri contra Turcas à Principibus Chriſtianis, quando adversùs aliquem eorum arma ſumunt, num. 6. p. 280. & ſeq. In Sacris Litteris præcipitur, num. 25. p. 288. Juſtè movetur contra Turcas, & eorum Fautores, num. 27. p. eâd. Contra Turcas non ſolùm licitum eſt, ſed etiam meritorium, num. 30. p. 289. Quicunque movet bellum contra Turcas, varia privilegia obtinet, num. 31. p. eâdem.

p.eàdem. Quare bellum contra Infideles vocetur ſacrum, ibidem. Quomodo ſit indicendum, num.31. pag. 290.
Bellum, quando non eſt juſtum, parit obligationem reſtituendi, quæ in eo acquiruntur, num. 11. p. 354. Quando dicatur juſtum, num.1. p.418. & num.2. p.419.
Beneficium Principis eſt latiſſimè interpretandum: Vide *Princeps*.
Bona fides requiritur ad præſcriptionem: Vide *Præſcriptio*: Quid ſit, num.5. p.363. Quando dicatur eſſe, ibid. Quando deſinat eſſe nu.14. pag. 369.
Bona naufragantium pluribus juribus defenduntur: Vide *Navis*.
Bona in bello injuſtè acquiſita fuere à Romanis antiquis eorum dominis reſtituta, num.11. p.354.
Bona empta ſcientèr ab injuſtis Deprædatoribus non poſſunt in conſcientia retineri, num.20. p.357. Empta cum dubio fuiſſe furto ſublata an poſſint retineri, num.6. & ſeqq. p.364. & ſeqq. Empta bonâ fide, & poſteà adveniente dubio fuiſſe furto ſublata, an poſſint vendi, vel donari, num. 25. pag.374. Quando dubium eſt æquale quid ſit agendum. Vide *Dubium*.
Bona Eccleſiaſticorum nullatenùs poſſunt tangi à Poteſtatibus Laicis inconſulto Summo Pontifice, num.5. & ſeqq. p.425. & ſeqq. & num.1. pag. 428.
Brevia Pontificia conceſſa Capellanis Majoribus Exercituum plura ſunt, & quæ ſint, num.3. p.2.& ſeq. A Sede Apoſtolica cum ſumma circumſpectione conceduntur, num.7. p.5. Conceſſa à Clemente XI. Capellano Majori Exercitus quid ſpecialiùs contineant, num. 16. p.34. Quatuor ſunt, & per extenſum producta, à pag.264. uſque ad p.277.
Breve Innoc. X. conceſſum Philippo Hiſpaniarum Regi pro ſuis Exercitibus, num.1. p.220. Aliud ejuſdem Papæ conceſſum Ludovico Francorum Regi, p.223. & aliud ejuſdem conceſſum Ferdinando Imperatori, p.225.
Brevia Pontificia continent exceptionem plurium caſuum, & ji, qui ſint, num.2. p.244.
Breve quid dicatur, num.1. p.252. Quomodo formetur, ibid. In eo apponitur Annulus Piſcatoris, n eod. p.253. Quando hæc conſuetudo inceperit, ibid. A quo Pontifice incœpit, ibid. Per quid differat à Bulla, num.2. p. eàd.
S. Bruno Aſtenſis Epiſcopus Signiæ inſurgit contra privilegium conceſſum Henrico IV. Imperatori, numer.33. p.62.
Bullæ Papales, quæ dicantur, numer.2. p.253.

C

Canones, quibus antiquitùs gravia crimina puniebantur ampliùs non ſunt in uſu, nu.56.p.108. Et ji, qui ſint, ibid.
Canonici, qui infirmitate impediti in Choro non cantant, nùm debeantur diſtributiones, num. 2. p.392. & ſeq.
Capellani Majores Exercitus qui ſint, num.3. p.2. An habeant facultatem abſolvendi immediatè à S. Sede, num.4. p.4. An poſſint indulgere Regularibus, ut poſſint ſepelire Milites in eorum Eccleſiis, n.21.p.21. Quis propriè dicatur Capellanus Exercitus, num.8. p.31. Ejus juriſdictio delegata quanto tempore duret, ibid. Debet eſſe Juriſperitus, & in aliqua dignitate conſtitutus, & aliis qualitatibus præditus, ibid. Ejus juriſdictio extenditur ad eos, qui ſunt extrà Diœceſim Ordinarii, num.15.

num.15. p.33. Vide *Delegatus*.
Capellanus Major ad Epiſcopatum electus non amittit juriſdictionem ſibi commiſſam, num. 43. pag. 67. Eam deperdit, bello ceſſante, ibid. num.44. An poſſit aſſiſtere Matrimonio Militum vigore conceſſionis generalis, num. 4. & ſeqq. p.134. & ſeqq. An poſſit adminiſtrare Militibus in Præſidiis degentibus Sacramentum Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Extremæ Unctionis; & eorum matrimoniis aſſiſtere cujuſcunque Nationis ſint, num.16. p.139.
Carolus Burgundiorum Rex juſſit quemdam ſuſpendi ob furtum unius gallinæ, & quare, num.22. p.373.
Caſus omiſſus relinquitur diſpoſitioni juris, num.4. p.15.
Caſus à quo dicatur, num.19. p.82. Quid ſignificet, ibidem. Quare dicatur reſervatus, num.19. p.83.
Caſus ſex Papæ reſervati in Urbe, qui ſint, num.21. p.84.
Caſus habens Epiſcopo reſervatos, impeditus adire Epiſcopum, nùm poſſit abſolvi à Parocho, num.44. & ſeqq. p.99. & ſeq.
Caſus notabilis in materia venditionis, & emptionis, num.28. p.377.
Caſtitas magnum Animi ornamentum, num.4. p.433. Quo modo ſit conſervanda, num.5. p.eâd. & ſeq. Deperditur frequenti fœminarum converſatione, ibid. Extollit homines ad conditionem Angelorum, ibid. Præcipuum remedium ad eam conſervandam quale ſit, ibid.p.434.
Cauſæ juſtæ diſpenſationis matrimonialis quæ ſint, num.49. p.165. An eorum cognitio debeat eſſe judicialis, n.50. & ſeq. p.165.& ſeq.
Cauſa Patriæ eſt potior cauſâ Parentum, num.11. p.308.
Celeres apud priſcos Romanos, qui dicebantur, num. 1. p.395.
Cœmeterium an remaneat pollutum, pollutâ Eccleſiâ, num.18. p.185.
Clauſula — *Ad beneplacitum noſtrum*, quid importet, num.6. p.229.
Clemens XI. eligit in Nuncium Apoſtolicum apud Joſephum Romanorum Regem, & Imperatorem electum, Archiepiſcopum Nazarenum, num.7. pag.47. Approbat Decretum S. Congreg. de Propaganda fide, quo debent examini ſubjacere, qui inſtant, ut ad Miſſiones mittantur, nu.8. pag.76. Ejus Decretum circa ſex Caſus in Urbe reſervatos, num.21. pag.85. Quatuor ejus Brevia per extenſum relata concernentia facultates Delegatorum Caſtrenſium, à pag.264. uſque ad p.277. Primum ad Humbertum Guillelmum Archiepiſcopum Mechlinien, pag.264. & ſeq. Secundum ad eumdem Archiepiſcopum p.267. & ſeq. Tertium ad Julium Archiepiſc. Nazarenum Nuncium apud Joſephum Imparatorem, pag. 271. & ſeq. Quartum ad eumdem Archiep. Nuncium apud eumdem Imperatorem, pag. 274. & ſeq.
Clerici conveniendi domicilium, ubi ſit, num.7. p.30. A quo Judice ſit judicandus, num.10. p. 31. Eum percutiens, à quo poſſit abſolvi, num. 71. p. 115. Contra Laicum agens perſonali aùt reali actione debet ad ejus proprium Judicem illum trahere, num.27. p.302. Agens contra Clericum, ad quem Judicem debet cauſam deferre, nu.28. p. eâd.
Clerici negotiatores an gabellis ſubjaceant, num. 3. & ſeq. p. 374. & ſeq. Vi jurium non poſſunt cogi ad hoſpitandum Milites neque in domo, ubi habitant, neque in eorum ædibus, ſaltèm non elocatis, nu.1. & ſeqq. p.388. & ſeqq. Incurrunt irregularitatem ſi occidunt Invaſorem quando poſſunt fugere, nu.14. p.406. An teneantur tempore belli cuſtodire Civitatem, vel Oppidum,

num.1.

num.1. p. 423. & num. 2. & ſeq. p.424. Non debent ſolvere tributa Laicis abſque licentia Papæ, nu.3. & ſeqq. p. 425. Exempla adducta in contrarium reprobantur, num.5. p. eâd. Exempla favorabilia producuntur, num. 6. p.426. Eorum Diœceſis quæ ſit: Vide *Diœceſis*.
Commentaria Archiepiſcopi Damaſceni laudantur, n.21. p.21.
Confeſſarii Exercituum ſubdelegati an habeant immediatè à S. Sede facultatem abſolvendi, num.4.pag.4. Non poſſunt Militum Confeſſiones audire, niſi ſint ab Ordinario approbati, num.1. p. 72. Quâ ſapientiâ debeant pollere, num.1. p.73. Debent per examen probati, & quare, num. 2. p. eâd. Debent à Duce exercitus elegi in Confeſſarios Exercitus Viri ſufficientes, ibid. num.3. Eorum idoneitas unde ſumenda, num.7. pag. 75. Nùm debeant pollere ſcientiâ eminenti, num.14. pag. 79. Quid agere debeant quando ſunt perplexi in caſuum contingentia, ibid. Ut rectè eorum munus exerceant, quid teneantur ſcire, nu.21. p.84. & n.23. p.88. & num.33. p.94. & nu.34. & ſeqq. p.96. & ſeq. Quæ ſint, quæ non tenentur ſcire, num.22. p. 87. quando dubitant an caſus ſibi expoſitus ſit reſervatus, quid agere debeant, num.24. p.89. An poſſint abſolvere à caſibus reſervatis ignorantes reſervationem, n. 33. p.94.
Confeſſarii regulares virtute privilegiorum, & ſæculares vigore conceſſionum nùm poſſint abſolvere à Caſibus S.Sedi reſervatis, num.45. p.99.& & n.49.& ſeq.p.100.& ſeq.
Confeſſarii debent cautè procedere interrogando circa materiam ſexti præcepti, & quare, num.51. p.106. In pluribus debent exercere prudentiam, num.52. & ſeqq.p.107.& ſeq. & num.58. & ſeqq. p.109. & ſeq. Tenentur ſcire regulas communes, & hæ quæ ſint, num. 62. p.112. Quandoque poſſunt abſolutionem impertiri audito uno peccato tantùm, aùt peccatis in genere auditis; & in quibus caſibus, num.66. pag.113. Quid agere debeant quando reſervatio caſuum eſt ambigua, ibid. num.67. Privilegiati, ut ſunt Mendicantes, à quibus caſibus poſſint abſolvere, num.69. pag. 114. Graviſſimè peccant abſolventes à reſervatis, ſi non habent facultatem, num. 70. p. 115. Non levitèr peccant, ſi acceptant hujuſmodi munus, noſcentes ſe non habere ſcientiam ſufficientem, nu.73. p.116. Audientes Confeſſiones Sacramentales ſine approbatione Ordinarii gravitèr delinquunt, nu.74. pag. 117.
Confeſſarii cuncti debent per Epiſcopum approbari, num. 1. pag.119. Eis prætèr ſcientiam, & idoneitatem competit juriſdictio, n.2. p.120. Ut ſint idonei quid requiratur, n.3. p.eâd. Approbati in una Diœceſi an poſsint in aliena Diœceſi audire confeſsiones, nu.5. & ſeqq. p.121. & ſeqq. Approbati ab uno Ordinario, an poſsint ab ejus Succeſſore iterùm examinari, num.7. & ſeqq. p.122. & ſeqq. Approbati à Summo Pontifice an cenſeantur ubique locorum approbati, num.16.p.125. Approbati Romæ an teneantur ſubjacere Epiſcoporum examini, ibidem.
Confeſſarius reprobatus poteſt appellare à gravamine Examinatorum, num.20. p.127. Qui abjuravit de vehementi, non poteſt ampliùs admitti ad exercendum munus Confeſſarii, num.21. p. eâd. Approbatus ad audiendas confeſsiones Virorum, non poteſt audire confeſſiones Mulierum, num. 22. p.128. Nulli Sacerdotum competit juriſdi-

dictio actualis audiendi confeſsiones Sacramentales ante debitam approbationem, ibid. num.23.
Confeſſariorum approbatio intelligitur relativè ad perſonas ſæculares, num.25. pag.eâd.
Confeſſarii regulares debent obedire Ordinario volenti eos examinare, & quare, num.26. p.130.
Confeſſario Cæſareæ Majeſtatis variæ communicantur facultates,num.22. pag. 241.
Confeſſariorum Caſtrenſium facultates quomodo ſint intelligendæ, n.5. & ſeq. p.245. & ſeqq. Hi ſi abſolvant non ſervatâ diſpoſitione Brevium, peccant mortalitèr, nu.r1. p.248. & ſeq. Eorum abſolutio per ſe eſt nulla, num.12. p.249. Illam recipientes an poſsint ſalvari, & ad quid teneantur, ibidem.
Confeſſarii quomodo ſe gerere debeant cum Pœnitentibus Arti aurifactoriæ incumbentibus, num.24. p.336. Tenentur admonere Pœnitentem ignorantiâ laborantem,n.5. p.338. An quando ignorantia Pœnitentis eſt invincibilis, ad talem admonitionem ſint obſtricti, nu.6. & ſeqq. p.339. & ſeqq.
Confeſſarius, ſciens bellum eſſe injuſtum, an teneatur admonere militem ſuum pœnitentem in eo ignorantiâ invincibili pugnantem, nu.6. & ſeqq. p.339. & ſeqq.
Confeſſarius debet admonere ſuum Pœnitentem quando ex conſcientia erronea putat aliquid eſſe peccatum, quod non eſt, num.23.p.347.
Confeſsiones Militum, factæ Confeſſariis non approbatis pro exercitu, ſunt nullæ, num.17. p.126.
Confeſsiones audiens Sacerdotio minimè initiatus, eſt denunciandus S. Officio, num.24. p.129.
Controverſia intèr Ordinarium Locorum, & Capellanos Majores Exercitus, antiqua eſt,num.1. p.1. Ejus fundamentum quale ſit, ibidem, & pag. ſeq.
Correptio quid ſit, num.2.p.337.quo jure ſit præcepta, ibid. Ejus materia ſufficiens quæ ſit, num.3.p.338. Quotuplex ſit, num. 4. p. eâd. Ad quem ſpectet corrigere, ibid.Quando ſit facienda correptio,num.7. & ſeqq. p.339. an ſit facienda quando fructus non ſpectatur, num.13. & ſeqq. p.342. & ſeqq. Debet eſſe quandoque mitis, & quandoque aſpera, num. 17. p. 344. Quando delictum invincibilitèr ignorans delinquens nùm ſit corripiendus,ſeù admonendus,ſi grave timetur ſcandalum, ibid. & num.21. p.346. Ad eſſentiam correptionis tantùm requiritur ſpes probabilis fructus, num.19.p.345. Finis, per quem poteſt differri correptio,qui ſit, nu.22. p.346.Qui teneantur corrigere delinquentes, num. 24. & ſeqq. pagina 345. & ſeq.
Crimina occulta, quæ ſciuntur ſub ſigillo naturali; aùt ſub juramento ea tacendi,an poſsint aliquando detegi, num.21. p.312.

D

David duxit in uxorem uxorem Uriæ interfecti, num.71.p.177.
Decima animalium eſt ſolvenda Parochiæ; in qua pariunt,nu.1.p.429.
Decretum Sac. Congregationis Concilii circa tenorem Brevium Pontificiorum, num.9. p.17. & num.10. & ſeqq. p.18.
Decretum Sac. Congregationis de Propaganda Fide circa Miſsiones Apoſtolicas,& inſtantes ad eas mitti, num.8. p.76.
Decretum Clementis XI. circa ſex caſus in Urbe reſervatos, num.21. pag. 85.
Decreta Congregationum circa abſolu-

lutionem à reſervatis,num.45.p.99.
Decreta varia circa approbationem Confeſſariorum Regularium ad Confeſsiones, nu.28. p.130. & ſeq.
Decreta plura Sac. Congr. Concilii circa materiam matrimonialem, nu.12. & ſeqq.p.138. & ſeq. uſque ad p.141.
Decretum de Miſſæ celebratione in Oratoriis privatis, num.37.p.217.
Defendere ſe, & res ſuas. quando ſit licitum, num. 5. & ſeqq. p.401. & ſeqq.
Defendere Conjunctos, & Extraneos contra quemcunque invadentem, nùm cuilibeat liceat, nu.15. p.406.
Defendere ſe nolens, ſed permittens ſe interfici, nùm peccet, num. eodem, p.407.
Defendi debent oppreſsi, n.18.p.384.
Defenſio quando dicatur inculpata, num.8. p.403. & ſeq.
Delegatio in quos exerceatur: Vide *Iuriſdictio*. Quando poſsit exerceri, num.6. p.5. Vim habet quando Milites reperiuntur in actuali expeditione, num.3. p.14. Facta Dignitati nùm tranſeat in Succeſſorem, num.20. p.36. Non expirat, nu.28. p.40. Facta cuivis Judici, expreſſo proprio nomine, ipſo mortuo, expirat, ibid. Re integrâ, poteſt revocari, ibid. Quibus modis terminetur, ibid. An poſsit prorogari, ibidem.
Delegato Exercitus quæ facultas concedatur, num.3. p.4. & num.5.pag. eâd. Ei non competit jus conoſcendi ultrà comprehenſa in Reſcripto, num.5. p.15. Ejus juriſdictio quanto tempore duret: Vide *Reſcriptum*. Non ſe extendit ultrà ſuum Territorium, num.15.& ſeqq.p.20. Ejus delegatæ juriſdictioni non debet inferri præjudicium, n.21.p.21.
Delegatus Papæ, an poſſit alteri vices ſuas committere, nu. 4. p.28.
Delegatus Papæ, aùt alterius Principis, quis propriè dicatur, n.5.p.eâd.
Delegatus Papæ habet etiam juriſdictionem in illos, qui præſumunt impedire ejus juriſdictionem, ibid. p.ſeq. Poteſt citare Partes, & Contumacem punire,n.18.p.35. Quibus perſonis poſſit ſubdelegare,num.21. pag.36. Nùm poſſit in totum alteri juriſdictionem ſubdelegare, nu.22. p.37. Quas qualitates debent habere: Vide *Cappellanus Major Exercitus*. Ejus juriſdictio non ſe extendit ad perſonas Eccleſiaſticas exemptas, n.25. p.38. Nùm teneatur exequi ſententiam Delegantis, quam cognoſcit eſſe injuſtam, ibid. Nùm in cauſa ſibi à Papa commiſſa poſſit delegare ſuum Ordinarium, num.27. p.39. Nùm delinquens in cauſa ſibi commiſſa poſſit coram Judice competenti conveniri, ibid. nu.26. Poteſt compellere Subdelegatum ad acceptandam ſubdelegationem, ibid. Coactus acceptare delegationem, non poteſt recuſari, num.27. p.39.
Delegatus Exercitus an poſſit concedere Dimiſſoriales Militaribus perſonis, nu.29. p.41. An ejus juriſdictio duret, ſi exercitus tranſit in aliam regionem,ibi bellaturus,n.12. & 13. p.50. An poſſit aſſiſtere Matrimonio Militum vigore conceſſionis generalis, n.4. & ſeqq.p.134. & ſeqq. Quâ cautelâ uti debeat in cauſa matrimoniali quando res eſt dubia, nu.25. p.147. Nùm, exiſtente causâ juſtâ diſpenſandi in rebus matrimonialibus, ſit liber ad diſpenſandum, n.54. & ſeq. p.167. & ſeq. Ipſo nolente diſpenſare, an ſit locus appellationi, n.56. p.168.
Delegatus Exercitus quomodo ſe gerere debeat in cauſis matrimonialibus Infidelium ad Fidem converſorum, n.69. & ſeqq. p.178. Vide *matrimonium aliquorum*. In omnibus Exercitibus neceſſariò requiri-

tur, num. 12. p. 258. Quis eligi debeat num. 14. p. 259.
Delegati geſta ante Literarum Apoſtolicarum exhibitionem ſunt nulla, n. 17. p. 260. & ſeq.
Denunciari debet Sancto Officio audiens confeſſiones ſacramentales, qui non eſt Sacerdos, n. 24. p. 129.
Diaboli reſponſum cuidam datum, ab eo petenti conſilium, circa modum ſe gerendi in arte chimica, num. 5. pag. 330.
Dictio *perindè* quid ſignificet, n. 5. p. 4.
Dictio *tanquàm* denotat ſimilitudinem, num. 12. p. 8.
Dictio *proptèr* quid importat, num. 7. pag. 16.
Dictio *idcircò* oſtendit cauſam, ibid.
Dictio *etiam* quid dicat, nu. 3. p. 27.
Dictio *tamèn* eſt limitativa, num. 15. p. 33. Secundùm alios, eſt adverſativa, ibid.
Dictio *aùt* quomodo accipiatur, n. 5. pag. 54.
Dimiſſoriales an poſſint concedi perſonis militaribus à Delegato Exercitus, num. 29. p. 41. Quando conceduntur, an debeant dirigi Epiſcopo Diœceſano, ibid.
Diocletianus, juſſit comburi Libros Chimicorum, nu. 11. p. 332.
Diſpenſatio quid ſignificet, num. 40. p. 155. Quomodo definiatur, ibid. An ſit ſtrictè interpretanda, nu. 41. p. 156. Obtentâ in quarto gradu in ordine ad matrimoninm, nùm includat tertinm, ibid. ubi plura de gradibus conſanguinitatis.
Diſpenſatio matrimonialis reſpicit ſtylum Curiæ Romanæ, nu. 42. p. 157. & ſeq. Quid ſit exprimendum in ſupplici libello, quo ea petitur, num. eod. p. 158.
Diſpenſationem concedendi cui competat jus, num. 43. p. 159. & nu. 45. p. 163. Vide *Pontifex, Epiſcopus.*
Diſpenſatio in matrimoniis prohibitis abſque juſta cauſa, eſt nulla, n. 47. p. 164. Circa impedimenta Matrimonii valet, ſi cauſa expoſita eſt vera, num. 81. p. 182.
Diſponens an cenſeatur voluiſſe diſponere, quod potuit exprimere, & non expreſſit, num. 9. p. 248.
Divortii judicium, cognitâ falsâ causâ, debet retractari, n. 28. p. 148.
Doctoratus an neceſſariò requirat examen, n. 6. p. 75.
Doctores an gaudeant privilegiis teſtandi, quibus gaudent Milites, n. 1. pag. 407.
Domicilium quando contrahitur, n. 7. p. 30. Quando non apparet, quid agendum, ibid.
Dominorum poteſtas vitæ, ac necis in ſervos fuit correcta, n. 14. p. 296.
Dominis an ſervus teneatur in omnibus obedire, num. 17. & ſeqq. p. 298. & ſeqq.
Dubia propoſita Sacræ Congregationi Concilii ab Archiepiſcopo Mechlinien. circa res ſpirituales Exercitus, quæ ſint, num. 8. p. 17. Eorum reſolutio, n. 9. p. eâd.
Dubia circa juriſdictionem delegatam à dicta Sac. Congregatione reſoluta, num. 27. p. 57.
Dubium quomodo ſit interpretandum, n. 11. p. 137.
Dubium, quid ſit, n. 1. p. 359.
Dubium juris, & facti, quid ſit, n. eod. pag. p. 360.
Dubio ſubjacet, quod eſt magis firmum, n. 9. p. 365. & n. 20. p. 372.
Dubium ſuperveniens præſcriptioni bonâ fide inchoatæ, nùm impediat præſcriptionis continuationem, nu. 14. p. 368.
Dubium non conſtituitur formalitèr per ſcrupulum: Vide *ſcrupulus.*
Dubium practicum nùm excludat malam fidem, n. 17. p. 371.
Dubium circa rem poſſeſſam quando eſt æquale, vel inæqùale, quid ſit agendum, nu. 30. p. 377. & nu. 32. pag. 378.

Dubium eſt deponendum, ut tuta in conſcientia ſit operatio, n.33. p.378.
Dubium ſcrupuloſum quomodo ſit deponendum, n.34. p.379.
Dubius æquiparatur ignoranti, & in quo ſenſu, n.7. p.364.
Dubius ut tutiùs operetur, quid agere debeat, n.12. p.366. Vide *poſſidere*.
Duci Exercitus datur Auditor generalis pro cauſis militaribus cognoſcendis, nu.1. p.291. Habet brachium regium, ibid. Quomodo ei liceat procedere in cauſis ſivè civilibus, ſivè criminalibus, num.eod. p.292. Duci ſoli ſubeſt, n.3. p.eâd.
Dux Exercitus ſi non erat nobilis, vigore ſuæ electionis ad hujuſmodi dignitatem, ſit nobilis, nu.1. p.395. Ejus munus ad quæ ſe extendat, nu.3. p.398. Tenetur ab Exercitu expellere Apoſtatas, nu.1. & ſeqq. p.399. An teneatur expellere de Exercitu meretrices, nu.1. & ſeqq. p.430. & ſeq.

E

Eccleſia ſtatuere poteſt Fidelibus impedimenta matrimonium dirimentia, n.70. p.178.
Eccleſia violatur tempore præſertim belli, n.1. p.188. Conſecrata, in quo diſcrepet à non Conſecrata, nu.2. pag.189. Quibus modis violetur, ibid. n.3. Semel conſecrata non debet iterum conſecrari, ibid. num.4. Ejus conſecratio unde conſtet, ibid. n.5. Quando intelligatur polluta, n.6. p.190. & n.15. & ſeqq. p.194. & ſeqq. Quando amittat conſecrationem, n.7. p.191. Eam conſecrare, ad quem ſpectet, nu.9. & ſeqq. p.192. Combuſta, integris permanentibus parietibus, an indigeat reconciliatione, nu.14. p.193. Ipsâ pollutâ, an Cœmeterium remaneat pollutum, n.18. p.195. An Altaria remaneant polluta, & indigeant reconciliatione, pollutâ Eccleſia, n.21. & ſeqq. p. 196. & ſeqq. Quot, & quibus modis violetur, num.23. & ſeq. p.197. & ſeq. Quando non violetur, nu.25. & ſeqq. p.198. An ex commiſſione Epiſcopi poſſit à ſimplici Sacerdote conſecrari, nu.28. p.199. An quando ambigitur nùm ſit conſecrata, poſſit conſecrari, nu. 29. p.eâd. Combuſtis parietibus, an violetur, & indigeat novâ conſecratione, n.26. p.211.
Eccleſia trahendo Brachio Sæculari Reum morte puniendum, ſolet pro eo intercedere, n.2. p.412.
Eccleſiaſtici ſunt immunes ab omni onere Laicis impoſito, n.1. & ſeqq. p.383. & ſeq.
Edictum S. Officii circa denunciationem, n.49. p.101.
Electio alicujus in Epiſcopum quomodo debeat fieri, & quæ perſona ſit eligenda, n.73. p.116. & ſeq.
Electio viri ignobilis in Ducem Exercitus, eum nobilitat, n.1. p.395.
Emens ſcientèr res alienas, ſeù furtivas, ſit velut particeps furti, nu.23. pag. 373.
Emens bonâ fide bona, & poſteà dubitans fuiſſe furto ſublata, an poſſit illa vendere. *Vide Bona*.
Emere rem cum dubio fuiſſe furto ſubtracta, nùm liceat: *Vide Bona*.
Emere rem furtivam, an quandoque ſit licitum, n.27. p.375.
Emptio, quid ſit, n.3. p.361. Et quid requiratur ad ejus validitatem, nu. eodem, p.362.
Emptor rei furtivæ, an teneatur illam domino reſtituere ſine ſolutione pretii, n.26. p.375.
Epiſcopus nùm habeat duplicem juriſdictionem, ordinariam nempè, & delegatam, n.3. p.27.
Epiſcopus domicilii Clerici, quis dicatur, n.7. p.30. Habet juriſdictionem in omnes degentes in ſua Diœceſi,

ceſi, exceptis Regularibus, nu.13. p. 32. Non poteſt Regularium privilegia interpretari, num.54. p.70. Subjacet ultioni ſi negligit Viros idoneos admittere ad audiendas Confeſſiones, n.9.p.77. Non poteſt ſibi reſervare peccata, quæ ſunt Summo Pontifici reſervata, nu.32. p.93. Poteſt delegare Confeſſario poteſtatem ſe ipſum abſolvendi à reſervatis,& quomodo,n.72.p.115.

Epiſcopus, quis ſit eligendus, nu.73. p.116. & ſeq.

Epiſcopus debet tempore peſtis,belli, & aliorum gravium malorum præconcedere ſuos Caſus Confeſſariis à ſe approbatis,n.75. p.117. Debet Eccleſiis, nec non Exercitibus ſuppeditare viros probos, & idoneos pro Confeſſionibus audiendis, n.4. pag. 120.

Epiſcopus, qui non eſt Cardinalis, non poteſt extra ſuam Diœceſim eligere Confeſſarium non approbatum ab Ordinario, num.18. p.126. Graviter peccat,ſi eligit in Confeſſarium non idoneum, aùt ſi reprobat idoneum ex paſſione, num.19. p.127. Poteſt examinare Confeſſarios Regulares per ſuum Vicarium Generalem examinatos, & approbatos, & quare, n.27.p.130.etiam à ſe examinatos, & approbatos, ex juſta cauſa, poteſt à munere ſuſpendere,ibid.n.28. An teneatur dictam cauſam patefacere Superioribus Regularibus, n.eod. p.131.

Epiſcopus, quâ cautelâ uti debeat in cauſa matrimoniali, quando res eſt dubia, n.25. p.147. Nùm poſſit diſpenſare in aliquo matrimonio prohibitio, n.45. p.162. An exiſtente juſtâ causâ diſpenſandi in rebus matrimonialibus, teneatur diſpenſare, nu.54. & ſeqq. p.167. & ſeq. Nùm, ipſo nolente diſpenſare ſit locus appellationi, n.56. p.168. An ſit injuſtus, ſi nolit diſpenſare, quod poteſt, n.56. p.169. Quando ipſe debeat diſpenſare, ibid.

Epiſcopus quomodo ſe gerere debeat in cauſis matrimonialibus Infidelium ad Fidem converſorum, nu. 69.& ſeqq. p.178. Vide *Matrimonium aliquorum*. Nùm poſſit facultatem concedere Sacerdoti celebrandi Miſſam extra loca ſacra,n.5. p.202. Nùm ei delegare poteſtatem conſecrandi Altare, nu.25. p.210. Nùm uti Altari portatili extrà propriam Diœceſim, n.29. p.211.

Epiſcopi poſſunt à ſuis Eccleſiis abeſſe per tres menſes, n.3. p.394.

Epiſcopus poteſt ab Eccleſia axtrahere Furantem ſacram Pixidem continentem Particolas conſecratas, numer.10. p.416.

Examen requiritur ad probandum Confeſſarios. Vide *Confeſſarius*.

Examini ſunt obnoxii, qui inſtant, ut ad Miſſiones mittantur, num.8. pag. 76.

Examinatores gravitèr peccant vel approbantes ad Confeſſiones inſufficientem, vel ſufficientem reprobantes,nu.11. & ſeq. p.77. Quibus qualitatibus debeant pollere, n.12. pag. 78.

Excommunicationem an incurrat,qui legit libros prohibitos, eos non intelligens, nu.37. & ſeqq. p.97. & ſeq. An illos retinens,& non legens, hujuſmodi cenſurâ ligetur, nu.42. pag. 99.

Excommunicationem incurrunt Dantes, & Promittentes Romæ aliquid pro gratia, aùt juſtitia, n.18. p.262.

Executor merus per quid differat ab Executore mixto, n.16. p.297.

Executor Judicis nùm liceat ei obedire, ſciens ejus ſententiam eſſe injuſtam,n.16. p.298.

Exercitus benè ordinatus eſt hoſtibus moleſtiſſimus, num.24. p.300.

Exorciſtæ non licet præcipere dæmoni, ut à corpore exeat ſub pœna excom-

communicationis, num.25. p.325.
Expeditio militum, quid ſit, n.1.p.12.
Facta contra Turcas. Vide *S. Pius V.*
Expreſſum, quid dicatur, n.9. p.248.

F

Facultates Delegatorum, & Subdelegatorum non poſſunt exerceri niſi cum reſtrictione Brevium Pontificiorum, num.23. p.4. Conceſſæ Capellanis Exercitus intelliguntur quando Milites ſunt in actuali expeditione, num.3. p.14. Non poſſunt ad praxim deduci, niſi cum reſtrictione, & ad formam Brevium Clementis XI. num. 23. pag.24. Vi Brevium Pontificiorum conceſſæ nùm permaneant, mortuis Pontificibus illas concedentibus, num.7. & ſeqq. p. 230. & ſeqq. Tributæ Confeſſariis Caſtrenſibus debent intelligi juxtà diſpoſitionem Brevium, num. 5. & ſeqq. p. 245. & ſeqq.
Facultates abſolvendi à reſervatis Papæ an ſe extendant ad reſervata Ordinariis, num.15. p.251.
Federicus Imperator eximit à nota infamiæ filium denunciantem occultam hæreſim patris, n.18.p.311.
Feſtum S. Mariæ de Victoria ſub invocatione Roſarii à quo Pontifice fuerit inſtitutum, num.19. p.285.
Fideles bellantes contra Turcas variis gaudent privilegiis, nu.31. p.289.
Fides dupliciter ſumitur, n.13.p.368.
Filio nùm liceat ad impediendam ruinam Patriæ, machinari necem Patri, num.5. & ſeqq. p.304. & ſeqq. Et an occidere Patrem proſcriptum ſivè hoſtem Reipublicæ, ibid.
Filius effectus judex poteſt judicare proprium Patrem, & eum ad mortem damnare, num.13. p.309.
Filio licet accuſare Patrem de crimine læſæ Majeſtatis, num.16. p.eâd.
Filius tenetur ſuppeditare Patri proſcripto alimenta, num. 17. p. eâd. In quo caſu teneatur denunciare S. Officio Patrem hæreticum, n.18. p.310. An incurrat notam infamiæ hujuſmodi denunciatione. Vide *Federicus Imperator.*
Forma poſita in quavis diſpoſitione dicitur pluribus verbis, n.4. p.244.
Fugere an teneatur Invaſus ab Inimicis, ſi poteſt illum occidere ad ſe defendendum, num.5.& ſeq.p.401. & ſeq. & num.11. p.404.
Fundamentum controverſiæ intèr Epiſcopos, & Capellanos Majores Exercitus, quale ſit, num. 2. & ſeqq. p.1. & ſeqq.
Fur eſt duplex, manifeſtus, & non manifeſtus, & qui ita dicatur, numer.2. p.361.
Fur non ſemper dicitur ille, qui ſubtrahit alienam rem, num.27.p.376.
Fures variis pœnis meritò puniuntur, num.35. p.380. Furantes Patenas, Calices, & hujuſmodi Sacra, an incurrant excommunicationem, num.7.& ſeqq. p.415. An gaudeant immunitate Eccleſiæ, in qua furtum ſacrilegum committunt, nu.8. & ſeq. p.eâd.
Furibus ſacrilegis ad mortem damnatis non denegantur Sacramenta Eccleſiæ, nec ſepultura in loco ſacro, ſi dant ſigna pœnitentiæ, num.12. p.416.
Furtum quid ſit, num. 2. p. 360. An differat à rapina, ibid. Quæ requirantur ut furtum quis dicatur committere, num.2. p.361.
Furta committentes Milites variis pœnis puniuntur, num.22. p.372.
Furta olim fuere à Duce Militibus permiſſa, num. 24. p. 374. Extra caſus à jure militari, vel naturali permiſſos, nunc ſunt prohibita, ibid.
Furtum committitur etiam quando Dominus videt, & tacet, num.27. pag. 376.

Furti, ſeù rei furtivæ actio, cui competat, num.28. p.377.
Furtum Sacræ Pyxidis quomodo puniatur, num.1. p.412. A quo Judice, ibid.
Furtum Pyxidis Particulas conſecratas continentis eſt crimen læſæ Majeſtatis Divinæ, & hæreſis, numer.11. p.416.

G

GAbella an ſit ſolvenda à Clericis. Vide *Clerici*. Vide *Eccleſiaſtici*.
Gradus affinitatis, & conſanguinitatis de jure Divino naturali, qui ſint, num.44. p.161.
Gratia abſolutè conceſſa, in quo differat à gratia conceſſa cum limitatione, num.2. p.228.
Gratia facienda, & gratia facta, in quo differant, num.3. p.eâd.
Gregorius VII. ab Henrico Imperatore valdè vexatus, num.1. p.189.

H

HEnrico Imperatori mortem machinatur quidam homo ignotus, nu.1. pag.189.
Hæreſis merè interna an ſit Papæ reſervata, num. 27. & ſeq. pag.91. Quibus ſignis manifeſtetur, nu.30. & ſeqq. p.92.
Homicidium voluntarium eſt omni peccato horribilius ſecundum plures Scribentes, num. 60. p.110. & quare, ibid.
Hoſpitium quærere in Clauſtris Religioſorum non deberent Laici, & quare, num.3. p.389.

I

IDoneitas Confeſſariorum, in quo conſiſtat, num. 20. p. 83. & numer.49. p.101.
Ignorantia quid ſit, num.15. pag.79. Quomodo dividatur, ibid. & pag. ſeq. Nùm aliquando excuſet à culpa, num.15. p. 80. Invincibilis, & vincibilis, quæ ſit, ibid. An invincibilis excuſet à reſeruatione caſuum, num.33. p. 94. Craſſa, Affectata quid ſit, nu.18. p.371. Multa excuſat à culpa, Epiſt. ad Lect. n.9.
Imago Pietatis, Doctrinæ, Confidentię, quomodo formetur, Epiſt. ad Lect. num.20.
Impedimentum dirimens matrimonium quis incurrat, nu.71. & ſeqq. p.177. & ſeq.
Imperatores infideles, qui impoſuerunt Eccleſiaſticis tributa qui fuerint, num.8. p.427.
Incola cujus juriſdictioni ſit ſubjectus, num.10. p.31.
Indultum Concilii Conſtantienſis circa Sacramenta miniſtranda ab Excommunicatis an ſit perpetuum, & pro omnibus Fidelibus, num. 1. & ſeq. p.417.
Infidelium matrimonium nùm ſit verum. Vide *Matrimoniũ Infidelium.*
Infidelis plures habens uxores, converſus ad fidem, debet ſeparari ab omnibus, exceptâ primâ, num. 68. p.175. Ipsâ nolente converti, nùm Maritus poſsit illam dimittere, ibid. Quid agere debet, ſi repudiatâ legitimâ uxore, aliam duxit? numer.82. p.182.
Infirmitas brevis, vel longa Canonicorum, Capellanorum, quæ dicatur, num.3. p.393.
Innocentius X. & ejus Breve conceſſum Philippo Regi Hiſpaniarum, p. 220. Aliud ejuſdem conceſſum Ludouico Francorum Regi, p.223. Aliud conceſſum Ferdinando Imperatori, p.225.
Innocentius XI. & ejus Breve conceſſum P.Marco de Aviano pro Exercitu Leopoldi Imperatoris. p.226.
Inquiſitores an ſint Judices delegati, num.23.

num.23. p.37. Eorum officio, mortuo Papa, quare non ceſſat, nu.28. pag. 41.

Inſcriptio, Militibus favens, in Templo Concordiæ Romæ inventa, n.1. & ſeqq. p.396.

Interpretatio legum quomodo ſit facienda. Vide *Lex*.

Irregularitatem an incurrat, qui Aggreſſorem ex neceſsitate ad ſe defendendum, occidit, num.1. & ſeqq. p.400. & ſeq. An ſi poteſt fugere, non fugit, num.5. p.401. Eam incurrit Clericus occidendo Invaſorem ſi poteſt fugere, nu.14. p.406.

Iſraelitæ triumphant Sehon Regem Amorrhæorum, & quare, num.29. pag. 289.

Judex delegatus debet ſervare diligentèr formam delegationis, n.16. p.34. Quando ejus juriſdictio expirat, num.17. p.35.

Judex ſivè Eccleſiaſticus, ſivè Sæcularis, in quibus caſibus peccet mortalitèr, num.77. & ſeqq. p.180. & ſeq.

Judicis judicium in Reos quale debeat eſſe, num.25. p.300.

Judici competenti Militum extra res bellicas nulla juriſdictio competit in Incolas Provinciæ, nu.26. p.301. Judex ſæcularis an in aliquo caſu poſsit cognoſcere cauſam Clerici, num.eod. pag. eâd.

Judex dubitans circa ſententiam proferendam quid agere debeat. n.15. p.369. Tenetur in varietate opinionum favere Reo, num.19. p.371. In paritate rationum intèr Litigantes quomodo ſe debeat gerere, num.31. p.378.

Judex ſæcularis, cui Eccleſia tradit Reum morte puniendum, nùm poſſit requirere Acta, num. 3. & ſeqq. p.413. & ſeq.

Judex Eccleſiaſticus tradendo Judicio ſæculari Reum morte puniendum non incurrit irregularitatem, & quare, num.5. p.414.

Judex verus dicitur vir bonus. Epiſt. ad Lect. num.8.

Judicium de probabilitate opinionis in quo differat à judicio de uſu, & electione opinionis, num.2. p.390.

Julius Piazza, Archiepiſcopus Nazarenus Nuncius Apoſtolicus apud Imperatorem, ad Purpuram aſſumptus, num.3. p.3.

Juriſdictio conceſſa Delegato, qualis ſit, num.6. pag.4. In quos exerceatur, ibid. An ſit voluntaria, & contentioſâ, ibid. Brevium diſpoſitione limitatur, num.7. pag. 5. Extrà Territorium non ſe extendit, n. 15. pag. 20.

Juriſdictio in genere quid ſit, & quotuplex ſit, num.1. pag. 25. quomodo dividatur, ibid. In quo reſideat, ibid. p.ſeq. Delegata quid ſit, ibid. apud quos reperiatur, ibid. Conceſſa in dubio præſumitur ordinaria, num.3. p.26. Quo modo poſsit cognoſci quando eſt delegata, ibid. & pag.ſeq.

Juriſdictio Capellani Majoris ad quos ſe extendat. Vide *Capellanus Major Exercitus*.

Juriſdictio in ſpiritualibus an, & quando poſsit exerceri à Laicis, n.4. p.45.

Juriſdictio Eccleſiaſtica, in Exercitibus exercenda, cautè eſt delegandà, num.41. p.66.

Juriſdictio competit Confeſſariis. Vide *Confeſſarius*. An ſit diſtincta à poteſtate, quæ accipitur in ordinatione, num.9. pag. 123. An ſe extendat ultra limites, ibid. num.10. An actualis eis competat ante approbationem, num.23. pag.128.

Juriſdictio delegata non extenditur de caſu expreſſo ad non expreſſum, num.9. p.136. An expiret morte Delegantis, num.16. & ſeqq. p.335. & ſeqq.

Juriſdictio ſubdelegata quando expiret, num.15. & ſeqq. pag.235.

Juriſdictio Vicarii Generalis Epiſcopi expirat mortuo Epiſcopo, num. 19. pag. 236.
Juriſdictio dubia efficit actum invalidum, num. 21. pag. 239. Delegata non poteſt exerceri ante Brevium Pontificiorum præſentationem, n. 5. & ſeqq. pag. 255. & ſeqq. In quibus conſiſtat, num. 7. p. 256. Præſumpta quomodo poſſit probari, ibidem, & num. 8. pag. 257.
Jus delegandi ſpectat ad ſupremos Principes, num. 4. pag. 27.
Jus puniendi Malefactores debet dari in Republica, num. 2. p. 303. competit Reipublicæ exponendi mortis periculo ſuos ſubditos, nu. 4. p. 304.

L

Legati à latere Summi Pontificis qui ſint, & quare ſic dicantur, & quam facultatem habeant, n. 71. pag. 115.
Legere libros prohibitos. Vide *Libri*.
Legere quid ſit, num. 38. pag. 98.
Leges factæ ab Imperatore de rebus Eccleſiaſticis, ſi non repugnant Sacris Canonibus, ſunt à Papa firmatæ, num. 4. pag. 45.
Legum interpretatio quomodo ſit facienda, num. 24. & ſeqq. p. 55. & ſeq. Earum Conditores non potuerunt omnia prævidere, & præfinire Epiſt. ad Lect. num. 2.
Leges Eccleſiæ an obligent, ubi non ſunt receptæ, num. 34. pag. 150. & ſeq.
Leges pœnales non extenduntur de caſu ad caſum, num. 4. p. 387.
Leo Magnus Papa præcepit Subdiaconis continentiam ſervare, num. 43. pag. 160.
Libellus ſupplex, quo petitur diſpenſatio pro matrimonio contrahendo, quid debeat exprimere, num. 42. pag. 158.
Libido hominem ſubiicit ſervituti, numer. 5. pag. 433. eum ſociat Diabolo, ibidem. Quibus remediis extinguatur, ibidem.
Libri prohibiti ſunt S. Officio tradendi, num. 61. p. 111. & habens facultatem eos legendi, an poſſit aliis committere eos ſibi legere, nu. 64. pag. 113.
Libros Chimicorum juſſit comburi Diocletianus. Vide *Alchimia*. Vide *Diocletianus*.
Licentia duplex, tacita, & expreſſa, & ejus explicatio, n. 1. p. 132. Expreſſa, ſeù ſpecialis eſt duplex, num. 2. pagina 133. Conceſſa à Papa pro Sacramentis miniſtrandis Militibus non extenditur ad matrimonium, num. 9. & ſeqq. pag. 137. & ſeqq.
Literæ Apoſtolicæ non conformes Romanæ Curiæ ſunt ſuſpectæ de falſo, num. 4. p. 254. Eas falſificans quam cenſuram incurrat, num. 18. p. 261. Earum appellatione, quæ veniant, num. eod. p. 262.
Litigare, ſeù actus judiciarios exercere cum dæmonibus, aùt animalibus noxiis vanitati adſcribitur, num. 25. pag. 325.
Locus hoſtilis, qui dicatur, n. 22. p. 24.
Luxuria Animæ, & Corpori, & famæ valdè nociva, num. 4. & ſeq. p. 433. & ſeq. Vide *Libido*.

M

Magiſter Equitum, & Peditum, qui olim dicebatur, num. 1. pag. 396.
Magiſtratus non poteſt extra ſuam Juriſdictionem facere ſtatuta, numer. 17. p. 20.
Magnificus, & Nobilis, & Illuſtris, idem ſignificant, num. 1. pag. 395.
Mala fides quando dicatur eſſe, nu. 5. pag. 363.
Marchio Flori Dux Navium contra Turcas,

Turcas, num.18. pag.357. Captus à Venetis, libertati reſtituitur, & quare, ibidem.
Marcus de Aviano Capuccinus recipit Breve Innocentii XI. concernens res ſpirituales Exercitus Cæſarei, num.3. pag.3.
Matrimonium Militum cui ſubjaceat, num.14. pag.9.
Matrimonio Militum an poſſit aſſiſtere Capellanus Major vigore conceſſionis generalis, num.4. p.134. & num.6. & ſeqq. pag.135. & ſub num.16. pag.139.
Matrimoniorum impedimenta quæ ſint, n.19. pag.142. Eorumdemque explicatio. ibidem.
Matrimonium propriè efficitur ex mutuo conſenſu viri, & mulieris, num.20. pag.eâd. Commoda ab eo exorta, quæ, & quot ſint, ibid. p.143. Quando ſit judicandum invalidum, num.21. p.144. Ejus materia proxima, & remota, & forma, quæ ſit, ibid. & pag. ſeq. Illud contrahere quibus interdicitur, ibid. Illud contrahentes Milites achatolici cum mulieribus achatolicis an teneantur ſervare formam Concilii Trid. Vide *Milites*.
Matrimonium non eſt reintegrandum ad dictum unius, vel utriuſque Conjugis, fatentis in ipſo intercedere impedimentum, num.27. p.148. An poſſit diſſolvi per emiſſionem voti Caſtitatis, vel per ſolemnem profeſſionem in Religione approbata, vel ſuſceptionem Ordinis Sacri unius conjugis, ibid. num.28. Clandeſtinum contractum ante Concilium Tridentinum an fuerit ratum, & verum, num.30. pag.149. Id contrahentes poſt Concilium Tridentinum mortalitèr peccant. Ibidem, num.31. Idem ſempèr deteſtata eſt Sancta Dei Eccleſia, & quare, ibid.
Matrimonium contractum abſque debitis ſolemnitatibus ubi non eſt receptum Concilium Trid. an ſit validum, num. 33. & ſeq. pag. 150. An contractum à Tranſeuntibus per loca, ubi viget d. Concilium, non obſervatâ ejus formâ, ſit nullum, num.35. pag.151.
Matrimonium clandeſtinum Contrahentes redduntur inhabiles ad contrahendum quocunque jer int, o.39. pag. 155.
Matrimonium nùm poſſit contrahi à Conſtituto in ordine Subdiaconatus per diſpenſationem Pontificiam. Vide *Alexander*. Quare ab initio Orbis conditi fuit licitum intèr Conſanguineos, num.44. p.161.
Matrimonium intèr Infideles eſt verum matrimonium, ſed imperfectum, num.59. pag. 171. Intèr Fidelem & Infidelem eſt irritum, num.60. p.172. & num.65. p.174. & num.66. p.175.
Matrimonia aliquorum in lege Naturæ, & in lege ſcriptâ contracta, n.60. p.172. Contracta intèr Infideles in ditione Principum fidelium, ad quem Judicem ſpectent. ibid. n.61. Contracta ab Infidelibus ad fidem converſis, cum impedimentis juri naturali, aut Canonico repugnantibus, quæ ſint, & quâ diligentiâ perpendenda, num. 62. & ſeqq. pag.173. & ſeq.
Matrimonium eſſe validum, ſed illicitum, non repugnat, nu.66. pag.175. Contractum intèr Fidelem, & Infidelem, an in aliqua Regione permittatur, num. 67. pag. eâd. Ejus impedimentum dirimens, quod ſit. Vide *Impedimenta*. Coactè contractum eſt nullum, n.74. p.179. An ſit validũ, cui Parochus mortis metu aſſiſtit, ib. n.75. An ſit validum contractum à Minoribus, n.79. p.181. aùt ab habentibus conſenſum dumtaxat implicitè, ibid. nu.80. A principio metu contractum, nùm convalidetur per copulam voluntariam

riam ſubſequentem, nu.83. p.183. Initum à Viro Catholico cum muliere Catholica coram Miniſtro Acatholico in terris Acatholicorum, an ſit nullum, ibid. num.85. Contractum à Græco-latino Catholico coram Sacerdote Græco non Parocho, non ſuſtinetur, n.86. pag.184. Contractum antè exhibitionem Brevis diſpenſationis ſupèr impedimento dirimente,eſt irritum, num.16. pag.260.

Medicus, dubius circa medicinam ordinandam infirmo,ad quid teneatur, num.15. pag.369.

Meretrices an debeant de exercitu expelli, num.1. & ſeqq. pag. 430. & ſeq.

Militum matrimonia, cui ſubjaceant, num.14. & ſeq. pag.9.

Milites quando dicantur eſſe in expeditione, num. 1. pag. 12. Stationarii,qui dicantur,num.2.pag.13. Per quid differant ab illis, qui ſunt in actuali expeditione, ibid. & nu.13. pag. 19. Dum ſunt in Caſtris, & Stationibus, non intelliguntur ſubjecti juriſdictioni Capellani Majoris, num.14. pag.20. Eorum Matrimonio quis poſſit aſſiſtere, num.20. pag.21. Vide *Matrimonium*.

Milites Arcis S. Angeli Urbis habent pro eorum Parochia S. Mariam Tranſpontinam, num. 21. pag. 21. Decedentes in domo eorum conſanguineorum, in qua Parochia ſunt ſepeliendi, num.21.pag.22.Ad quem ſpectaret quarta eorum funeralium, ibidem.

Milites graviſſimè peccant, damnum grave Incolis inferentes abſque mandato Ducis, num.60. p.110.

Milites acatholici contrahentes cum fœminis achatolicis, nùm teneantur ſervare formam Concilii Trid. ſub num.16. verſ.*ſextum*, pag.140. An tranſeuntes per loca, ubi viget Concilium Tridentinum, teneantur juxtà diſpoſitionem illius matrimonium contrahere. Vide *Tranſire*.

An eorum matrimonia contracta coram Capellano Exercitus dum ſunt in Stationibus, ſint valida, nu.84. pag. 183.

Milites an differant à perſonis Militaribus, num.1. pag.243.

Militibus Chriſtianis nùm liceat militare ſub Rege ſacrilego, num.19. pag. 299.

Militum Judici competenti qualis juriſdictio competat, nu.26. p.301.

Militi ad pugnam ituro, nùm liceat ad armorum ictum declinandam, deferre ſcriptum verba Divina continens, num.6. & ſeqq. pag.318. & ſeqq.

Milites, in quodam prælio occiſi, fuere quaſi omnes reperti cum ſcriptis ſuperſtitioſis collo appenſis, nu.12. pag. 320.

Militi nùm liceat Alchimiæ, ſeù Arti aurifactoriæ incumbere, num.6. & ſeqq. pag.330. & ſeqq.

Milites, dubitantes de juſtitia belli, nùm poſſint bellare, num.1. p.337.

Committentes furta vatiis pœnis puniuntur, num.22. p.372.

Milites fures variis pœnis puniuntur, & infamiâ notantur,num.36.p.381.

Milites hoſpitari non tenentur Clerici, num.1.& ſeqq. pag.388. & ſeq.

Militibus infirmis debet ſtipendium ſolvi, num.1.& ſeqq.p.391. & ſeq. Eorum infirmitas aùt brevis, aùt longa, quæ dicatur, num.3. p.393. & ſeq.

Militibus ignobilibus confert militia nobilitatem, num.1. & ſeqq.p.396. & ſeqq.

Militis nomen laudabilitèr tribuitur Ducibus, & Imperatoribus Militiæ, num.3. p.396.

Milites,qui in bello neminem occiderũt, vel mutilaverunt,nùm ſint irregulares,n.1.p.418.Poſſunt decedere pro parte teſtati, & pro parte inteſtati,

ſtati, num.1. p.421. Si in teſtamento prætereunt filios ſuos, vel exhæredant, tenentur exprimere cauſam præteritionis, & exhæredationis, nu.2. pag.422.
Militum matrimonio nùm poſſit quilibet Parochus intereſſe, n.1.p. eâd.
Milites morientes in bello contra Turcas pro defenſione Chriſtianæ Reipublicæ an ſint Martyres, nu.1. p.429. Summam merentur laudem, num.2. & ſeq. p.430.
Miſſam celebrans qui non eſt Sacerdos, denunciandus eſt S. Officio, num.24. p.129.
Miſſa olim celebrabatur in Cryptis, num.7. p.203. Hodiè non poteſt in Altari ligneo celebrari, niſi à Papa, num.27. p.211. An poſſit à Regularibus celebrari in Oratoriis privatis, num.30. p. 213. An ſit cantanda in conſecratione Eccleſiæ, aùt Altaris, num. 35. p. 215. Non poteſt celebrari niſi in Locis ſactis, n.37. pag. eâdem, & ſeq.
Miſſionatiisnùm liceat uti facultatibus ſibi conceſſis extra Loca, ad quæ ſunt deſtinati, num. 14. p. 33. Debent examinari antequam ad Miſſiones mittantur, num.8. p.76. Regulares an poſſint Miſſam celebrare in Altari portatili, num.30. p.212.
Moderamen inculpatæ tutelæ quid ſit, & quomodo ſit intelligendum, n.8. p.403. & quid comprehendat, numer.13. p.405.
Monialem cognoſcens debet graviter puniri, num.68. p. 114.
Mutus an poſſit teſtari. Vide *Teſtari.*

N

NAvicularius in contingentia deprædationis, aùt naufragii, quid agere debeat, n.3. p.351.
Navis Maritima ſæpè mutat vexillum, num.2. p.350.
Navis Mercantilis deprædatæ venditio nùm ſit licita, & valida, num.5. & ſeqq. pag.352. & ſeqq.
Navis ab hoſtibus expugnata, an differat à Navi naufragium paſsâ, nu.9. pag. 353.
Navis naufragatæ bona pluribus juribus defenduntur, n.9. p.eâd.
Navis Catholicæ Piratæ nùm competat facultas deprędandi Navim Catholicam deferentem Turcas, & eorum merces. Vide *Pirata*. Navem aliquam injuſtè deprædantes tenentur omnia capta reſtituere, num.19. pag. 357.
Navibus naufragantibus auxilium prębentes indulgentiam conſequuntur, n.24. p.358.
Naves quando dicantur naufragantes, & ſic alieno auxilio indigentes, ibidem.
Navibus naufragantibus in ſtatu Eccleſiæ auxilium non præbentes, quod crimen committant, ibidem.
Navis deprædatio contingens ob aliquas merces prohibitas extrahi, ſit baratteria in aſſecurationc excepta, aùt potiùs culpa Gubernatoris Navis, n.24. p.359.
Neceſſitas duplex eſt, & quæ ſit, n.4. p.202. Non ſubjacet legi, num.9. pag. 307.
Nobilitatem confert Militia, nu.1. & ſeq. p.396.
Nuncio non creditur, niſi oſtendat litteras commiſſionis, num.13. & ſeq. p.259. & ſeq.

O

OBligatio, quam Principes Chriſtiani habent bellum movendi contra Turcas, quæ & quanta ſit, num.5. p.279.
Obligatio duplex eſt, nempè civilis, & prætoria: itèm naturalis, & antido-

tidoralis, & quæ ſit, ibid.
Occidere nemini licèt Accuſatores falſos, ſeù teſtes falſos, n.12 p.404.
Officialibus Exercitus nùm liceat extra exercitium Militiæ ſævire in Milites delinquentes, n.23. p.300.
Operari cum conſcientia practicè dubia eſt peccatum, n.12. p.366.
Opinio unius Authoris an poſſit eſſe probabilis, n.90. p.187.
Opinionis probabilitas. Vide *judicium*.
Oratio Adalberti damnatur in Concilio Romano, & quare, n.10.p.319.
Oratoria privata ſolus Papa poteſt concedere, num.30.p.213.Non debent facilè concedi, & quare, numer.31. pag. 214. In iis non poteſt Miſſa celebrari in Feſtis ſolemnioribus, nu.37. p.216. In iiſdem Miſſam, qui audit, non ſatisfacit præcepto audiendi Miſſam, ibid.
Ordinarii nomine quis veniat, nu.7. p.29. & ſeq. Vide *Epiſcopus*.

P

PActum cum dæmone. Vide *Superſtitio*.
Parocho jus competit miniſtrandi Sacramenta Militibus in ſua Parochia degentibus, num.20. p.21. An liceat ei aſſiſtere Matrimonio Militum tempore expeditionis, nu. 22. pag. eàd.
Parochus nùm peccet aſſiſtendo Matrimonio Vagorum abſque licentia Ordinarii, n.76. p.180. Poteſt concedere licentiam cuique Sacerdoti aſſiſtendi Matrimonio ſuorum Subditorum, nu.88. p.284.
Pars ordinatur ad ſuum totum ſicut imperfectum ad perfectum, nu.12. pag. 308.
Paſchalis II.revocat privilegium Henrico Imperatori conceſſum, nu.33. p.62. & quare, n.34. p.63.
Pater proſcriptus, aut proditor Reipublicæ, nùm poſſit à filio Judicibus deferri, nu.10. p.307. Accuſatus à Filio de aliquo crimine, minùs punitur, n.20. p.311.
Paulus Antonius Galles furatur ſacram Pyxidem in Eccleſia S. Mariæ Tranſtyberim, nu.1.p.412. Fuit punitus, & quomodo, nu. eodem, pag. 413.
Pax vera ſivè publica, ſivè privata eſt Reipublicæ perutilis, n.33. p.290.
Peccare cum Moniali eſt crimen graviſſimum, & gravi pœnitentiâ puniendum, n.68. p.114. In foro Laicali an, & quomodo ſit puniendum, num.37. p.382.
Peccatores debent tempori mortis præmittere pœnitentiam, num.37. pag.382. Quo titulo ſint diligendi, num.1. p.397.
Peccatum merè internum an poſſit reſervari, num. 24. pag.89. & ſeq. & num.26. & ſeqq. p.91.
Peccatum coactè commiſſum an poſſit reſervari, num.36. p.96. & ſeq. Gravius debet reſervari, & quare, num.50.p.106. & n.65. p.113.
Peccatum habens Papæ reſervatum, poteſt in articulo mortis à ſimplici Sacerdote abſolvi, n.15. p.250.
Peccatum reſervatum. Vide *reſervatio peccati*.
Pœnæ variæ delinquentibus præſcriptæ, n.22. p.373.
Pœnitentia, imponenda Pœnitentibus, relinquitur arbitrio Confeſſarii, n.57. p.109. Quale debeat eſſe hujuſmodi arbitrium, ibid.
Pœnitens abſolutus in neceſſitate à reſervatis à non habente facultatem, ad quid teneatur hanc notitiam acquirens, n.13. p.249.
Peregrini an teneantur obſervare leges locorum per quæ tranſeunt, num.9.p.6. Vide *Tranſeuntes*.
Piazza Julius Archiepiſcopus Nazarenus, & Nuncius apud Imperatorem, aſſumptus ad Cardinalatum, Vide *Julius Piazza*.
Piratæ Catholico an competat facultas

tas deprædandi Navim Catholicam deferentem Turcas, & merces eorum, num.12. & ſeqq. pag.355. & ſeq.

Pirata Chriſtianus, quid agere debeat quando deprædatur Navim cum Vexillo Turcico, n.18. p.357.

S. Pius V. convocat laudabiliter Principes Chriſtianos contra Turcas, n.19. p.285. Solemni Ritu benedicit Milites, & Naves expeditionis adversùs eos, ibidem.

Pontificis mens in quavis ſua Conceſſione eſt, nullum inferre præjudicium, vel ſaltem illud, quod eſt minus, num.7. p.16.

Pontifex dicitur Ordinarius Ordinariorum, nu.7. p.29. Poteſt ubique concedere privilegium in ſpiritualibus, & in temporalibus in Terris ſuæ juriſdictionis temporalis, nu.4. p.45. Non præſumitur, quòd velit, ſinè juſta causâ, præjudicium inferre Ordinariis Locorum, n.6. p.47. & nu. 9. & ſeqq. p.137. & ſeq. Ne quidèm in dubio, nu.9. p.48. Concedens facultatem Capellano Majori alicujus Exercitus, vel ejus Subdelegatis, audiendi Militum Confeſſiones, intendit concedere tantùm conſuetam, num.39. p.66. Ejus conceſſio, ſeù privilegium non debet cenſeri in præjudicium inferioris, ibid. n.40. Poteſt eſſe Judex in cauſa orta de privilegio, v. g. exemptionis, ſivè ſubjectionis immediatæ erga Sedem Romanam, num.47. p.68. Cauſas graves committit examinandas peculiaribus Congregationibus, & quare, nu.7. p.76. Ejus voluntas debet eſſe clara, num.11. p.137. Nùm poſſit diſpenſare in omni gradu affinitatis, & conſanguinitatis in ordine ad Matrimonium, nu.44. p.161. Nùm ejus diſpenſatio ſine cauſa in iis, quæ ſunt de jure Eccleſiaſtico, ſit licita, & valida, n.48. p.164.

Pontifex poteſt diſpenſare cum Viro fideli inire matrimonium cum Muliere infideli; nu.89. p.185.

Pontifex ſolus poteſt concedere facultatem Miſſam celebrandi in domibus privatis, nu.5. p.202. Poteſt ſibi reſervare quoſvis caſus, numer.3. pag. 244. Habet utramque poteſtatem, ſpiritualem ſcilicèt, & temporalem, num.21. p.286. Licitè poteſt Exercitum convocare contra hoſtes, ibid.

Pontifices bellum moventes contra Turcas ſummè laudantur, & qui fuerint, num.21. p.286.

Poſſeſſor rei cum dubio, eam fuiſſe furto ſublatam, an poſſit eam præſcribere, n.13. p.367.

Poſſeſſor malæ fidei nunquam poteſt præſcribere, num. eodem pag.368. Ad quid teneatur, n.32. p.378.

Poſſeſſor bonæ fidei, adveniente dubio probabili, quid agere debeat, num.14. p.369.

Poſſidenti injuſtè rem alienam non licet vim ſibi illatam propulſare pro ea, num.13. p.405.

Preces ad expellenda vermium nocentium examina, an ſint ſuperſtitioſæ. Vide *Superſtitio*. Factæ cum tali repetitione ſunt ſuperſtitioſæ, num.22. pag.324. Ad expellendum dæmones, quales debent eſſe, nu.24. pag. eâdem.

Præjudicium factum ſibi, vel aliis, quando intelligitur eſſe, num. 29. pag. 59.

Prælatus, amiſsâ ob juſtam cauſam poteſtate, eſt, ac ſi nunquam illam habuiſſet, num. 21. pag.238. Ejus geſta tempore amiſſionis ſunt nulla, ibidem.

Præſcriptio, quid ſit, nu.4. p.362. An differat ab uſucaptione, ibid. Res, quæ poſſunt præſcribi, & perſonæ, quæ poſſunt præſcribere, ibid. Ad Præſcriptionem requiritur bona fides, num.5. p.363. Præſcriptionis con-

con-

continuationem non impedit dubium ſuperveniens præſcriptioni bonâ fide inchoatæ, n.14. p.368.
Princeps extra ſuam ditionem eſt velut perſona privata, num.18. p.20. Num ei liceat aliquid ſtatuere cum præjudicio juris alieni, num.5.p.46. Debet habere unum calamum, & unam linguam, & quid ſignificet, num.17. p.53. Quando confirmat ſtatuta, cenſetur confirmare juſta, non iniqua, num.51. p.69. Tenetur in Confeſſarios Exercitus eligere Viros ſufficientes. Vide *Confeſſarius*.
Principis beneficium eſt latiſſimè interpretandum,num.41. p.156.
Principes Chriſtiani debent propugnare Principem, aut Regem Chriſtianum bello invaſum à Turcis, num.6. pag.280. & ſeqq. uſque ad p.285. Fratres ad invicem vocantur, & quare, num.16. p.283. Tenentur impedire Turcarum tranſitum per ſuas Provincias, num. 28. pag. 288. Non ſatagentes, quando poſſunt, & debent,defendere Chriſtianos, Turcarum tyrannide oppreſſos, gravitèr peccant, num.32. pag.290. Noſcentes bellum, quod intèr ſe gerunt, ſuppetias præpedire Principi Catholico præſtandas, teneri ab eo deſiſtere, num.33.p.290. Debent amare pacem, & Chriſtianam unionem, ibid. Bona à Subditis indebitè per violentiam extorquentes,tenētur ea reſtituere, n.22. pag.358.Non poſſunt Eccleſiaſticis tributa imponere abſque licentia Summi Pontificis, nu.5.6.7. p.425. & 426. & 427.
Privilegia Regularium circa adminiſtrationem Sacramentorum, & ſepulturam Mortuorum, quæ ſint, num.20. pag.21. & num.21. p.22.
Privilegii cauſâ ceſſante, ceſſat privilegium, num.11. p.32.
Privilegium Capellani Majoris Exercitus quando valeat, num. 14. pag. 33.
Privilegium quare ita dicatur, num.1. pag.43. Propriè quid ſit,ibid.p.44. Per quid differat à Reſcripto, ibid. num.2. Non ſempèr datur ad alterius petitionem, ibid. Quomodo dividatur, ibid. num.3. Ad quem ſpectet illud concedere, num.4. p.45.
Privilegia data contra jus commune ſunt ſtrictæ interpretationis,num.9. pag.48. De privilegiis non eſt judicandum, niſi eorum tenore inſpecto, nu.10. pag. 49. Privilegiorum tenor eſt ad unguem ſervandus, ibid. & num.ſeqq.
Privilegium quando cenſeatur eſſe obreptitium, num.14. pag.51. Generale derogatur per ſpeciale Reſcriptum, num.15. & ſeqq. pag.51. & ſeq. Quando circa illud adeſt dubium,quid ſit agendum,num.19. pag.54. Quomodo ſit interpretandum, ibid. num.20. & 21. Pontificum nemini præter Papam licet interpretari, num.22. & ſeq. pag.55. & 56.
Privilegia Sedis Apoſtolicæ, uſu recepta, plura ſunt, & quæ ſint, numer.28. pag.58.
Privilegium ſemel conceſſum poteſt amitti, num.32. pag.60. Niſi tranſierit in contractum, num.33. p.62.
Privilegia Sedis Apoſtolicæ quis teneatur defendere. Vide *Sedes Apoſtolica*.
Privilegium ita debet interpretari, ut nemini noceat,num.42. pag. 66. Illud quis poſſit concedere,ibid.n.45. Conceſſo Communitati an poſſit renunciari ſine illius conſenſu, numer.48. pag.68. Non poteſt retractari quando vigore illius fuit jus acquiſitum, num.50. pag. 69. Poteſt revocari ab Ordinariis quando gratuitò eſt conceſſum, dummodò non tranſierit in pactum, num.53. pag. 70.

Pri-

Privilegia Regularium nùm cenſeantur revocata per clauſulam generalem, num. 55. pag. eâd.
Privilegium Principis conceſſum ad ejus beneplacitum, eo defunčto, expirat, num. 56. p. 71.
Privilegia teſtandi conceſſa Militibus nùm conveniant Doctoribus, nu. 1. pag. 407.
Proditor qui jure appelletur, num. 25. & ſeq. p. 314.
Proſcriptus poteſt à quovis impunè occidi, ſi adſint aliquæ conditiones, num. 22. pag. 312. & num. 24. pag. 313. An poſſit occidi extrà Territorium Proſcribentis, ibidem. An poſſit licitè mutilare, aùt occidere ſuum Aggreſſorem, num. 23. pag. 313.
Prudentia quid ſit, num. 16. p. 80. & ſeq. In quinque ſpecies diſtinguitur, num. eod. pag. 81. Dupliciter conſideratur, num. 51. p. 106. Convenit Confeſſariis, num. 52. & ſeqq. pag. 107. & ſeq.

Q

QUarta funeralium cui de jure competat, num. 2 r. p. 22. An ſit ſolvenda à PP. Clericis Regularibus Theatinis, ibid.
Quarta funeralium Militum, ad quem Parochum ſpectet. Vide *Milites Arcis*.
Qualitas annexorum quomodo ſit intelligenda. Epiſt. ad Lect. n. 6.

R

REgula in dubiis quæ ſit, nu. 11. pag. 137.
Regulares quibus ex privilegio poſſunt miniſtrare Sacramenta, nu. 20. p. 21. Virtute privilrgiorum non poſſunt abſolvere à reſervatis in Bulla Cœnæ niſi in articulo mortis, num. 45. p. 99. In Urbe approbati pro Confeſſionibus an teneantur Epiſcoporum examini ſubjacere, num. 16. p. 125. Nùm poſſint vigore ſuorum privilegiorum diſpenſare in impedimentis ſupervenientibus matrimonio, n. 46. p. 163. An poſſint celebrare Miſſam in Oratoriis privatis. Vide *Miſſa*.
Reliquiæ an requirantur in Altaris conſecratione, n. 14. p. 206. & ſeq.
Reliquiarum loco in Altari, quod conſecratur, non poteſt collocari Corpus Dominicum, num. 32. pagina 214.
Reſcriptum Delegatorum quanto tempore duret, num. 6. p 16.
Reſcriptum, quod aliis nocet, non valet, num. 12. p. 32. Non poteſt extendi de cauſa expreſſa ad non expreſſam, num. 19. p. 35.
Reſcriptum Principum quando præſumatur falſum, num. 49. p. 69.
Reſcriptum ad lites eſt ſtrictæ interpretationis, num. 52. p. 70.
Reſcriptum gratiæ an expiret obitu Concedentis, num. 1. & ſeq. p. 228. & num. 5. p. 229. Quomodo id ſit intelligendum, num. 4. pag. eâdem.
Reſcriptum quodlibet Pontificium debet ſecundùm ſuam formam ad unguem ſervari pro validitate diſpenſationis, num. 19. p. 262.
Reſervatio caſuum quid ſit, num. 17. pag. 81. Eſt neceſſaria pro ſalute Animarum, num. 18. p. 82. Vide *Caſus*.
Reſervatio de peccatis merè internis an poſſit fieri, nu. 25. p. 89. & n. 27. & ſeq. p. 91.
Reſervationi caſuum an ignorantes ſubjaceant, num. 33. p. 94. Quando

eſt ambigua, quid agere debet Confeſſarius, num. 67. p. 113.
Reſervatio criminum, quæ ſunt graviora, eſt neceſſaria, nu. 50. p. 106. & num. 65. p. 113.
Reſervatio peccatorum quare fiat, num. 14. p. 250.
Reus in dubio an cenſeatur inculpatus, num. 8. p. 364.
Ritus omnes, ab Eccleſia Catholica non recepti, cenſentur ſuperſtitioſi. Vide *Superſtitio*.
Romani multa privilegia Militibus conceſſerunt, num. 2. p. 13.
Romani gentiles rebus ſuperſtitioſis utebantur, num. 1. p. 315.
Roſarii Sanctiſſimi Feſtum quando, & à quo Papa fuerit inſtitutum. Vide Feſtum *S. Mariæ de Victoria*.

S

SAcerdos, aſſerens habere licentiam à Parocho, vel ab Epiſcopo, aſſiſtendi matrimonio, an ſit credendus, num. 87. p. 184. Celebrans in Eccleſia polluta an mortalitèr peccet, num 27. p. 198. Simplex an poſſit ex commiſſione Eccleſiam pollutam conſecrare, nu. 28. & ſeq. p. 199. Non poteſt celebrare niſi in locis ab Epiſcopo deputatis, nu. 2. & ſeq. p. 201. & ſeq. Quæ neceſſitas eum excuſat celelebrantem extra loca Sacra, num. 4. pag. 202. An Epiſcopus poſſit ei licentiam præbere extra loca ſacra celebrandi. Vide *Epiſcopus*. Non poteſt Miſſam celebrare in Altari, in quo Epiſcopus eodem die celebravit, abſque ejus licentia, num. 28. pagina 211.
Sacerdotes olim Miſſam celebrabant in Cryptis, & quare, num. 7. p. 203. Celebrantes ex neceſſitate abſoluta in locis ad cultum Divinum non deputatis excuſatur à pœna, nu. 34. pag. 215.
Sacramentorum appellatione quæ veniant, num. 3. p. 133.
Sacramenta petere, & recipere à Miniſtris excommunicatis num liceat, num. 1. & ſeq. p. 417.
Sapientia ſalis ſimilitudine exprimitur, num. 10. p. 290.
Schiſmatici poſſunt prodeſſe Eccleſiæ, num. 105. p. 257.
Scientia à quo dicatur, num. 14. p. 79. Quid ſignificet, ibidem. Quomodo dividatur, ibidem.
Scriptum D. Franciſci Ingoli Secretarii S. Congregationis de Propaganda Fide, concernens facultates Miſſionariorum Caſtrenſium, num. 22. pag. 240.
Scriptum continens verba Divina, quod Miles gerit ad declinandum armorum ictum, an ſit ſuperſtitioſum. Vide *Superſtitio*. Quando non cenſeatur ſuperſtitionem redolere, num. 14. p. 371.
Scrupulus non conſtituit dubium formalitèr, num. 16. p. 370. Eum non tenetur explodere quoad ſenſum Scrupuloſus, ~~ibidem~~.
Sedes Apoſtolica ſummam adhibet circumſpectionem in ſuis Brevibus, num. 7. p. 5.
Sedi Apoſtolicæ expedit revocare privilegia conceſſa, quando experitur ſibi nocere, numer. 30. p. 59. Ejus privilegia quis teneatur defendere, num. 36. pag. 63. & num. 38. p. 65. Quandoque diſpenſat cum Confeſſariis Exercituum ab obligatione petendi ab Ordinariis locorum licentiam exercendi eorum munus, num. 15. pag. 124. Ad eam eſt recurrendum, quando gravis oritur difficultas cira Sacramentorum adminiſtrationem, numer. 91. pagina 187.
Sententia in cauſa matrimoniali an

tran-

tranſeat in rem judicatam, num. 23. & ſeq. pag. 145. & ſeq. Et quid ſit tranſire in rem judicatam, ibidem.

Sententiam injuſtam Judicis nùm liceat Miniſtris, id ſcientibus, exequi, num. 7. p. 294. & ſeqq.

Sepulturæ jus nùm poſſit auferri per translationem perſonæ decedentis in villa, vel alio in loco, factam ad tempus, num. 2. p. 423.

Statutum Principis. Vide *Princeps*.

Stipendium Militibus infirmis eſt ſolvendum, num. 1. & ſeq. pag. 391. & ſeq.

Stylus Curiæ Romanæ in materia diſpenſationum matrimonialium eſt attendendus, num. 42. & ſeq. p. 157. & ſeq. Quæ matrimonia hic ſtylus declarat, ibid.

Subdelegati in Exercitu quas qualitates debeant habere, num. 8. pag. 5. Debent approbari ab Ordinario, ibid. Non poſſunt exercere facultates ſibi tributas niſi cum reſtrictione Brevium Clementis XI. n. 23. pag. 24.

Subdelegatus poteſt cogi à Delegato Papæ acceptare Subdelegationem, num. 27. pag. 30. In quo caſu non poteſt recuſari, num. eodem, pag. 39. An ejus ſubdelegatio expiret, mortuo primo Ordinario, qui Delegatum delegavit, numer. 28. pag. 41.

Subdiaconatus nùm in primitiva Eccleſia fuerit Ordo Sacer, num. 43. pag. 160.

Subdiaconis præcepit ſervare continentiam Leo Magnus Papa. Vide *Leo Magnus*.

Subditus propriè quis dicatur, num. 2. pag. 408. & num. 3. pag. 409. Et quis dicatur non ſubditus, num. 4. pag. eâdem. Subditis nùm liceat pugnare in bello, de cujus juſtitia dubitant, num. 5. & ſeqq. p. 409. & ſeq.

Subrogatio quando importat ſimilitudinem in omnibus, num. 15. pagina 139.

Superior Regularis graviter peccat, ſi Epiſcopo teſtatur eſſe idoneos ſuos ſubditos, quos ſcit carere idoneitate, num. 10. p. 77.

Superſtitio quid ſit, ibidem, num. 2. in quo diſtinguatur à vana obſervatione, & à divinatione, ibidem. Continet pactum aùt tacitum, aùt expreſſum cum dæmone, & quid ſit pactum tacitum, & expreſſum, num. 2. pag. 316. & quotuplex ſit pactum tùm tacitum, tùm explicitum, num. 3. pag. eâdem. Pactum tacitum cum dæmone quibus modis noſcatur, numer. 4. pag. 317. Scriptum continens verba Divina, quod Miles defert ad declinandum armorum ictum an ſit ſuperſtitioſum, num. 6. & ſeqq. pag. 318. & ſeqq. Ritus ab Eccleſia Catholica minimè recepti, tanquam ſuperſtitioſi reprobantur, num. 11. pagina 320. Rebus ſuperſtitioſis Utentes ſempèr decipiuntur à dæmone, num. 12. pagina 320. & ſeq. Sanctorum Reliquiarum geſtatio quando poſſit redolere ſuperſtitionem, numer. 18. pag. 323. Superſtitioſæ preces, quæ dicantur, num. 19. & ſeqq. pag. eâdem, & ſeqq. ſuperſtitione non caret delatio ceræ ad Eccleſiam æqualis in pondere Ægroto, aùt candelæ longitudinis æqualis eidem Ægroto, num. 22. pag. 324. Uſus rerum naturalium quando cenſeatur ſuperſtitioſus, num. 26. pag. 325. Superſtitioſa eſt quædam chartula, quæ à nonnullis portatur pro doloribus viſcerum, num. 27. pag. 326. Cognitio ſuperſtitionum ad quem Judicem ſpectet, num. 28. pag. eâdem.

dem. Snperſtitioſis rebus Romani gentiles utebantur. Vide *Romani*.

Surdus an poſſit teſtari. Vide *Teſtari*.

Synodus ſexta nùm aliquos Canones ediderit, nnm.65. pag.174.

T

TEſtamentum Militum, conditum extra tempus expeditionis, nùm jure ſuſtineatur, num.22. pag.23.

Teſtamentum factum à Milite abſque ſolemnitate valet, eſtò ſit notis ſcriptum, num.1. p.420.

Teſtari jure militari an poſſint omnes, qui in caſtris reperiuntur, ibidem.

Teſtari ad pias cauſas poteſt Surdus, & Mutus, num.3. pag.420. Ad validitatem hujuſmodi teſtamenti aliquæ conditiones requiruntur, ibidem.

Teſtes in contingentia naufragii, aùt deprædationis navis, debent concludentèr deponere, num.4. pagina 351. Qui poſſunt, & debeant eſſe, ibidem. An rectè probent caſum naufragii contra Aſſecuratores, ſi parte non citatâ, fuerint examinati coram Judice incompetenti, num.24. p.359.

Theatini an teneantur ſolvere Quartam funeralium, num.21. p.22.

Tranſeuntes per Loca, ubi viget Concilium Tridentinnm, an, ejus formâ non obſervatâ, poſſint validè contrahere matrimonium. Vide *Matrimonium*. An teneantur obſervare Leges Locorum, per quæ tranſeunt, num.35. & ſeqq. p.151. & ſeq. & num. 38. & ſeqq. pagina 154. & ſeqq.

Tranſitum debent Principes Chriſtiani Turcis impedire, pugnaturis contra aliquem Principem Chriſtianum, num. 28. pag.288.

Tranſitus innoxius non debet negari Fidelibus euntibns contra Turcas, num.29. p.289.

Tucci Franciſcus, Auditor Generalis Nunciaturæ Apoſtolicæ apnd Imperatorem, num.22.p.240. Ei communicatur facultas communicandi facultates Miſſionariis Caſtrenſibus, n.eod. p.241. Confeſſatio Cæſaris varias communicat facultates, ibidem.

Turcarùm appellatione quæ gentes veniant, num. 1. pag.277. Unde Turcæ dicantur, & eorum origo quæ ſit, ibidem, pag. 278. Contra eos arma ſumere licitum eſt Principibus Chriſtianis, ibidem, num.2. Eis nullus eſt permittendus progreſſus in Terris Fidelium, num.14. pag.282. Expeditio Navalis Principum Chriſtianorum contra eos, num.19. pag.285.

Turcæ moleſtiam ſemper inferunt Principibus Chriſtianis aùt actu, aùt habitu, num.22. pag. 286. Eis debet impediri tranſitus per Provincias Fidelium, num. 28. pagina 288.

V

VAgi an teneantur obſervare leges Locorum, per quæ tranſeunt. Vide *Tranſeuntes*.

Venditio quid ſit, num.3. pag. 361. Quid requiratur ad ejus validitatem, num.eod. p.362.

Vicarii Generalis geſta, mortuo Epiſcopo, aùt excommunicato, aùt notorio percuſſore Clerici &c. ſunt nulla, num.20. pag.236.

Vicarius Generalis Epiſcopi per quid dif-

differat à Delegato, num. eodem pag. 237.
Vita corporalis an ſit exponenda periculo mortis pro vita ſpirituali proximi, num.20. p.245.
Victor Papa III. in Henricum Imperatorem, invadentem privilegia Eccleſiæ, ſeù Jura Eccleſiaſtica, vigore Sacerdotali, *libertate* Apoſtolicâ inſurgit, num. 37. pag. 64.
Ejus locutio, ibidem.

FINIS.

ERRA-

Digitized by Google

ERRATA CORRIGE

IN hoc Additamento ad Theologiam Bellicam cogor repetere, quod in ea, & in *Romano Pontifice Propugnando*, cæteriſque meis lucubrationibus duxi exprimere, nempè errores Typographicos effugere cunctos ferè impoſſibile eſſe; eoſdemque corrigere penitùs ſuperfluum. Siquidem Lector, aliquem intèr legendum errorem offendens, aùt advertit, errorem eſſe, aùt non advertit: Si non advertit, errorem eſſe; error apud ipſum non eſt: Si verò errorem eſſe advertit; jam in ipſo deſinit eſſe error, ab ejus doctâ advertentiâ ſufficientèr correctus. Ergò ſuperfluum eſt Errata corrigere. Et quamvis nequè curæ, nequè diligentiæ quid prætermiſerim, quò omnia quàm accuratiſſimè emendata in lucem prodirent; nihilominùs, cum humanum ſit errare, ſi quid erratum quomodocunque, mi Lector chariſſime, repereris, meæ, variis occupationibus diſtentæ, exilitati condona; præſertim quod irrepſiſſe deprehendi, quodque Prelum non potuit ſuo loco edicere, nempè Pag.3.lin.34. *eodem*, lege eidem. Pag.227. lin.18. dele virgulam poſt verbum deferre, & poſt verbum *recitare*. Pag.237. num.21. verb. *ultimò*: lege ſeptimò. Pag.256. col.2. lin.12. *præſtandum*: lege præſtandam. Pag. 283. col.1. lin.24. *in Protagona*: lege in Protagora: Ibid. num. 27. *à Protagone calumnia*: lege à Protagoræ calumniâ.

MAG 2004864

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google